



BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XII
F
23
NAPOLI





RESOLUTIONES NOTABILES VARIORVM CASUUM, ET QUÆSTIONUM PRACTICARUM

A MVLTIS HACTENVS DESIDERATÆ.

AUCTORE
R. P. F. PETRO MARCHANT
COVVINIENSI,
TOTIVS
ORDINIS S. FRANCISCI
ALIQVANDO DIFFINITORE GENERALI;
ET SVPER
PROVINCIAS GERMANIÆ, BELGII,
AC BRITANNICAS
COMMISSARIO GENERALI;
S. THEOLOGIÆ
LECTORE EMERITO.





COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM WILHELMVM FRIESSEM juniorem.
ANNO M. DC. LXXII.



INDEX

CASVVM ET QVÆSTIONVM,

Quæ in hoc opere resolvuntur.

Casus contingentes Sacramentorum administrationem.

Casus Miscellanei seu concernentes diversas Materias.

CASVS

CASUS
CONTINGENTES SACRAMENTORUM
ADMINISTRATIONEM.
DE SACRAMENTO BAPTISMI.

CASUS I.

De Baptismo Chaldæorum Nestorianorum in Palæstina.

Casus à quo fuerit propositus.



Ir magnæ eruditionis R. P. F. *Franciscus Quaresimius Provinciæ Mediolanensis Ordinis S. Francisci postea minister, & Curiæ Romanæ Procurator Generalis*, post labores multos magno fructu in conversione Nestorianorum Chaldæorum in Palæstina assumptos, volens Baptismo illorum prospicere, casum infra scriptum variis Academiis proposuit; & quidem mihi in hunc modum propositus est, cujus & resolutionem subjicio.

Status Quæstionis:

Forma baptismi Chald. Nestorian.

NEstoriani Chaldæi in Baptismo Masculorum utuntur hâc formâ: *Baptizatus est* N. *In nomine Patris; Amen: In nomine Filij, Amen: In nomine Spiritus Sanctitatis in sæcula Amen.* Similiter in Baptismo Fœminarum: *Baptizata est* N. *In nomine Patris, Amen: In nomine Filij*, &c. Hæc tamen est distinctio inter istas duas formas, quod in forma masculorum ponatur vel præteritum passivum indicativi modi; *Baptizatus est*, vel imperativum *Baptizare*: In forma verò fœminarum ponatur præteritum passivum: *Baptizata est*, & quidem hæc diversitas oritur ex verbo æquivoco *Amed* quod in formâ masculorum significat *Baptizatus est*; vel *Baptizare* in imperativo: & ex verbo *Ambdat*, quod univocè significat in præterito *Baptizata est*, in forma fœminarum.

Quæritur:

An forma illa Baptismi sumpto verbo Amed, *vel* Ambdat, *in solo præterito, ut significant* Baptizatus est, *vel* baptizata est, *sint legitimæ & validæ ad Sacramentum baptismi conferendum?*

Ratio dubitandi est: quia videntur significare actionem Sacramentalem, ut præteritam, non ut præsentem.

Ante resolutionem hujus quæstionis: *Resolution.*

Suppositio.

Suppono Primò: Hanc formam non esse introductam ad aliquem errorem contra Ecclesiæ communem usum, aut Christi institutionem adstruendum; sed tantùm ex traditione aliquâ, & usurpatione consuetudinaria illius populi, prout inter Armenos & Græcos fuit introducta forma in modo imperativo, *baptizetur*, &c. Si enim aliquis error hujusmodi adstrueretur, contineretur sine dubio in eorum articulis erroneis, aut apud illos aliqua istius memoria haberetur, cujus tamen nullum reperitur vestigium, in erroribus Nestorianorum. *hæc forma fuerit introducta.*

Suppono Secundò. Nullum esse dubium de invocatione SS. Trinitatis, quæ etsi divisim exprimatur unius tamen divinitatis essentiam Individuam, ex verborum significatione usurpata, non dividit; sed solam personarum Trinitatem, sive distinctionem designat. *Invocatur in ea SS. Trinitas.*

Suppono Tertiò. Sumpto verbo; *Amed*, in imperativo, ut idem sit quod *baptizare*, nullam esse difficultatem; ut in Concilio Florentino, *decreto de Armenis* resolutum est, de hac forma *baptizetur servus Christi*; &c. *Conc. Floren. Dec. de Armen.*

Responsio principalis.

FOrma baptismi, quâ Nestoriani Chaldæi utuntur, expressa per verbum præteriti temporis: *Baptizatus est*, vel *baptizata est* N. *In nomine Patris, Amen: In nomine Filij, Amen: In nomine Spiritus Sanctitatis in sæcula; Amen:* Est valida & tolerari omninò potest. Ratio fundamentalis sumitur ex definitione Concilii Florentini *in decreto de Armenis*, ubi de forma baptismi eorum, Concilium sic decrevit: *Si exprimitur* (inquit) *actus qui per ipsum exercetur Ministrum cum SS. Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum.* Ex qua definitione sic infero. In forma prædicta exprimitur actus, qui per ipsum ministrum hic & nunc exercetur cum SS. Trinitatis invocatione; ergo quantum est ex parte formæ; perficitur Sacramentum. Antecedens quoad partem controversam patet: quia minister actu abluendo pronuntians hanc formam, *baptizatus est talis*, &c. Sufficienter exprimit & indicat actum quem exercet in sui complemento, sive *in primò sui non esse*; in quo secundum Philosophos definit: *Forma illa valida est & tolerari potest.* *Conc. Florent. supra.*

non enim meliùs aut clariùs exprimitur actus in suo fieri, quàm in facto esse. Cum enim forma baptismi consistat in verbis, sive enuntiatione: enuntiato certam completam significationem non habet, nec veritatem, nisi in ultimo suo instanti: & cum iterùm forma baptismi practica sit, effectum similiter non habet, nisi in ultimo instanti pronuntiationis verborum, sive potius *in primo sui non esse*, in quo desinit, quæ ritè significantur verbo præterito, quod propriissimè *primum non esse* designat, in quo effectus Sacramentalis ponitur.

Forma baptismi quando habet effectum.

Modus loquendi Scripturæ.

Sic verò declaratur Primò, ex communi modo loquendi Scripturæ, quæ ubi aliquid indicat, quod in suo fieri velut completur, utitur verbo præterito: ita Matthæi 16. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*, id est, eo instanti quo in præsenti solvis, solvitur & in cœlis. Quomodo de puero Centurionis, *& sanatus est puer in illa hora*, id est, in designato illo tempore sanitas ejus completa est: & Christus in cruce dicebat: *Consummatum est*, id est, jam in instanti immediatè consummatur. Clarior res apparet ex verbis Dei in Genesi cap. 1. *Dixitque Deus fiat lux, & facta est lux*, id est, hoc ipso quo dixit *fiat*, sivè ipso instanti facta erat: juxta illud Psalmi, *ipse dixit & facta sunt*, id est, hoc ipso quo dixit, non autem postea: & infinita similia in Scripturis reperiuntur.

Matth. 16. vers. 19.
Matth. 8. vers. 13.
Joan. 19. vers. 30.
Gen. 1. vers. 3.
Psal. 148. vers. 5.

Verbum præteritum pro futuro.

Secundò, In modo loquendi Scripturæ verbum præteritum frequenter sumitur pro futuro ob certitudinem effectus, cur non in forma Sacramentorum similiter usurpari possit; cum in instanti immediato effectus infallibiliter sequatur.

Propositionis practicæ natura.

Tertiò, quia hæc est natura propositionis, sivè enuntiationis practicæ, cujus plenaria significatio & effectus, non nisi in ultimo instanti sive prolationis verborum completur, sive prolatis jam verbis, adeoque hujusmodi effectus optimè significatur per verbum *baptizatus est*, vel *baptizata est*, ut sit sensus: In hoc ultimo instanti verborum gratia baptismalis tibi collata est: Sive hâc immediatâ actione meâ ex aqua & Spiritu sancto renatus, vel renata es. Quemadmodum in forma Eucharistica: *Hoc est corpus meum*, his verbis non jam quod est, sed quod immediatè prolatis verbis futurum est significatur.

Præteriti verbi communis usurpatio.

Quartò, quia hæc est communis usurpatio præteriti verbi etiam in vulgari sermone: qui enim paciscuntur, vel contrahunt, jungentes dextras, ad manuum contactum dicere solent, factum est; per verbum illud præteritum significantes, quod in dexterarum junctione fit.

Grammat. loquendi modus.

Quintò, ex modo loquendi grammaticorum qui æqualiter usurpant istud complexum *baptizatus est*, sive ut *baptizatus*, est verbum, sivè ut est participium; ut verò participium, si verbo *est* conjungatur, indicat præsens tempus; sic enim in præsenti dicimus, *baptizatus est*; in præterito, *baptizatus fuit*; in futuro, *baptizatus erit*: Ex quo ad minùs ista enuntiatio *baptizatus est*, si *baptizatus* pro participio sumatur, erit enuntiatio præsentis temporis.

Verborum formæ publica usurpatio æquivalet institutioni.

Sextò, clarissimè & irrefragabiliter ex verborum horum publica apud Nestorianos Chaldæos usurpatione, quæ æquivalet institutioni. Ex quo enim una integra natio usurpavit hanc enuntiationem ad significandum actum præsentem, quem minister exercet, cum intentione faciendi quod Christus fecit, ex vi hujus usurpationis communis hæ voces *baptizatus est*, obtinuerunt publicam institutionem, adeoque non obstantibus apiculis gramaticorum, hæc enuntiatio ex vi hujus institutionis æqualiter ac sufficienter significabit actum baptizandi, qui modò exercetur à ministro, non minùs quàm ille, *baptizo te*, aut *baptizetur servus Christi*. Nec movendi sunt illis scrupuli; cùm enim ut supposui, non habeant hæresim aut errorem, quibus institutioni Christi contraire velle deprehendantur, censendi sunt non tantùm intendere quod Christus fecit, sed etiam velle hâc enuntiatione significare, & facere quod Christus fecit & significari voluit, nimirùm actum baptizandi præsentem, prout à ministro completivè exercetur.

Verba illa significant actionem, ut in præsenti completur.

Ex quibus omnibus patet responsio ad rationem dubitandi, ista enim enuntiatio *baptizatus est*, vel *baptizata est*, ex sua vi non tantùm significat actionem præteritam, quatenus præterita est, sed significat etiam actionem, quatenus in præsenti completur; & ad hanc postremam significationem determinatur sufficienter, tum ex usurpatione publica constanti & communi, tum ex circumstantiis individuis & singularibus.

CASUS II.

De baptismo dubio, quia collatus ab hæreticis.

Propositio Casus.

FRanciscus in Hollandia parentibus hæreticis honesto loco natus; & ut verisimile est, ab hæretico baptizatus: in fide autem vera Catholica Romana à pueritia educatus, postquàm ad Clericalem statum transiit, & sacris ordinibus, ac Sacerdotio insignitus fuit; in mentis anxietates & dubia incidit: an ejus baptismus validus fuisset;

ser? & an non esset, saltem sub conditione, à Cathulico sacerdote rebaptizandus? ratio anxietatis & dubij dumtaxat oriebatur: quud Pseudoministri interdum solerent in honestis & nobilibus Familijs ad splendorem baptizare in aqua rosacea, & odorifera: aliquando ad solemnitaté unus Pseudominister ex suggestu solemniter pronuntiahat formam, altero inferius infundente aquam, &c. Et obsimiles casus nullitatem Baptismi inducentes, Synodus Mechliniensis año 1607. à Paulo V. approbata Tit. 3. *de Bapt. c. 6.* ordinat. *ut ab hæreticis baptizati sub conditione rebaptizentur.*

Ratio dubij.

Decretum Synodi Mechliniensis anno 1607.

Quæritur.

1. *An talis, saltem sub conditione, ad cautelam rebaptizari debeat?*

2. *An etiam sub conditione iteratò confirmari; aut magis iteratò ordinari? Cum enim baptismus sit Sacramentorum janua, & character baptismalis prærequiratur ad characterem Ordinis & confirmationis: Qui validè baptizatus non esset, validè ordinatus non esset & consequenter Sacerdos sic ordinatus, nec Corpus & Sanguinem Christi in Missa conficere posset; nec Sacramentum Pœnitentiæ, aut extremæ unctionis validè ministrare.*

Pro resolutione firmiori, primò, credidi accurate examinandum: An in loco illo in quo Franciscus baptizatus fuit, relari abusus & errores in administratione baptismi irrepsissent, & frequentarentur. Secundo, an Franciscus præter timorem illum generalem, aliquod haberet fundamentum singulare quod prubabiliter timorem illum practicè fundare posset. Tertiò, an repetiretur in vivis aliquis qui ejus baptismati interfuisset. Et reperi de hujusmodi abusibus & erroribus circa baptismum in loco nativitaris nullam fuisse, aut esse memoriam; nec Franciscum posse allegare fundamentum singulare, vel signum, sive circumstantiam practicam ad practicum dubium fundandum. Etsi in aliquibus Hollandiæ locis hi abusus aliquando pro aliquibus nobilibus videantur sacrilege practicati, quamvis raro. Et quoad personam nullus reperiebatur, qui Francisci baptismati interfuisset.

Quæ fuerint examinanda primò.

Resolutio

RESpondeo itaque ad primum, non debere baptismum, etiam sub conditione quacumque, in persona Francisci reiterari. Ratio est: quia reiteratio talis debet fundari in aliquo vero aut probabili dubio practico, hic autem non est nisi timor, scrupulus, anxietas, ex generalibus & possibilibus, & ex turbata imaginatione originem ducens; talis autem timor, etiam in rebus gravissimis; ut in Sacramentorum administratione & sacrificij celebratione; propter irreverentiam Sacramentorum, & scandala magis retundi debet, quam similibus via aperiri. Sic enim scrupulosis frequentius provenire possunt scrupuli, aut timores de suo baptismate: ne forte Sacerdos non habuisset veram & validam intentionem baptizandi. Qui timores in nonnullis personis spiritualibus ex vacuitate cerebri, & hypocondriaca melancolia non raro nasci solent. Sed & aliquando vidimus turbatum unum integrum populum, cum Sacerdos aliquis Pastor, sivè Capellanus, ob ingentia crimina publico supplicio afficeretur: unde nascebantur suspiciones ne ex aliqua perfidia baptismo puerorum intentionem baptizandi non habuisset, & id genus. Quibus turbationibus non potuit remedium adhiberi, nisi (cum de his in judicio nil constaret) illus timores, & dubia retundendo. Alias indies infinitis hujusmodi succrescentibus scrupulis (si eis via aperiretur) infinitæ iterationes cum magna Sacramentorum irreverentia, & non sine periculo sacrilegij, fieri deberent. Ad Decretum Synodi Mechliniensis Respondeo absolutè & universaliter non concludere, omnes sub conditione rebaptizandos, sed tantum eos qui ex locis veniunt ubi supposità experientià, quod frequenter sivè (ut loquitur) *sæpe contra receptam Ecclesiæ consuetudinem* Hæretici baptizant, *uno* (ut ait) *aquam fundente, alio formam ipsam pronuntiante*, &c. Ubi itaque errores illi non cognuscuntur passim irrepsisse, Decretum ipsius Synodi non concludit. Imo ubi supponeretur aliquis ab Hæretico baptizatus esse, secundum ritum à Christo institutum, communi Doctorum sensu absque peccato sub conditione rebaptizari non posset: ne videremur baptismum ab Hæreticis collatum juxta institutionem Christi, condemnare; sivè reducere antiquum errorem quo nonnulli, ab hæreticis baptizatos rebaptizandos esse assumabant; contra quem errorem varia in Concilijs sancita sunt. Unde est illud S. August. *Epist.* 203. *ad Maximinum*: ut refertur à Gratiano *de Consec.* D. 4. C. *rebaptizare: rebaptizare hæreticum hominem qui hæc sanctæ Trinitatis signa susceperit, quæ Christiana tradidit disciplina; omninò peccatum est.* Et in Concilio Arelatensi. 1. c. 8. ibidem; de Arianis: *Si (inquit) prævideritis eos: in Patre & Filio, & Spiritu sancto esse baptizatos, manus eis tantùm imponant, ut accipiant Spiritum Sanctum.* Supponendus est igitur Franciscus ritè baptizatus cum nec de istis abusibus in loco nativitaris aliqua sit memoria; & alias nulli irrepserit ullum dubium à principio quo in

Non debet reiterari baptismus, ne quidem sub conditione.

Turbatio unius integri populi de valore baptismi.

Responsio ad decret. Synod. Mechl.

Quinam sint rebaptizandi.

Antiquus error condemnatus bap. ad Hæret. collatum juxta Christi institutionem.

S. August. apud Gratian. de consecr. dist. 4.
Conc. Arelat. 1.

pueritia inter consanguineos Catholicos educatus fuit, nec sui dubij speciale fundamentum adferre possit; & scrupulum contemnere debet.

Nec confirmatio, nec Ordines reiterari debent.

Ad secundum etiam respondeo: nec confirmationem nec Ordines debere etiam sub conditione reiterari, ijsdem rationibus quibus suprà.

Dices consequentia gravissima est ratione Sacerdotij: si enim baptizatus non esset, absolutiones peccatorum ab eo datæ validæ non essent, & infiniti periculo damnationis exponerentur. Parum enim videretur si baptizatus verè non esset baptismo fluminis, baptismo enim flaminis, sive voti censeretur baptizatus: sed periculosissimà consequentia esset pro absolutione peccatorum alijs data.

Sacramenta non possunt exponi irreverentia, ob timores scrupulosorum.

Respondeo ob nocturnos & scrupulosos timores in gravi suspicione non fundatos, Ecclesiam & Sacramenta tanta, non esse exponenda irreverentiæ, nec Ecclesiam turbandam; minus personis viam aperiendam ad hujusmodi scrupulos. Nec consequentia, aut periculum aliquid urget: sicut enim intentio Sacerdotis in Ministerio Sacramentorum debet præsumi sincera fuisse, quamdiu non probatur perversa: sic quilibet debet æstimari baptizatus; imo & Sacerdos, circa quem ceremoniæ factæ sunt, quamdiu non constat de errore, saltem per practicum dubium: nec majus de baptismo, quàm de Sacerdotio: aut econtra de Sacerdotio quàm de baptismo periculum est: sicut enim qui baptismum ob aliquem ritum essentialem omissum non vere suscepisset, baptismo voti sive flaminis salvari supponendus est: sic cujus peccata à non Sacerdote absoluta fuissent: illa per aliam confessionem legitimo Ministro factam indirectè absolvuntur, vel interdum etiam vi contritionis, imo Eucharistiæ & extremæ unctionis, remittuntur tamquam oblita, utpote quæ conscientiam movere non possunt, quia rationabiliter creduntur remissa. Unde iterum ad Concilij Mechliniensis ordinationem, dicendum est: illam supposito vero fundamento dubij quod adfert, ad cautelam prudentem quidem videri: ubi tamen in casu deficeret illud fundamentum dubij, prudentius omitteretur, nec generaliter & absque prudenti examine practicanda videtur.

Satisfit anxietatibus, & scrupulis in contrarium.

Respondeo iterum ad decret. Sin. Mech.



DE

SACRAMENTO ORDINIS, & nonnullis Reductorijs.

CASUS I.

De Ordinatione Sacerdotis dubia, ob non impositum vinum in calice, dum ordinaretur.

Propositio Casus.

IN quadam ordinatione Sacerdotum, dum porrigeretur ab Episcopo calix & patena tamquam materia ordinationis, etsi supra patenam fuerit posita hostia; in calice tamen inventum est vinum defuisse; hinc Titio sic ordinato supervenit dubium.

Quæritur.

1. *An ordinatio deficiente vino in calice porrecto sit valida, & in illa Titius ritè & valide Sacerdos ordinatus sit?*

2. *An debeat Titius reordinari?*

Causa dubij.

Magnam dubio causam dedit opinio quorundam Theologorum non mediocris auctoritatis, qui porrectionem calicis cum vino sicut & patenæ cum hostia superposita, putarunt ita esse de materia essentiali ad ordinationem Sacerdotis requisita, ut alterutro deficiente ordinatio nulla & invalida censeatur: quorum probatio principalis sumitur ex Concilio Florentino *sess. v.* & in Decreto sive instructione Armenorum, Eugenij Papæ. Et Tannerus *tom. 4. disp. 1. de ord. q. 2. dub. 4.* conatur hanc sententiam persuadere ex Concilio Tridentino asserens contrariam sententiam, falsam, erroneam, improbabilem. Unde infert Titium sic ordinatum absolutè debere reordinari.

Concilium Floren.

Tannerus

Resolutio Casus.

HOc dubio maturè expenso; & visis ac perpensis omnibus quæ ab Auctoribus in hac materia circumferuntur; sic mihi visum est ad dubia proposita respondere.

Ordinatio illa fuit valida.

Resp. itaque primò, ordinationem illam Titij factam per porrectionem calicis absque vino fuisse omninò validam & pro valida haberi debere, neque absolutè neque conditionaliter debere repeti in eo cui calix sine vino & patena cum hostia porrecta est. Ratio mea fundamentalis est: quia nullo reali fundamento vel Scripturæ, vel definitionis Ecclesiæ, vel traditionis in Ecclesia certitudinaliter receptæ, probari potest: porrectionem calicis cum vino esse de essentia

tia materiæ Sacramenti Ordinis Sacerdotalis: Imò contrarium magis Scripturâ, conciliorum auctoritate, & traditione constat: ergo si omittatur vinum in calicè, sive porrigatur calix absque vino, nullatenus repetenda erit ordinatio, etiam sub conditione. Quod explico.

Resp. ad rationem pulcr.

Tota ratio repetendi ordinationem, est dubium verum & practicum quod de omissione alicujus essentialis in collatione Ordinis oriretur: atqui hic ex omissione vini in calice porrecto nullum potest formari verum dubium practicum de omissione alicujus essentialis in collatione Ordinis: ergò nulla est ratio repetendi ordinationem etiam sub conditione.

Verè dubium in materia & forma sacramenti in quo debeat fundari.

Minorem probo. Omne enim dubium in materia vel forma Sacramentorum, ut verè & practicè dubium reperitur, debet fundari in aliqua scriptura, vel decreto Ecclesiæ, vel traditione certa, cujus transgressio dubium practicum movere possit. Non video autem allegari ab Auctoribus aliquid hujusmodi. Et primò quod allegat Tannerus supra ex Concilio Tridentino *sess.* 22. *c.* 1, & *sess.* 23. *can.* 1. Ita contortè & falsò allegatum est, ut nullam omninò cum hac quæstione connexionem habeat: nec (salvâ viri reverentiâ) satis mirari possum quomodo dictus Tannerus tamquam de Cathedra loquens contrariam sententiam ausus fuerit condemnare ut falsam, improbabilem, erroneam, & contra Concilium Tridentinum, & Florentinum, cum in hoc sanctos & illustres Doctores Ecclesiæ falsi & erroris insimulet, qui hanc sententiam nostram docent, & ex imis antiquitatis Ecclesiæ ruderibus eruunt: inter quos unus præ omnibus est *S. Bonaventura*, cujus auctoritatem inferius explicitam & apertam dabimus. Et ut ad Concilij Tridentini verba à Tannero citata veniamus: *Christus* (ait Concilium) *Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis (quos tunc novi testamenti Sacerdotes constituebat) ut sumerent tradidit.* Notate verba (*ut sumerent tradidit*) falsò ergo Tannerus imponit Tridentino, quasi per illam traditionem consecrasset illos Sacerdotes: non enim *tradidit*, nisi *ut sumerent*, verba sunt clara. Sequitur: *Et eisdem eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit, per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit.* Hæc ibi: Quid quæso hic ad rem de porrectione calicis cum vino, aut patenæ cum pane

Conc. Trident. sess. 22, cap. 1.

in consecratione Sacerdotis? An forte jam consecratam hostiam super patenam, aut consecratum vinum cum calice porrexit Christus discipulis, cum verba illa pronuntiavit, tamquam ordinationis formam? certè ante consecrationem porrigere debuisset! vel jam Episcopus exemplo Christi consecratam deberet porrigere (ut olim Græci) deberet etiam Episcopus verba illa in persona Christi: *Hoc facite in meam commemorationem* pronuntiare: si hæc forma fuerit à Christo instituta; quod infertur necessariò ex intellectu Tanneri: Quin & in una specie jam Sacerdotes consecrati supponerentur, cum verba illa legantur pronuntiata in porrectione Corporis sub speciebus panis. Quæ omnia ad rem non pertinent. Sensus itaque clarus S. Concilij Tridentini est: quod sicut Christus se declarans Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech cum Corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini obtulit, & Apostolis sumendum tradidit: sic eos Sacerdotes tunc constituens in ultima Cœna, illis præcepit, ut sub iisdem offerrent: Nihil verò de traditione instrumentorum ad eorum consecrationem, vel à longè, ibi insinuavit. Quid quid enim inde colligi potest, nil aliud est, quàm sub symbolis panis & vini, Corpus & sanguinem Christi & sumi debere, & offerri. Quod & aperte declarat Canon suprà allegatus: *Si quis dixerit non esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi, verum corpus & sanguinem Domini, & peccata remittendi & retinendi &c. Anathema sit.* In quibus verbis nihil de porrectione Calicis cum vino, &c. reperitur. Nec *Concilium Florentinum* aliquid definit tamquam Sacramento essentiale per se, sive ex omni sua parte: sed refert quod in Ecclesia pro materia assumitur, & assumendum est; non definiens: *An totum illud pertineat ad essentiam materiæ*, sub præcepto declarans, illud totum pro materia assumendum, tamquam necessarium. Quod vel ex hoc constat quod de *impositione manuum*, & *forma potestatis* & *ordinationis* ad remittenda & retinenda peccata, nullam fecerit mentionem, sicut nec *de unctione Sacerdotis* consecrandi, in quibus tamen magnam vim ponit Concilium Tridentinum sup. Can. 4. *Si quis dixerit per sacram ordinationem, non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum: aut per eam non imprimi characterem, &c. Anathema sit.* Et Can. 5. *Si quis dixerit sacram unctionem, quâ Ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantùm non requiri, sed contemnendam & perniciosam esse, similiter & alias ordinis*

Absurda ex Sent. Tanneri.

Conc. Trident. sess 23. de Sacram. ord. can. 1.

Idem Can. 4. & 5.

nu Ceremonias. Anathema sit. Ritum ergo Sacramentalis materiæ quoad consecrationem & potestatem sacrificandi in ordinis Sacerdotalis collatione retulit Concilium Florentinum, ut de illo Græcos, & Armenos qui varijs ceremonijs utebantur, instrueret; non definivit tamen quid in illa materia essentiale esset, quid accidentale. Quinimò, & Conc. Trident. *sess.* 23. *cap.* 3. noluit ullius ritus facere mentionem pro consecratione Sacerdotis, sed tantum in genere meminit signorum sensibilium *Cum* (inquit) *Scriptura testimonio, Apostolicâ traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem quæ verbu & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, ordinem esse verè & propriè unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentu: inquit enim Apostolus admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum*, &c. Ubi Concilium solius impositionis manuum in ordinatione mentionem facit. Quam etiam esse materiam indicat, & decernit *sess.* 14. *cap.* 3. ubi de Ministro extremæ unctionis loquens definit: *Ministros hujus Sacramenti esse aut Episcopos, aut Sacerdotes ab ipsis per impositionem manuum Presbyterij ritè ordinatos*, per hoc designans principalem materiam in hoc Sacramento ordinis Sacerdotalis esse *manuum impositionem.* Ut verò (cùm de dubio practico agatur) res ex suis fundamentis clarius proponatur, pono sequentes assertiones gradualiter ordinatas.

Explicatur Conc. Florent.

Concil. Trident. sess. 23. cap 1.

Idem sess. 14. c. 3

Dico igitur primò, ex Sacra Scriptura, decretis certis Ecclesiæ, & traditione constare signum materiale & visibile ordinationis fuisse impositionem manuum ab Episcopo factam. Colligitur ex S. Paulo 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum*: Et 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterij.* Ubi nonnulli per prophetiam intelligunt formam Sacramentalem quæ consistit in mystico & quasi prophetico, ac efficaci verbo. Et concordant omnia antiqua Concilia cum Tridentino supra allegato, cum Patribus citatis à Marchino *Tract.* 2. *de ord. p.* 8. *prop.* 3. *n.* 2. Quaquidem impositione manuum, etiam potestatem consecrandi Corpus Christi collatam Sacerdoti fuisse docet S. Ambrosius 1. ad Timoth. 4. *Prophetia* (ait) *est quâ eligitur quasi Doctor futurus idoneus: manus verò impositiones, verba sunt mystica, quibus confirmatur ad hoc opus electus, accipiens auctoritatem, teste conscientiâ suâ, ut audeat vice Domini sacrificium Deo offerre.* Ex quibus verbis colligitur impositione manuum potestatem sacrificandi concessam, junctis sive prolatis mysticis verbis: quod innuit Concilium Carthaginense 4. cum ritum Sacerdotes consecrandi referens: *presbyter* (ait) *cum ordinatur Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.* In quibus etiam verbis videtur in prima manuum impositione formam aliquam pronuntiatam, quâ daretur potestas in Corpus Christi verum. Quod significatum per hæc verba *benedicente Episcopo*: Docet Franciscus Hallier *in Tractatu de sacris electionibus & ordinationibus. Tit. de materia & Forma Sacramenti Ordinationis.* §. 14. Et de hac manuum impositione loquitur vetus Ordo Romanus *Tit. de ordine presbyte.* Stephanus Eduensis, Ivò Carnotensis, Hugo de S. Victore citati ab Hallier supra.

Impositio manuum Episcop. fuit signū visibile & mater. Ordinat.

2. Tim. 1. vers. 6.

1. Tim. 4. vers. 14.

Marchin.

S. Ambros in 1. ad Tim c. 4. vers. 14.

Conc. Carthag.

Francisc. Hallier.

Dico secundò, multo tempore in Ecclesia usurpatam non fuisse porrectionem instrumentorum, ut Calicis cum vino, & Patenæ cum Hostia. Id docet expressè S. Bonaventura *in* 4 D. 24. *p.* 2. *art.* 1. Q. 4. *in corpore responsionis ad argumenta.* Et in speciali Responsione *ad tertium* ubi refert in primitiva Ecclesia ordinationem in duobus ordinibus, *Presbyterio* scilicet & *Diaconatu* factam per *impositionem manuum* absque instrumentorum porrectione: Et in hoc distinguit duos ordines sacros *presbyterium* scilicet & *Diaconatum* à minoribus ordinibus: quod in sacris *ordinibus majoribus* fieret *impositio manuum*: in *minoribus* autem fieret *instrumenti traditio*: *quoniam* (inquit) *characteres sunt diversi habentes majorem dignitatem, & minorem secundum gradus potestatem. Ideo tam signa, quam verba diversificantur maximè in ordinibus sacris, & in minoribus: in ordinibus enim sacris quoniam datur ibi nobilis potestas & excellens, fit manus impositio, non tantùm instrumenti traditio, quoniam manus est organum organorum, in quo scilicet principaliùs residet potestas operandi. Unde sic ordinabant in primitiva Ecclesia, ubi non nisi isti duo ordines explicitè erant: sed in minoribus ordinibus fit traditio alicujus instrumenti, ut clavis, & libri, vel exorcismi*, &c. Et superius dixerat: *Hoc* (inquit) *pro generali regula habendum est: quod in illo signo exteriori imprimitur character in quolibet ordine, in quo principaliùs potestas, quam respicit ordo, signatur tradi ordinato.* Hæc ibi, hoc autem in primitiva Ecclesia fuit manus Episcopalis impositio in ordine Sacerdotali.

Porrectio Calicis cū vino &c. multo tempore nō fuit in usu in Ecclesia.

S. Bonav.

Huic

Qualiter Ecclesia Græca ordinarit presbyteros

Huic sententiæ S. Bonaventuræ concordant antiqua Concilia Carthag. 4. Toletanum 11. Et refertur *c. presbyter* & *cap. quorumdam clericorum. d.* 23. Quinimo totam Ecclesiam Græcam non aliter presbyteros ordinasse refert Hallier sup. §. 8. quàm per *impositionem*, scilicet, *manuum* cum hac forma: *divina gratia, creat talem presbyterum*, &c.

Traditio Calicis cũ vino &c. successu temporis introducta

Dico tertiò, successu temporis ad expressiorem significationem Ecclesiam ordinasse, ut *impositioni manuum* sive verbis factæ, succederet *traditio Calicis cum vino*, *& patena cum pane*, & tunc demum verba formæ pronuntiatentur. Hoc ad summum probant quæcumque ab auctoribus in totius casus explicatione citatis, variè referuntur. Et expressè docet S. Bonaventura supra in responsione ad tertium. His verbis: *Ad illud* (inquit) *quod obycitur de libri vel vasis traditione, dicendum, quod sicut omne instrumentum, sive armatura in virtute manus est: sic etiam per impositionem manuum, ubi deessent talia possunt signari: unde sicut post videbitur, in impositione manuum in Ecclesia primitiva, cæteri ordines implicabantur, qui postmodum processu temporis explicati sunt, & quantum ad verbum, & quantum ad signum, & quantum ad personas.* In quibus iterum verbis, notandum est specialiter quod S. Bonaventura asserit in *impositione manus*, cætera signa implicite in primitiva Ecclesia, implicata sive contenta fuisse. Item: *Ubi talia signa deessent, in virtute impositionis manuum signari potuisse.*

S. Bonav. ubi supra.

Qualiter Ecclesia instituerit traditionẽ Calicis cũ vino, &c.

Dico quartò, Ecclesia ad singulariorem & expressiorem significationem traditionem calicis cum vino, & patenæ cum Hostia, sive pane instituens, *singula non instituit ut essentialem materiam Sacramenti ordinis simpliciter, sed ut integralem & necessariam necessitate præcepti.* Hæc assertio mihi certa est, ex primitivæ, & totius Ecclesiæ Græcæ sensu: cùm enim Ecclesia non possit materiam Sacramentorum instituere, sed supponatur deberi uti materia instituta à Christo, sive in genere, sive in specie: si porrectio istorum quoad singula, nimirum, calicis cum vino, & patenæ cum pane sint materia essentialis ordinis; sequitur nullum in tota Ecclesia primitiva, & in universali Ecclesia Græca, fuisse legitimè consecratum Sacerdotem: quia utique defuit materia essentialis Sacramenti ordinis, videlicet, porrectio calicis cum vino, & patenæ cum pane. Quod intollerabilem Ecclesiæ errorem affingit, toto tempore quo solâ manus impositione usa fuit pro materia (aut quo tam singulariter istis sic specificatis) usa non fuit. Certos enim ritus Ecclesiæ Græcæ attribuit Hallier supra, ut porrectionis panis solius, sive consecrati, sive non consecrati, & accidentales æstimat; & sine dubio varij ritus fuerunt in Ecclesia universali à tempore Apostolorum in ordinationibus; sicut & in sacrificijs, juxta varietatem temporum, qui quamvis ad materialem integritatem tamquam partes integrales pertinerent, nunquam tamen pro essentialibus sunt reputati. Unde passim antiqui Theologi, modo calicis sine vino, modo patenæ sine pane meminerunt: quod non ita inadvertenter fecerent, si illa de essentia materiæ forent. Et ita loquitur Scotus *in* 4. *dist.* 24. *qu. unica n.* 8. Ubi postquam dixit, dari in Sacerdotio duas formas partiales, subdit: *Istæ* (inquit) *conjunguntur duæ materiæ hoc est duo signa visibilia propria: Forma prima, traditio calicis & patena cum Hostia*, &c. Ubi nullam facit mentionem vini in calice. Et D. 19. *q. unica num.* 11. *Sicut* (inquit) *sunt duæ potestates, ita duo characteres, & uterque imprimitur in signo proprio sensibili, significante illud invisibile: utpote, primus in datione calicis, cum illis verbis, accipe potestatem celebrandi*, &c. Ubi iterum porrectionis calicis solius mentionem facit, nulla facta mentione aut vini, aut Hostiæ, aut patenæ.

Ecclesia nõ potest instituere materiam Sacramenti.

Ritus Ecclesia Græca.

Scotus.

Idem.

Omissio vini in Calice, &c. qualis sit.

Dico igitur quinto, omissionem vini in calice aut Hostiæ super patenam, esse tantum omissionem partis materiæ integralis, sicque non esse repetendam ordinationem absque illis factam: peccare tamen mortaliter qui scienter, vel ex gravi negligentia omitteret aliquid illorum. Prior pars patet ex supra dictis. Ratio autem posterioris partis est: quia in re gravi significationem Sacramentalem mutilaret, in signo gravi ab Ecclesia instituto.

Responsio universalis

Ad Argumenta contraria.

Resp. ad Conc. Florent.

AD Concilium Florentinum clara est responsio. Cum enim Eugenius. 4. instrueret Armenos, qui Græci erant; & ad unionem Ecclesiæ redibant: illos de ritibus in materia ordinationis juxta usum Ecclesiæ Latinæ instruere voluit: & quia *impositio manuum* (quæ est principalior materiæ pars) Græcis in usu erat, illius mentionem non fecit, sed solum de porrectione calicis cum vino, & patenæ cum Hostia (quæ ex parte materiæ ad expressiorem significationem pertinebant) exemplificative loquens, illos instruxit; ut se Romanæ Ecclesiæ ritibus conformarent ad majorem unionem:

Nec

Nec tamen de essentia illius aliquam fecit mentionem.

Resp. ad auctoritatem Doctorum.

Ad auctores dico: eorum auctoritatem in re tanta nihil concludere, nisi vel scripturam, vel aliquam Ecclesiæ diffinitionem, vel traditionem invariabilem referant: nullam autem in illis reperio: imo ut supra & scriptura & concilia, & traditiones potissimum impositionis manuum faciunt mentionem: solum Concilium Florent. refert ritum Ecclesiæ ad materiæ integritatem pertinentem, ratione quâ supra.

Qui intelligendum in dubiis in materia Sacramentorum tutior pars est eligenda.

Ad rationem quæ ex omnibus erui potest, nimirum: in dubijs, in materia Sacramentorum necessaria, securiorem partem esse eligendam: maximè ubi gravia mala sequerentur, & in præsenti casu: utpotè quod talis nunquam valide consecraret, quod non valide absolveret, &c.

Respondeo: simpliciter verum dubium practicum non posse ex omissione vini in calice porrecto, formari de invaliditate ordinationis: quia (ut dixi) nullum est fundamentum quod materiam reddat dubiam quo ad essentiam: quemadmodum enim panis & vinum sunt partes materiales unius ejusdemque signi, sic & eorum porrectio. Et ut bene notavit *S. Bonaventura* supra etsi ex illis explicatior significatio fiat, in signo tamen essentiali implicitè continentur, & in primitiva Ecclesia continebantur in impositione manuum. Quæ autem ad explicatiorem significationem instituuntur, certum est se habere per modum additamenti, & partis integrantis. Et quæ adduntur ab auctoribus, vel speculationes sunt, vel conjecturæ, & ut notavi plurimi auctores malè citantur.

S. Bonav.

Summarium totius Resolutionis.

MEa igitur sententia est ordinationem illam, quæ facta est per porrectionem calicis, & patenæ cum pane, omisso solo vino, validam & legitimam esse, nec reiterari debere, sed dubium quod speculativum tantùm reputo, deponi liberè posse. Quod si quis auctoritate Doctorum contra sentientium permotus scrupulizet, aut dubium practicum sibi formet; quod vult faciat. Nolo præjudicare cæteris. Apud me tamen sententia mea hæc non modo probabilis, sed etiam certa est ex fundamentis præjactis. Videatur hujus casus materia latius digesta *Tom. 3. Tract. 6. Tit. 6. Quæst. 3.*

CASUS II.

De adolescente Subdiaconatum suscipiente ex metu reverentiali; & Pontificia dispensatione subsecuta.

TItius adolescens filius-familias degens sub cura parentum, variis & instantissimis solicitationibus matris, metu reverentiali movente suscepit ordinem Subdiaconatus, in quo tamen facti pœnitens nunquam ministravit. Recurrit itaque ad summum Pontificem, & supplicavit pro dispensatione; allegans metum cadentem in constantem virum: Summus Pontifex remisit cognitionem causarum allegatarum ad Reverendissimum Episcopum N. vel ejus officialem, ut inquireret de veritate allegatorum, & si preces veritate niterentur, dispensaret, &c. Officialis accepto brevi Apostolico juridicè de causa cognoscere voluit.

Proponitur casus.

Quæritur

PRimò. *An metus reverentialis parentum, junctus solicitantibus importunis matris æquipolleat, & dici possit metus cadens in constantem virum!*

2. *Qualiter metus ille debeat probari!*

3. *Quid virtute commissionis Apostolicæ committatur Reverendissimo Episcopo N. sive ejus officiali: Et an juridicè de causa seu veritate precum cognoscere possint vel debeant?*

Resolutio I. Quæstionis.

AD primam Quæstionem Resp. Metum reverentialem etiam respectu matris (maximè si conjungatur solicitationibus importunis, & aliis similibus mediis) reputari & æquivalere in adolescente filio-familias timorato & meticuloso, sub cura parentum degente, & ab iis dependente, metui cadenti in constantem virum. Hanc sententiam docet & pluribus auctoribus allegatis tamquam probabiliorem sequitur Sanchez *l.4. de Matrimonio disp. 5. num. 5. & num. 7. & 8.* & majori ratione eandem sequuntur, qui asserunt matrimonium & professionem annullari per preces importunas, una cum metu reverentiali conjunctas; sicut annulantur per minas cum eodem metu; pro qua sententia Sanchez sup. *n. 5. ad finem* citat Couvarruviam, Villalobos, &c.

Metus Reverentialis etiam respectu matris censetur interdum cadens in constantem virū.

Pro qua resolutione perfectè penetranda advertendum est: Metum cadentem in constantem virum ex tribus mensurari debere. Primò, Ex persona metum inferente, cui nimia obligatio debetur, ut est parens,

Metus cadens in constantem virum ex tribus est mensurandus.

parens, maximè si magnâ auctoritate, animositate, austeritate, gravitate polleat apud filios: ita ut magno illis timori sit & formidini. Secundò, ex persona metum patientre, quæ de se timida & pusillanimis est; ut constat de Filijs familias, qui interdum plus timent oculum parentum, plusque feruntur apprehensione indignationis, molestiæ, & aversionis ipsorum, quam gravi malo ab externa persona illato. Tertio, ex objecto vel modo inferendi: etsi enim interdum nec minæ nec verbera interveniant, torvus tamen vultus, indignatio, timor diminutæ dilectionis, vel damni alicujus in dispositione bonorum, vel durioris tractationis, & hujusmodi, sæpe metum cadentē in virum constantem causant; ut proh dolor frequenter experimur in Filiis familias, qui inviti ad religiones, & status capessendos contra propriam voluntatem velut coguntur.

Metus in uno levis, in alio interdum est gravis. Ex quibus quidem capitibus: cum sæpe metus, qui in uno censetur levis in aliu gravissimus reputetur; jure decretum est, ut ubi aliqua dubietas supperit, arbitrio judicis vel personæ gravis in foro externo, in interno autem arbitrio confessarij aut viri prudentis relinquatur; ut tenent communiter DD. cum Glossa in *Cap. cum dilectus de hu quaxi, &c.*

Ubi igitur constat de gravi metu reverentiali, accedentibus solicitationibus gravibus, ratione quarum Filius-familias reformidat indignationem gravem, aversionem. torvum vultum, duriorem tractationem, privationem alicujus portionis notabilis in distributione bonorum, vel amicitiæ, maximè ubi parer vel mater multa auctoritate in proles pollent, judicandum est juxta circumstantias rerum & personarum, de metu reverentiali æquivalente metui cadenti in virum constantem.

Metus reverentialis respectu matris unde. Dixi in resolutione *etiam respectu matris:* solent enim matres sæpe animosiores esse, & feveriores in proles ac imprudentiores, ita ut indignatio matris apprehensa plus torqueat sæpe, quàm apprehensio patris, utpotè quod matres soleant frequenter etiam patres ad indignationem adversus filios concitare. Hoc notat etiam Sanchez *sup. D.6. n.30.* citans Franciscum Aretinum & Gutier.

Resolutio 2. Quæstionis.

Ad astruendum illū metum, quid illa adolescens probandū. RESp. ad 2. Quæstionem *sufficere nominato adolescenti* si probet matris in familia auctoritatem, animositatem & potestatem quam in proles habebat, ratione cujus Filius-familias potuit gravi metu reverentiali percelli, utputè ne indignationem ejus incurreret, ne in dispositione familiæ & bonorum damnum pateretur, aut durius tractaretur. Similiter si prober solicitationes adhibitas per personas graves aut etiam importunas: si mater mentem suam aperuit aliquibus inducendi filium ad statum Ecclesiasticum. si despexit apud alios filiū, quasi vitæ sæcularis incapacem: si denique signa ostendit quibus sibi curæ singularis & solicitudinis esse manifestavit, ut filius Ecclesiastico statui manciparetur.

Ratio est: quia hæc omnia virtualem coactionem dicunt, & Filio familias sub matris imperio & auctoritate constituto, metus reverentialis causæ sunt; & solicitationes aliæ ac circumstantiæ (de quibus supra) ætati, educationi, & innato timori filiorum familias, metum æquipollentem metui in constantem virum cadenti, concurrentibus supradictis circumstantiis sufficienter incutiunt. Hic autem sufficit, juxta dicta, ut arbitrio judicis censeatur metus in constantem virum cadens; sive illi respectu personæ individuæ, æquivalens.

Resolutio 3. Quæstionis.

Ad quid teneatur Episcop. vel Officialis ex vi commissionis Apostolicæ. VIrtute commissionis Apostolicæ factæ reverendissimo Episcopo sive Officiali, idem conceditur, quod in similibus commissionibus pro dispensatione in votis religionis & castitatis perpetuæ concedi solet; nimirum ut extrajudicialiter tantùm examinato metu allegato, & reperto quod preces veritati nitantur, supplicanti auctoritate Apostolica indulgeatur dispensatio in oneribus, quæ ordini Subdiaconatus sunt conjuncta: est praxis communis litterarum hujusmodi Apostolicarum.

In subdiaconatu tria continentur. Pro cujus resolutionis pleno intellectu advertendum est primò, tria in Subdiaconatu contineri, *impressionem characteris per ordinationem ipsam, votum castitatis Subdiaconatui annexum, & obligationem legendi horas canonicas:* Quantum primum, id est, impressio characteris supposita intentione ejus qui ordinatur, etsi contra voluntatem consentiat, si verè consensit, ita indelebiliter & indispensabiliter imprimitur, ut sicut nec deletionem, sic nec dispensationem patiatur. Dispensatio itaque quæ supposita veritate allegatorum mediante Episcopo vel officiali indulgetur, non est nisi dispensatio voti castitatis Subdiaconatui annexi, & obligationis ad horas canonicas legendas, quoad forum externum Ecclesiæ; ut nimirum qui tali metu probatur suscepisse Subdiaconatum, in foro externo declaretur posse nubere, & ad horas canonicas non obligari.

In quibus potissimū dispensatio.

Dispensatio in quo casu sit forum externum.

Dixi (*quoad forum externum Ecclesiæ*) supposito enim in fore interiori metu cadente in constantem virum, & ei æquivalente, licut susceptio habetur pro involuntaria & extorta, sic & votum castitatis illam consequens, & obligatio ad horas canonicas censetur involuntaria, adeoque in foro conscientiæ votum illud est irritum & nullum, quia à principio non stetit defectu liberæ voluntatis, & obligatio ad horas, censetur similiter invalida: quia tamen susceptio illa Subdiaconatus fuit publica, & in forum externum Ecclesiæ transijt, votum castitatis in illo foro obligavit, & servitus legendi horas canonicas suscipienti Subdiaconatum inducta est: ideoque opus est dispensatione Ecclesiæ quantum ad forum externum: & hæc est dispensatio quæ per litteras Apostolicas indulgetur.

Ad dispensationem illam quæ cognitio requiratur ex parte Episcopi vel Officialis.

Advertendum secundò, ad hanc dispensationem non requiri actum sive cognitionem judicialem, sed sufficere cognitionem extra judicialem quæ Reverendissimo Episcopo vel officiali demandatur, ita ut tali cognitione adeptâ, sequatur in foro externo dispensatio, quæ non est aliud, quàm benigna relaxatio voti, & obligationis quam in foro externo qui susceperat Subdiaconatum (etsi involuntariè) sibi induxerat. Unde Officialis per litteras Apostolicas non constituitur Judex, sed executor gratiæ Apostolicæ, ubi de veritate allegatorum illi constabit. Porro hæc omnia declarantur ex praxi similium dispensationum Ex. g. obtinuit aliquis, allegatis causis coactionis vel metus, dispensationem in voto religionis, vel castitatis publicè emisso: Papa per litteras Apostolicas ita dispensat ut tamen causarum cognitionem remittat Reverendissimo Episcopo Diœcesano, vel ejus Officiali: Episcopus vel Officialis non debent judicialiter cognoscere de causis, sed extrajudicialiter tantùm: ratio est: quia dispensatio illa est actus *favoris* & *gratiæ*, quæ non tangit forum contentiosum (aliud est enim quandò ageretur de juridica annullatione vel irritatione) ita in præsenti: quando Papa dispensat in voto castitatis per susceptionem involuntariam, sive coactam Subdiaconatus, in foro externo obligante; committens cognitionem metus vel involuntarietatis Episcopo, vel Officiali: cum ista dispensatio sit actus *favoris* & *gratiæ*, quæ sit extra omnem strepitum judicij, cognitio similiter extra judicialis & absque concursu fori contentiosi adhibenda est: aliud esset, si qui suscepit involuntariè subdiaconatum, vellet procedere juridicè ad ejus, sive voti & obligationum consequentium irritationem & annullationem juridicam, ut fit interdum in religiosis contra professionem solemnem reclamantibus; tunc enim judicialiter procedendum esset, & strepitu judiciali res absolvenda: Et isto casu Episcopus & Officialis constituuntur Judices delegati: In præsenti autem casu quo Papa committit Episcopo, vel Officiali cognitionem metus & causarum allegatarum in supplica pro dispensatione gratiosa, non tam constituit illos (ut supra dixi) judices nullitatis vel subsistentiæ voti castitatis, & obligationum consequentium susceptionem Subdiaconatus; quam precum sive supplicis libelli, veritate cognitâ, executores, & declaratores *favoris* & *gratiæ* quæ per dispensationem & literas Apostolicas indulgetur. Et hæc est praxis omnium dispensationum & gratiarum Apostolicarum: Aliàs esset inutile recurrere Romam, cum Episcopus & Officialis in foro contentioso sint ordinarii judices nullitatum: Igitur recapitulando dicendum est Reverendissimum Episcopum vel ejus Officialem in his litteris *gratiæ* & *favoris Apostolici* debere tantùm se debitè extrajudicialiter informare de allegatis à Titio, & cognito quod preces & supplica facta summo Pontifici veritate nitantur, cum illo dispensare, sive illum dispensatum declarare.

Quando in similibus judicialiter debeat procedi.

Praxis dispensationum Apostolicarum.

CASUS III.

De alio prætendente se metu reverentiali matris initiatum ordine Subdiaconatus, & dispensatione Pontificia obtenta.

Propositio Casus.

ADolescens nobilis clericus subdiaconus diœcesis anonymæ, prætendens se, *metu cadente in constantem virum* potissimum, à matre incusso, subdiaconatum suscepisse, petiit à sanctissimo D. Urbano VIII. dispensationem ab ordine subdiaconatus, & obligationibus dictum ordinem consequentibus. Quam & obtinuit remissa executione litterarum Apostolicarum ad Reverendum D. Officialem anonymum, cum commissione cognitionis causæ, sive metus à supplicante allegati.

Institutio examinis & processus.

Reverendus D. Officialis examen & processum instituit, opponente se contra supplicantem promotore curiæ Episcopalis.

Probationes suas exhibuit Dominus supplicans, intendens probare metum reverentialem æquipollentem in filio-familias parentibus subdito & meticuloso, metui cadenti in constantem virum juxta communem Doctorum sententiam.

Sum-

Summarium probationum D. Supplicantis pro metu reverentiali aequivalente metui cadenti in virum constantem.

Probationes supplicantis. Prima, à conditione subjecti suæ personæ; quod conditionis & qualitatis melancolicæ, timidæ & meticulosæ, ac scrupulosæ quod sub ferula, & multo parentum metu educatus.

Secunda, à complexione, & imperioso, seu severo regimine matris in familia, ita ut nulla proles auderet vel mutire, vel oculum levare, aut vel modicum ab illius voluntate & nutu discrepare, patre de familia non curante, &c.

Tertia, ab aversione quam conceperat mater adversus Dominum supplicantem majorem natu, quem despiciebat, ut ingenij vilis, abjecti, fatui, & inepti ad successiones paternas, prout sæpius, & coram pluribus testata est.

Quarta, ab intentione obliqua & inordinato affectu promovendi secundò genitum ad feuda, & successiones, remoto per statum religiosum, vel Ecclesiasticum Dommo supplicante.

Quinta, à sollicitationibus per personas spectabiles, & religiosas factis quæ Ecclesiasticum statum non modo suadebant, sed etiam à sæculari absterrentes ejus conscientiam, ad salutem supplicantis Ecclesiasticum statum necessarium affirmabant.

Sexta, à tacitis minis, per subtractionem eorum quæ ad honestam sustentationem pertinebant.

Septima, ab allectione matris, quâ semel præter morem pecuniam profudit, ut adolescentem alliceret ad statum Ecclesiasticum.

Octava, à timore rationabiliter ex multis signis à D. Supplicante concepto, nè portione bonorum privaretur, vel aliquâ notabilis partis exhæredatione mulctaretur, si matris beneplacito non consentiret. Qui quidem timor multum poterat commovere animum adolescentis, maximè cum sentiret animum matris à se aversum, & ad secundò genitum conversum in causa successionis feudorum, &c.

Nona, ab aversione quam supplicans habebat à statu Ecclesiastico, & contraria inclinatione ad statum laicalem & matrimonium.

Decima, ab involuntario, actionibus consequentibus satis testato, & manifestato, quippe quod nunquam in ordine Subdiaconatus ministraverit, quod vix horas canonicas legerit, quod nil vitæ clericalis io moribus ostenderit.

Resolutiones.

Hæ omnes probationes suis testibus & fundamentis muniuntur, in instrumentis exhibitis coram judice, & in examine testium.

Summarium probationum & oppositionum D. Promotoris opponentis contra supplicantem.

Contra probationes Promotoris. Oppositiones sivè contra probationes D. Promotoris contra Supplicantem tribus ferè constant: videlicet, negativis argumentis, affirmativis conjecturis, & responsionibus ad allegata Domini supplicantis.

Negativa argumenta in hoc versantur, quod D. Supplicans foris non demonstravit, se involuntarium, nec signa aliqua dedit, prout nititur probare ex negativis testimonijs Patris, Avunculi, Dominorum Vicariorum, &c.

Affirmativa autem in eo: quod ipse dimissoriales per se à RR.DD. Vicarijs petierit. Quod cum ageretur de titulo patrimonij, multo itinere & labore institerit ut acceptaretur: quod Canonicatum prosecutus fuerit: quod petierit à quibusdam Pastoribus edoceri in lectione horarum.

Responsiones verò ad allegata D. Supplicantis sunt elusoriæ, potissimum circa matris pietatem, quæ justè suadebat salutarem statum filio, quæ pro sua pietate & probitate noluisset Deum offendere, &c.

Replicationes D. Supplicantis contra promotorem.

Replicationes Supplicantis. Retorsiones & replicationes D. Supplicantis contra Promotorem in hoc maximè consistunt.

Primò, quod negativæ nihil probent. Addit verò Reverendissimum Episcopum urbis N. ex signis novisse involentarium ad ordinis susceptionem D. Supplicantem accessisse. Imo ex eodem metu processisse, quod involuntarium dissimulaverit, ne matri causam indignationis & aversionis magis ministraret.

Secundò, quoad positivas prosecutiones allegatas dicit, easdem processisse ex eodem metu: ut enim aucupàretur aliquam gratiam matris, cum simularet se consentire, debuit consequenter ea exequi quæ consensum (licet involuntarium) probarent: prosecutum verò canonicatum amore commodi, casu quo cogeretur in statu Ecclesiastico permanere.

Tertio, quoad horas, asserit se interdum illas legisse, & instrui in illis postulasse ex pravio errore, quo credidit se obli-

gati, cum non constaret se posse à subdiaconatu dispensari, &c.

Ad matris pietatem & probitatem allegatam, D. Supplicans, ut pius filius, non vult matrem de peccato manifesto & cognito notare. Sufficit quod indiscretio mulieris, & error in intellectu, denique excessus in modo prosequendi intentum finem (prout plurimum in mulieribus & matribus accidit) causaverit metum in filio timido, melancolico, scrupuloso, sive a prava matris intentione provenerit, sive ab erronea & excessiva in modis & circumstantijs, prout probabile se credit D. Suplicans.

Quæritur.

Quid in omnibus supradictis juris?

Littera Apost. sunt gratia qua innititur justa rationi. Adverto primò, litteras Apostolicas, neque esse rigorosæ justitiæ, neque meræ gratiæ: sed mixtæ, seu (ut in terminis loquamur) justæ & rationabilis gratiæ sive gratiæ quæ innititur justæ rationi à Supplicante allegatæ.

Metus allegatus qua examinandus. Adverto secundò, examen justæ rationis, sive metus allegati non debere judicio juridico rigorosæ justitiæ examinari: sed sufficere D. Officiali litterarum Apostolicarum executori cognoscere de veritate allegationis ex modis & circumstantijs, prout in similibus fieri solet. Ratio est: quia si requireretur judicium juridicum & examen rigorosæ justitiæ: literæ Apostolicæ non essent gratiosæ nec utiles: cum possit Episcopus quilibet de coactione & metu judicare, & consequenter de obligatione & non obligatione.

Interdum æquivalet metui cadenti in constantem virum. Sanchez. Adverto tertiò, metum reverentialem circumstantionatum in Filiis-familias respectu parentum, interdum æquivalere metui cadenti in constantem virum, ut probant Doctores passim; ut videre est apud Sanchez *l. 4. de matrimonio disp. 6. num. 5. 7.* &c.

Responsio.

Potest & debet D. Officialis stare probationibus moralibus. Resp. itaque primò, Reverendum D. Officialem posse, imò debere stare probationibus, quæ rei veritatem moraliter in æstimatione prudenti adstruunt, etsi non in rigore convincenti rigorosæ justitiæ & juridicæ sententiæ. Ratio est: quia moralis probatio veritatis sufficit ad gratiam pontificiam rationabiliter promerendam, quia (ut dixi) *litteræ Apostolicæ non sunt justitia rigorosæ, sed gratiæ justæ, sive quæ innititur justæ rationi.*

Omnia allegata à Supplicante simul sumpta satis probant metum, &c. Resp. secundò, etsi singula non convincant in rigoroso & juridico judicio; omnia tamen simul sumpta à D. Supplicante allegata & probata, sufficienter probare metum reverentialem æquivalentem metui cadenti in virum constantem, prout tenet Sanchez cum plurimis Doctoribus suprà. Omnia enim simul sumpta magnam in æstimatione prudenti inducunt de isto metu opinionem, & moralem certitudinem concludunt: quinimò ad rigorosam justitiam sufficeret in nonnullis suppletio per juramentum Supplicantis. Addo, quod in similibus materijs nunquam adhibeatur tanta violentia exterior, quæ non habeat suum pallium: & quod maternæ instantiæ, & sollicitationes junctæ cum passionibus mulieribus, etiam in pijssimis fœminis, urgeant mirabiliter infirma prolium ingenia.

CASUS IV.

De ordinando extra tempora à proprio vel alieno Episcopo de licentia proprij, virtute privilegij Apostolici.

Proponitur casus. Titius obtinuit à sede apostolica privilegium, ut ad Diaconatus & presbyteratus ordines extra tempora, &c. ordinaretur, vel à proprio Episcopo sive ordinario, vel ab alieno de licentia ordinarij, cum testimonio vitæ, ab ordinario concedenda. Contigit autem litteris Apostolicis advenientibus ordinarium mortuum esse, & sedem Diæcesanam vacare, nondũ anno à morte Episcopi expleto.

Quæritur.

An Vicarij Generales, sive Vicariatus sede vacante, & nondum expleto anno à morte Episcopi, possint dare Titio dimissoriales, & supplere tam licentiam ordinarij, quam testimonium vitæ ab ordinario accipiendum?

Concil. Tridenc. Ratio dubitandi: quia Concilium Tridentinum *sess. 7. cap. 10. de reform.* id vetat. *Non liceat* (inquit) *Capitulis Ecclesiarum sede vacante infra annum à die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis dispositione, quàm etiam cujusvis privilegij aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficij Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere, &c.* Addit pœnam interdicti capitulo concedenti.

Reso-

Resolutio.

Potest vicariatus dare dimissorias litteras.

VIcarius sede vacante, etiam intra annum, potest dare dimissorias Titio habenti à sede Apostolica dispensationem, ut à quocumque Episcopo, etiam extra tempora & non servatis interstitijs ordinetur. Ratio est: quia in similibus nomine *ordinarij* intelligitur capitulum sede vacante, sive vicariatus; ut bene notat Marchinus *Tract. 1. de sacram. ordin. p. 6. c. 3. n. 17.* sicque se habet praxis communis.

Marchin.

Respondetur ad Concil. Trident.

Nec obstat Concilium Tridentinum in ratione dubitandi allegatum; intelligitur enim de potestate ordinaria capituli sivè vicariatus, quæ illi (nimitum capitulo) *vel ex dispositione juris communis, vel ex privilegio, aut consuetudine* competeret, cui intra annum vacationis Concilium Tridentinum derogat: in præsenti autem casu vicariatus non dat dimissorias, licentiam, aut testimonium potestate ordinariâ, sed delegatâ, & sibi adveniente ex vi litterarum apostolicarum & dispensationis actualis Titio concessæ, idque tamquam accessorium: litteræ enim apostolicæ principaliter intendunt dare dispensationem, ut Titius extra tempora, etiam à quocumque Episcopo ordinetur: sed quia id congruè fieri non potest sine licentia ordinarij, & testimonio vitæ: dat ordinario potestatem sive potius imponit, ut licentiam donet, & testimonium vitæ relaxet, tamquam ex consequenti, sine accessorio ad dispensationem requisito. Itaque cum dispensatio sit extraordinaria, & in casu communem legem relaxans, consequenter & licentia & testimonium extraordinaria auctoritate, & in casu legem communem relaxante, dantur: & cum illa dispensatio relaxet legem Tridentini in principali, de ordinandis intra tempora, etiam consequenter relaxat legem in donatione licentiæ vel testimonij ab ordinario, sive à capitulo, vel vicariatu sede vacante, cum sit eventus planè accidentalis, quod sedes Episcopalis advenientibus litteris vacet, adeoque, quidquid potuit ordinarius vivens quoad licentiam, & testimonium in vim litterarum Apostolicarum cum Titio, hoc totum potest vicariatus sede vacante; & hoc quidem convincitur ex texto litterarum Apostolicarum, quæ non tantùm ordinario dant licentiam, sive potestatem dandi licentiam, ut Titio ordines conferantur, sed immediatè dat licentiam cuilibet Episcopo à Titio eligendo; sicenim habent verba: *Necnon* (inquit) *ordinario tuo, seu alij antistiti per te eligendo, præfatos ordines hujusmodi tibi conferendi licentiam impertimur.*

Quid litteræ Apostol. ca principaliter intendant.

Itaque omninò censeo dum, quod sicut Titius juxta litteras Apostolicas potest ordinari à quocumque Episcopo extra tempora etiam non obstantibus quibuscumque Concilij Tridentini, aut juris communis reservationibus: ita possunt Titio concedi litteræ dimissoriales, sive potius licentia, & testimonium vitæ à vicariatu propriæ diœcesis intra annum sede vacante: quia in similibus sub nomine ordinarij, capitulum sivè vicariatus intelliguntur; nec in hoc opus fuit derogare *Concilio Tridentino sess. 7. cap. 10.* quia hic casus in illo capitulo non includitur: neque enim capitulum dimissorias dat in vim auctoritatis propriæ & ordinariæ, sed in vim singularis dispensationis & litterarum Apostolicarum, prout & ordinatio non fit ordinaria auctoritate, sed delegatâ, sivè à sede Apostolica concessâ immediate ordinanti antistiti. Nec debuit specificari aliquid de sede Episcopali vacante: quia in casibus qui prævideri non possunt, & tamen communiter accidere possunt, interpretatio communis valet, alias inutiles essent litteræ. Et ita censeo omninò. Auctores non cito, quia in singularibus & ijsdem terminis casum non invenio, quamvis in simili & ferè eodem Portellus *parte 2. casu 14.* Marchinus ubi suprà, citans Navarrum & alios omninò sic explicent & teneant.

Nomine ordinarij intelligitur capitulum seu vicariatus sede vacante.

Portel. Marchin.

CASUS V.

De tonsura clericali, ab irregulari suscepta, & pontificia dispensatione.

JOannes N. Graphiarius sivè Scriba oppidi N. aliquando actu Graphiarij officio perfungens, à proprio Episcopo (non obstante quod Graphiarius actu esset) primâ tonsurâ clericali absque aliqua dispensatione insignitus: postea ad ordines Ecclesiasticos & beneficia promoveri desiderans, petijt à S. Sede absolutionem à censuris, & pœnis, ac dispensationem ab irregularitate, & quibusuis impedimentis quæ ratione officij, maximè expeditionum in causis criminalibus, incurrere potuit, ad effectum supradictum; quam gratiam absolutionis & dispensationis ei in amplissima forma per breve Apostolicum S. Sedes concessit, mandans Officiali N. ut ei absolutionis ac dispensationis omnimodæ beneficium impertiretur, sequentibus verbis. *Discretioni tuæ per Apostolica scripta manda-*

Propositio casus.

Breve Apostolicum

mandamus quatenus eundem (Joannem) *à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris & pœnis quas propter præmissa quomodolibet incurrit, in utroque foro, imposita sibi aliqua pœnitentia salutari, auctoritate nostra absoluas & totaliter liberes, pœnasque præfatas sibi gratiosè remittas, & condones; secumque super irregularitate per eum ex præmissis quomodolibet contracta, quodque illa & eisdem præmissis non obstantibus, suo clericali charactere, quo alias ritè insignitus fuit, illiusque privilegiis uti valeat. &c. nostra auctoritate Dispenses*, &c. Quam Apostolici brevis gratiam officialis N. plenariè est executus, & in cujus vim ab irregularitate liberatus dictus Joannes obtinuit Canonicatum.

Quæritur.

Dubium unde motum. *Motum verò postea est à nonnullis dubium: An præfatus Ioannes clericali Tonsura sive ordini per illud breve Apostolicum esset legitimè restitutus, & consequenter, an obtentio canonicatus esset legitima, utpotè, aut à clerico rite tonsurato?*

Rationem dubitandi prætendunt: quia summus pontifex in dicto brevi supponit eum (Joannem scilicet) *Clericali* (ut ait) *charactere ritè insignitum* fuisse. Sententia verò communior canonistarum est, irregularitatem esse impedimentum Canonicum ad clericatus ordinem, sive tonsuram primam suscipiendam, ut inter Neotericos latè docet Bonacina *de irregularitate disp.* 7. *quæst.* 1. *puncto* 1. *prop.* 1. ibi, *secunda sententia*, citans Navar. Garziam, Filliucium, Avilam, Suarem, Saytum, Reginaldum: eo quidem fundamento, quod irregularitas sit impedimentum Canonicum ad Ordines Ecclesiasticos suscipiendos: prima autem tonsura apud canonistas Ordo reputetur, unde dictus Joannes non videretur posse dici aut supponi *charactere clericali ritè insignitus* (ut ait pontifex) quia irregularis primam tonsuram susceptisset. *Bonacina.*

Responsio I.

Viso casu præmemorato & maturè fundamentis dubitationis expensis & discussis,

Resp. primò, allegatos auctores, si benè legantur, hujusmodi dubio nunquam materiam subministrasse: & consequenter dubium non esse fundatum, quod sic declaratur. Etsi enim sententia auctorum præallegatorum sit, irregularitatem esse impedimentum Canonicum ad suscipiendam primam tonsuram, hujusmodi scilicet susceptionem prohibens: nunquam tamen opinati sunt, nec eis in mentem venit, esse impedimentum annullans, aut illam invalidans si susciperetur (quasi tonsura prima data irregulari non subsisteret) imò citatos auctores contrarium sensisse, & asseruisse ex ipsorum plano textu manifestum est; sic enim loquitur apertè Bonacina supra *puncto* 4. *de effectibus irregularitatis propositio. Prima, verum tamen est* (inquit) *ordines collatos irregulari subsistere, ac validos esse, tum quia aliud est impedire, seu inhabilem reddere; aliud facere incapacem, juxta illud (multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent) tum quia Ecclesia non potest irritum facere Sacramentum, dùm adhibentur ea quæ à CHRISTO instituta sunt.* Hæc Bonacina. Quæ applicans ad primam tonsuram, cum docuisset illam ab Ecclesia irritari potuisse, quia pendet ex institutione Ecclesiæ subjungit: *Non tamen* (inquit) *eam irritat; consequenter sicut ordo susceptus ab irregulari, tenet, ita etiam prima tonsura*: Hæc iterum Bonacina, qui in suam sententiam cæteros omnes ibidem evocat eodem modo loquentes. Quæ si Domini dubitantes consequenter legissent, dubium minus fundatum, non movissent. *Irregularitas quis sit impedimentum Canonicum ad susceptionem primam tonsuram.*

Responsio 2.

Respondeo secundò, ex fundamentis Theologicis irregularitatem non esse impedimentum Canonicum impediens sive prohibens susceptionem primæ tonsuræ clericalis. Hanc sententiam docuisse Aloysium Bariolam virum præstantissimum & eruditissimum refert Bonacina supra, etsi eam non sequatur; ego verò credo eam veriorem & principijs Theologicis magis conformem, quam sic declaro ex ipsa definitione Bonacinæ *puncto* 1. *prop.* 1. *Ne quidem est impedimentum Canonicè impediens.*

Irregularitas est impedimentum Canonicum ex facto vel defectu proveniens, quod directè impedit susceptionem ordinum Ecclesiasticorum, aut eorum usum ob reverentiam divinorum: arqui Theologicè & in rei veritate loquendo, prima tonsura sive clericatus non est ordo Ecclesiasticus, nec directè & per se spectat reverentiam divinorum: ergo irregularitas ejus susceptionem non tollit. Minor pro prima parte Theologicè est manifesta. Neque enim tonsura clericalis inter ordines minores aut majores computanda est, ut etiam fatetur Navarrus *Irregularitatis definitio.*

Navarrus.

varrus. *Consil. 12. de tempore Ordinandorum* quod si à Canonistis, & specialiter *in cap. Cum contingat, de ætate & qualitate ordinandorum*, vocetur, *ordo clericalis*, nunquam tamen vocatur aut *ordo* simpliciter, aut *ordo* Sacramentalis, sive Ecclesiasticus: ista autem particula *clericalis* adjuncta ordini multum distrahit & analogizat nomen *ordinis*, quatenùs pro Sacramento, sive *ordine Ecclesiastico* supponit: Significat enim tantum statum aliquem medium super laicos, & infrà ordinatos; sicut & *ordo Monachorum* de cujus initiatione, consecratione, & sublimitate præclara tradit S. Dionysius *l. de Ecclesiastica Hierarchia c. 6. p. 1. & 2.* Sicut autem nemo dixerit irregularitatem impedire susceptionem ordinis monachorum, quia ordo monachorum non est propriè ordo Ecclesiasticus, etsi statum aliquem suprà populum ad Ecclesiasticam disciplinam spectantem significet: Ita nemo Theologicè loquendo & propriè dicet ordinem clericalem esse ordinem Ecclesiasticum sive Sacramentalem, etsi ad Ecclesiasticam disciplinam pertineat, & suprà populum emineat. Unde iterùm sicut in brevi Apostolico *character clericalis* omninò Analogicus est & diversæ essentiæ à charactere Sacramentali, sic ordo clericalis ab ordine Ecclesiastico, sive Sacramentali. Argumenta ergò, ex quibus elicere istud impedimentum conantur auctores supra allegati, sumuntur tantum à simili sive pari, in ordinibus Ecclesiasticis, quæ cum in analogia omnimoda fundentur: sicut eorum omninò dispar est ratio, sic concludere à pari nequeunt; præterquàm quod *odia in jure sint restringenda, & favorabilior pars amplectenda* communi interpretatione censeatur. Nec est ullus textus expressus in Canonibus aut præceptum positivum Ecclesiasticum apertum quod hujusmodi impedimentum ad tonsuram constituit. Minor etiam pro secunda parte manifesta est, neque enim clericatus per se ad altare sive ad reverentiam divinorum refertur, cum infiniti possint dari clerici qui nunquam aut ordinabuntur, aut ad divinorum ministeria & ad altare accedent.

Prima tonsura quæ vocatur ordo.

Simile de ordine Monachorum.

S. Dionys. l. de Ecclesiastica Hierarchia.

Character clericalis quis.

Clericatus qui referatur ad reverentiam divinorũ.

Responsio 3.

Quid dicatur ritè fieri.

RESpondeo tertiò, verba Pontificia adeò clara esse, ut omne dubium per se excludant: Illa enim verba (*quo aliàs ritè insignitus fuit*) tantùm tonsuræ validitatem insinuant: Illud enim *ritè fieri* dicitur, quod validè fit; & Sacramenta, ut baptismus, confirmatio, ordo, &c. ritè administrata dicuntur, si tam ex parte ministri, quàm materiæ, formæ, & suscipientis omnia essentialia observata sint: undè & charactere clericali ille dicitur ritè insignitus, qui à proprio Episcopo adhibitis cæremoniis quæ ad essentiam hujusmodi ritus institutæ sunt, fuerit insignitus.

Quod amplius declarant verba Pontificis mandantis quod *non obstante irregularitate & præmissis*, dictus Joannes, *ita redintegretur, ut characteris clericalis privilegiis uti valeat*; quibus innuitur per irregularitatem non tolli aut impediri characterem clericalem quoad validitatem, sed tantum quoad usum aliquem, & privilegia à charactere sive tonsura clericali manantia, quibus restituitur; Etsi enim irregularitas tonsuram clericalem non impediat, impedit tamen privilegia nonnulla & exercitium aliquorum à tonsura clericali manantium, ut habilitatem ad ordines, ad beneficia, ad dignitates, & alia id genus.

Dico (*aliquorum*) irregularitas enim non reddit per se incapacem jurisdictionis spiritualis, nec in habente tollit usum ut communiter Doctores. Et hæc sufficiant ad casus resolutionem.

Irregularitas nõ reddit per se incapacem jurisdictionis spiritualis.

DE

SACRAMENTO POENITENTIÆ: & nonnullis reductoriis.

CASUS I.

De dubitante, an defectu contritionis vel attritionis habita dum faceret confessionem generalem, postea teneretur reiterare confessionem illam generalem?

JOannes fecit à decem annis confessionem generalem; postea maturius examinato statu suæ conscientiæ, & omnibus perpensis, quæ ad veram confessionem Sacramentalem pertinent; dubitet, imò veriùs credit, sibi tunc temporis defuisse summum animi dolorem, & detestationem commissi peccati, propter Deum summum bonum offensum.

Quæritur.

An Ioannes teneatur omnia peccata mortalia dènovo, praviâ verâ contritione reiterare, an verò ab illa reiteratione coram Deo excusari possit, eliciendo hujusmodi dolorem & contritionem,

Proponitur Casus.

nem, ut consequi possit remissionem prædictorum peccatorum.

Prænotanda.

PRo accurata resolutione istius casus, & pleniori informatione scrupulosorum,

Advertendum Primò, duplicem assignari *contritionem* à S. Concilio Tridentino *Sess.* 14. *cap.* 4. in ordine ad absolutionem Sacramentalem. Prima *perfecta*: quæ est aversio vera, & absoluta ab omnibus peccatis, cum dolore vero, & appretiativè summo, concepto propter offensam Dei summè boni, & super omnia diligendi: Ita ut Deus summè bonus, &c. sit motivum hujus doloris, & aversionis. Et hæc absolutè vocatur *contritio*. Alia est *contritio imperfecta*: Quæ quidem est etiam aversio vera, & absoluta ab omnibus peccatis, cum dolore vero, & appretiativè summo, propter offensam Dei, sed non ex motivo perfecto *Dei summè boni*, aut *summè diligendi*; sed ex motivo *Dei justi*, sive ex timore mortis, judicii, inferni, quæ à Deo justo, & peccatis nostris offenso impœnitentibus justè inferuntur. Unde *contritio perfecta*, & *imperfecta* quæ *attritio* nuncupatur, in his conveniunt. Primò, Quod utraque sit vera aversio à peccatis, sive vera & absoluta detestatio peccati. Secundò, Quod sit propter offensam Dei: Tertiò, quod pertingat ad Deum cum spe quod misericordiam peccatori pœnitenti faciet; unde timor conceptus in *attritione* vocatur *initialis*, quia peccatorem ad Deum convertit, sive introducit. In hoc autem differunt *contritio* & *attritio*: Quod contritio aversionem summam, & summum dolorem concipiat ex motivo & apprehensione Dei offensi, quia est *summa bonitas*, *summa sanctitas*, cui debetur *summa dilectio*: *attritio* autem etsi in peccatore causet dolorem verum & omnimodam aversionem & detestationem peccati, quia per illud offendit Deum; ad illum tamen dolorem movetur magis *serviliter*, scilicet, quia offendendo Deum in justitiam Dei impegit, & mortem malam, & judicium damnationis ad æternas pœnas incurrit, ob quæ justitiam deprecatur, & misericordiam postulat, aliquo timore primò concussus. Dixi utrobique (*absolutam aversionem à peccato*) ad tollendam conditionalem quæ etiam *attritionem* vitiat & nullam reddit; nimirùm, *Si non essēt judicium aut infernus, à peccato non abstinerem*, quæ est impia: *attritio* enim est actus gratiæ Dei verè supernaturalis, ex principiis fidei & justitiæ conceptus, etsi non tam perfecto motivo. Unde est illud Isaiæ 26. *Sic facti sumus à facie tua Domine. Concepimus & quasi parturivimus Spiritum*, &c.

Contritio duplex ex Conc. Trid. Perfecta.

Imperfecta

In quibus conveniant.

Timor initialis.

In quibus differant.

Conditionalis aversio à peccato vitiat attritionem.

Isaiæ 26. vers. 17. 18.

Advertendum 2. utramque, *contritionem* scilicet & *attritionem* esse sufficientem in Sacramento pœnitentiæ ad obtinendam absolutionem à peccatis: ut definit Concilium Tridentinum *sess.* 14. *c.* 4.

Utraque sufficit in Sacram. pœnit.

Advertendum 3. Non esse necesse, ut alterutra *actualiter* duret tempore confessionis, sed sufficere ut tempore absolutionis & confessionis insit *virtualiter*, sive in virtute censeatur perdurare (exempli g.) Aliquis antequam accedat ad confessionem excitavit in se contritionem, vel attritionem sufficientem, super peccata quæ vult Sacerdoti confiteri, cum actuali illorum odio & detestatione: Interim distrahitur, & dum confitetur, vel etiam antè, actualis dolor & detestatio peccati transit: Sufficit ergò ut virtualiter, usque ad absolutionem perseveret: Cujus perseverantiæ signum est, quod illo motivo doloris pœnitens accessit, & peccata sua sit confessus; undè cum hunc dolorem non revocaverit per actum contrarium, utpotè, per peccatum novum, vel consensum in peccatum, censetur virtute contritus, sive attritus, sua peccata confiteri, & absolutionem recipere.

Non debet actualiter inesse tempore confessionis.

Signum perseverantiæ.

Advertendum 4. *contritionem* & *attritionem*, aliam esse *sensibilem*, & ex ipso actuali motu cognoscibilem, quæ nimirùm, dolorem & tristitiam de peccato, sive de Dei offensa ita habet adjunctam, ut in actibus potentiarum sentiatur. *Alia* vero est *insensibilis*, quæ, nimirùm, in sola voluntate est, nec in potentiis inferioribus se manifestat: Signa tamen hujus sunt. Primò, Quando homo verè voluntatem à peccato aversam habet, ita ut non vellet ampliùs peccare. Secundò, Quando anxius est eò quod dolorem, & odium peccati non sentiat. Tertiò, Quando graviter patitur, quod non sentiat. Quartò, quando dolet se non dolere (ut Gerson & alii loquuntur) & verè vellet se posse dolere, sive verum dolorem sensibilem in se excitare. Et hæc utraque sufficiens est ad Sacramentum & effectum Sacramenti. His sic prænotatis pono sequentes responsiones.

Contritio alia sensibilis, alia insensibilis.

Resolutio 1.

SAtis fuit Joanni si in confessione generali legitimè facta habuerit attritionem peccatorum, prout descripta est in primo notabili, nec necessaria ei fuit *contritio perfecta*, sive dolor summus de peccatis propter offensam

Non debuit pœnitens habere perfectam Contrit.

offensam Dei summè dilecti, &c. Certa est responsio ex Concilio Tridentino *sess.* 14. *c.* 4. prout supra deduximus.

Resolutio 2.

Si utraque tam actualiter, quam virtualiter defuerit, quæ peccata sint repetenda.

SI Joanni certò constet utramque *contritionem* (sive *perfectam*) sive *attritionem* (quæ *imperfecta* contritio est) sibi tam *actualiter* quàm *virtualiter* defuisse, & tempore quo confitebatur de isto defectu conscius sibi fuerit: Confessio illa generalis fuit nulla, ac ideò (saltem quoad peccata antea ritè non confessa) repetenda esset.

Confessio Sacramentalis quæ?

Ratio est: Quia confessio illa absolutè Sacramentalis non est, sed pura narratio: Sacramentalis enim confessio dicitur, quæ fit legitimo Sacerdoti in ordine ad recipiendam veniam peccatorum per absolutionem: Atqui qui non habet nec *actualiter* nec *virtualiter* dum confitetur odium & detestationem peccati; sive veram & absolutam aversionem à peccato; hoc ipso convincitur non confiteri ad obtinendam absolutionem à peccatis, scit enim, & scire tenetur, illam non dari nisi pœnitenti: ergo confessio illa Sacramentalis non fuit, & ideo peccata necdum ritè confessa debent reperi in legitima confessione, quia necdum per Sacramentalem confessionem fuerunt clavibus subjecta.

Dixi notanter (*si tempore quo confitebatur de isto defectu sibi conscius fuerit*) si enim bona fide putavit se contritum, vel attritum sufficienter, aut non dubitaverit illo tempore de sua contritione & attritione, confessio verè Sacramentalis fuit; etsi ob defectum incognitum attritionis, vel contritionis fuerit ad absolutionem insufficiens; & peccator defectu attritionis sufficientis, sibi tamen incognito, à peccatis absolutus non fuerit. Unde pono tertiam responsionem.

Resolutio 3.

Quid si nō fuerit conscius alicujus defectus?

JOannes si tempore confessionis generalis non fuerit conscius impedimenti alicujus, aut insufficientiæ contritionis, sive attritionis, bonâ autem fide confessus sit, & absolutionem acceperit: etsi posteà insurgat dubietas, vel etiam credulitas de defectu contritionis, vel debitæ attritionis; non tenetur repetere confessionem sive peccata in illa confessione confessa: sed defectum contritionis supplere potest per perfectam & veram contritionem reparatam, vel per absolutionem in sequenti confessione legitima. Ratio est: Quia, ut supponitur, confessio generalis fuit Sacramentalis, & ut talis legitimè facta, & bona fide, absque aliqua tunc dubitatione in ordine ad absolutionem Sacramentalem, & consequenter peccator (quantùm spectat ad confessionem & ejus integritatem) debito satisfecit: tantum ergo supplendus est defectus qui defuit, nimirum, dolor debitus. Dico ergo primò, *contritionem perfectam* propter offensam Dei summè dilecti de omnibus peccatis, tollere omnem culpam, & conciliare peccatori gratiam, cum onere tantùm subjiciendi clavibus in confessione Sacramentali peccata, quæ non fuerunt ritè confessa; atqui peccata, de quibus agitur, in confessione Sacramentali generali fuerunt ritè confessa: ergo ab onere illo exoneratus est, & virtute contritionis absque novo onere remittuntur; cum jam satisfactum oneri supponatur: Contritio enim præsens ad illa peccata retrotrahitur, virtute præsentis actus pœnitentiæ perfectæ quo remittuntur peccata omnia, Deum super omnia diligenti.

Effectus contritionis perfectæ.

Nec hic aliquid novum vel insolitum est: Sic enim *baptizato ficto* prima contritione superveniente, redditur remissio peccatorum, & gratiæ infusio. Sic *confirmato ficto*, & sic in aliis: Ita & pœnitenti si cum confiteretur non fuit conscius alicujus fictionis, & plenè confessus fuerit, per primam contritionem datur omnium peccatorum remissio, cum voto quidem (ut dicunt) sive sub onere confessionis; non aliâ tamen ratione, quàm ut subjiciantur clavibus: supponuntur autem per præcedentem generalem confessionem clavibus integrè subjecta fuisse.

Baptisato & confirmato fictè quando infundatur gratia.

Dico secundò, ubi *contritio perfecta* deest; qui absque culpa, sive ex ignorantia defectus debiti doloris, confessionem generalem faciens effectum absolutionis non recepit: in sequenti confessione, si verè attritus sit, attritione cadente in omnia peccata, tam confessa, quàm oblita, recipit absolutionem omnium peccatorum in generali confessione confessorum; Et quidem si tunc non recordetur, vel recordatus fuerit defectus in attritione præcedentis generalis commissi, absolvitur ab illis tamquam ab oblitis: si autem recordetur, absolvitur ab illis tamquam aliàs legitimè confessis, & clavibus submissis; etsi eorum pœnitens non faciat mentionem; cum non teneatur peccata secundò clavibus submittere, quando ritè (quantùm tunc advertit) ea semel subjecit. Quæ omnia inferuntur, & patent ex communi doctrina Theologorum.

In sequenti confessione, quo remittātur cum attritione.

Resolu-

Resolutio 4.

Reiteratio Confessionis Gener. non est ei consulenda.

NOn est consulendum Joanni ut generalem confessionem reiteret præcisè ob dubietatem, vel credulitatem quam habet de non habito dolore summo propter offensam Dei summè dilecti tempore generalis confessionis. Ratio est Prima, quia hoc esset aperire portam infinitis scrupulis: Sicut enim dubitare potest de illo defectu in generali confessione, sic poterit dubitare de eodem defectu in omnibus & singulis aliis confessionibus. Nemo enim unquam certò scire potest, an verè & perfectè contritione perfecta ob amorem Dei summè dilecti contritus sit; sicut nemo scire potest, *an amore Dei, an odio dignus sit*, nisi tantùm moraliter & negativè, quia impedimenti alicujus conscius non fuit, ut supponitur accidisse.

Unde judicandum quod fuerit attritus.

Secunda Ratio: Quia sufficiebat attritio, quam de facto tunc habuisse consideratis omnibus circumstantiis judicandus est. Quo enim motivo potuit Joannes se resolvere ad confessionem generalem faciendam nisi motivo se omnino reconciliandi Deo, & obtinendi remissionem peccatorum omnium, ac novam vitam in observatione mandatorum Dei ineundi? sive nisi quia Dei timore saltem perculsus dolebat de peccatis præteritæ vitæ? *Item*: Quomodo potuit examinare tam seriò omnia vitæ peccata, sine eorum displicentia? *Item*: Quomodo actu confessionem generalem tam laboriosam aggredi potuit, sine intentione se à peccatis expurgandi? Quæ omnia includunt saltem *attritionem virtualem* in ordine ad absolutionem, quæ sufficiens est ad effectum Sacramenti. Quæ omnia in Joanne concurrerunt.

Tertia Ratio: quia alio modo faciliori sibi succurrere potest; nimirum vel per *contritionem perfectam*, ut supra dictum est: vel *per ordinariam confessionem*, addendo sive repetendo aliqua peccata in confessione generali confessa, si quæ fortè aliàs legitimè confessa non fuissent.

Dico itaque: ob prædictas rationes non expedire Joanni facere novam confessionem generalem præcisè ob dubietatem vel credulitatem nullitatis confessionis generalis aliàs factæ: sed si absque ullo scrupulo conscientiæ ad majorem fructum proponeret Joannes secundam confessionem generalem facere, esset ei opus liberum pro arbitrio suo, & prudentia consulentis.

Similis resolutio, brevissima tamen, habetur *Tom. 1. Tribun. tract. 4. quæst. 8. in dubio pag. 116. col. 2. in 2. editione.*

CASUS II.

An servientes in militia ordinibus Hollandiæ, confiteri volentes non possint absolvi à peccatis, nisi promittant deserere dictam militiam; nominatim Franci, & alii non Vasalli Regis Catholici?

Prænotanda.

An sit privati militis judicare de justitia vel injustitia belli.

ADvertendum Primò, si de justitia, vel injustitia belli agatur, non esse particularis militis sub imperio & arbitrio sui Principis proprii militantis, judicare de præfata justitia, vel injustitia; sed posse Principi suo simpliciter obedire.

Duo reddunt militiam illicitam.

Advertendum Secundò, duo reddere militiam illicitam. Primò, quod sit injusta in se ipsa, quia caret causa justa ad bellum sive inferendum, sive ad inferenti auxiliandum.

Secundò, quia est militanti in re ad salutem necessaria, nocivum: utpote Primò, quia inter hæreticos militat privatus subsidio & usu Sacramentorum, & exercitiorum necessariorum ad salutem; ut qui militat Hollandis, cum in toto exercitu, etiam auxiliariis copiis Regis Galliæ, non permittantur Sacerdotes SS. Sacramentorum mysteria exercere. Secundò, quia quò eorum arma perveniunt, omnia profanantur: Catholici opprimuntur, & suæ verissimæ religionis exercitiis certò privantur. His sic prænotatis, pono sequentes

Resolutiones.

Tales confiteri volentes possunt absolvi.

REspondeo Primò, Agendo de justitia & injustitia belli simpliciter, Francos Catholicos, vel alios non Vasallos Regis, militantes Hollandis, volentes confiteri posse absolvi, si à suo Principe vel Republica sint missi. Ratio est quia judicium de justitia vel injustitia belli, non pertinet ad illos, sed ad Principem vel Rempublicam, quibus subjiciuntur, vel à quibus mittuntur. Et aliàs, etsi nobis certa sit belli injustitia: aliis tamen doctoribus in ipsorum academiis res aliter videtur, sive vero, sive motivo alio probabili, sufficiente tamen iis ut conscientiam tutam habeant, titulo solo obedientiæ, quo, cum de injustitia belli illis non constet, debeant obedire.

Quid teneatur ob confessarius egere cum illis.

Respondeo Secundò, agendo de periculo salutis ob carentiam Sacramentorum, Sacerdotum, & exercitiorum ad salutem necessariorum: Confessarium tantum teneri

neri ad exhortationes necessarias, & ad informationes quæ in tribunali isto dari pœnitentibus debent: ex quibus eliciatur non tam promissum quam firmum propositum pœnitentium, quod aut militiam relinquent, si possint, & eis permittatur à Rege sive Principe: aut quod sibi deinceps providebunt, vel intendent omni meliori modo providere, pro necessariis Sacramentis, & exercitiis ad salutem necessariis: Hoc posito tutè possunt absolvi, nec amplius in foro conscientiæ sunt torquendi.

Qui taliter missi nō sunt, non possunt absolvi, nisi promittant militiam deserere.

Respondeo Tertiò, Eos qui merâ voluntate (utique qui nec Principum, nec Reipublicæ mittentium ad bellum sunt subditi) bellum suscipiunt, illos teneri omninò hujusmodi militiam suæ saluti adversariam relinquere nec debere absolvi, nisi firmiter proponant & promittant relinquere. Ratio est: Quia sicut voluntariè se periculis salutis exposuerunt, sic voluntariè possunt & tenentur pericula evitare.

CASUS III.

De pœnitente patiente pruritum & extraordinarios motus carnis.

Proponitur Casus.

E St pœnitens qui patitur singulis mensibus bis, aut ter cum Plenilunio, maximum & intolerabilem pruritum in partibus verecundis, ita ut verè infirmetur corpore, & animo, & planè inhabilis per hoc reddatur, ad debitè munia sua tam spiritualia, quam corporalia obeunda; quia laborat continua necessitate urinandi, quasi laboraret stranguria; nec potest curari nisi per resolutionem istius falsi & corrupti humoris, qui hunc pruritum causat, &c.

Sententia Ioan. Sanchez.

Hic pœnitens legens sententiam *Ioannis Sanchez disp. 21. num. 29. & seq.* Quâ ex multis Doctoribus docet, licere, ad sedandos tales pruritus, strangurias, dolores, & mordacitates, &c. Pudenda sive Genitalia fricare, etiamsi ex illa fricatione pollutio sequeretur, modò absit periculum consensus, & per se pollutionem non intendat, sed meram sedationem, seu curationem

Villalobos

mali: prout ex *Villalobos* & aliis dictus auctor explicat. Hic (inquam) pœnitens, in magnam mentis anxietatem inductus est; Ex una parte, quia illud medium adhibuit, putans sibi licere hujusmodi fricationem adhibere ad levamen & sedationem mali, etsi pollutio sequeretur: Ex altera, abhortens à dicta sententia ob communem Doctrinam: Quod non liceat pollutionem procurare etiam ad vitam tuendam Hic autem in dicta fricatione intercurrat quædam pollutionis procuratio.

Quæritur itaque.

Quid pœnitenti sic anxio sit agendum? Primò an sequens dictam sententiam Joannis Sanchez & Villalobos, ac aliorum sit in conscientia securus? Secundò, in quam partem se resolvere teneatur?

Prænotanda ad Resolutionem.

PRo Resolutione accurata hujus casus, qui non parvi momenti est, prænotandum est.

Primò, Decisionem seminis humani, sive ejus extra corpus emissionem de per se, sive ex natura sua rem merè naturalem esse, & naturæ constitutionem sequi; adeoque naturaliter aliquando fieri, sive ob constitutionem temperamenti, sive ob imbecillitatem naturæ, sive ob nimiam abundantiam, corruptionem, vel id genus; nec in nostra potestate esse quandoque illam retinere quin erumpat. Imo sicut & alii nocivi humores per artem medicam possunt, & debent aliquando educi, sic potest aliquando homo cooperari (intra naturæ terminos) ut educantur.

Seminis decisio sæpè naturaliter fit, nec retineri potest.

Advertendum Secundò, Eductionem illam seminis nihil habere de peccato nisi ob delectationem libidinosam, & veneream, divino jure prohibitam, quæ in tali motu, sive corporis passione, tali eductioni, titillationi vel pruritui conjuncta est; In qua concupiscentia carnis fixit sedem suam, inducens voluntatem hominis ad prohibitam libidinem: sive per cogitationem & delectationem morosam, in tali motu: sive per seminationem illicitam in ordine ad actum vel concubitum carnalem. Unde nec Pollutio, nec mollities dicitur, nisi in quantum cum corpore animam polluit, sive inquinat: vel inordinatam delectationem concupiscentiæ dicit. Imò (ut bene notat) *Gerson p. 2. Tract. de pollutione prop. 1. Nulla pollutio nocturna vel diurna plus habet de peccato, quàm fuerit de consensu circa illam in libero arbitrio*; id est *citra illam* ut inordinatum, scilicet, actum, vel delectationem veneriam & libidinosam, prout provenit à concupiscentia carnis prædominante dicit. Potest enim separari consensus liberi arbitrii in motum illum, vel passionem ut naturalis est, à consensu liberi arbitrii positivo, vel interpretativo in motum illum, prout veneriam vel libidinosam delectationem habet.

Eductio illa seminis, unde peccaminosa.

Quando dicenda sit pollutio, vel mollities.

Gerson part. 2. Tract. de pollutione, propositione prima.

Advertendum Tertiò, *à Gersone suprà in primo notabili; multiplicem humorem a corpore*

Multiplex humor decidi à corpore humano.

pore humano per meatus membrorum pudendorum, quæ generationi deputata sunt defluere. Vnus (inquit) *est verè seminalis. Alius vere urinalis: Alius quodammodo medius, qui potest vocare salivalis, vel sputalis. Alius additur humor* (*præsertim in mulieribus*) *qui vocatur menstrualis: Et huic* (ait) *similis quandoque masculo accidit ex infirmitate. Caterùm* (addit Gerson) *Humorem propriè seminalem, & humorem medium non ita facile secerni, propter similitudinem in albedine, & viscositate, seu tenacitate, & quadam spissitudine*: Qui iterum postea notat humorem illum medium in fluxu suo, vix aut nunquam causare talem modum delectationis, & concussionis totius corporis, specialiter in pudendis, nec ita perstringere aut obnubilare in suo exitu judicium rationis sicut fit in humore verè seminali, *quia ille humor seminalis magis digestus est, & ad causationem libidinosæ delectationis proportionabilior invenitur.* His sic suppositis, Sit

Gerson.

Distinctio fluxus humoris medii, à fluxu humoris verè seminalis.

Responsio 1.

Resolutio seminis sine pruritu libidinoso, etiam non est peccatum.

QUando Resolutio seminis fit absque delectatione, & pruritu libidinoso in carne, de per se nullum est periculum peccati. Ratio est: Quia sola delectatio, & pruritus libidinosus, est objectum confessus concupiscentiæ carnalis prohibitæ, in nuda resolutione seminis extra concubitum carnalem; unde si absit illa delectatio, &c. jam fluxus seminis manet purè naturalis, non afficiens voluntatem, aut ejus consensum in materia peccaminosa, aut peccato subdita.

Resolutio 2.

Fluxus humoris causans dolores &c non censetur pollutio peccaminosa.

SI fluxus humoris, etsi cum aliqua titillatione, causet potius dolores, & pœnalitates in carne; non pertinet ad materiam pollutionis peccaminosæ. Ratio est: Quia illa supponit libidinosam delectationem, & veneream, quæ de se excludit dolores & pœnalitates.

Resolutio 3.

Fluxus seminalis non peccaminosus.

FLuxus humoris seminalis ex causis naturalibus proveniens, etsi sua delectatione afficiat sensum, sæpenumero tamen non affixit consensum. Ratio est: Quia sæpenumero contingit, ut voluntas sit positivè & totaliter aversa; & si patiatur, injustè patiatur, & cum summa aversione: Et in tali fluxu tantùm abest ut sit peccatum, quin potius sit meritum. Ita Gerson

Interdum meritorius. Gerson

supra Propositione II. *Quando* (inquit) *pollutio fit cum sensu, non tamen cum consensu, non est de per se peccatum, imo frequenter auget meritum, tanquam materia virtutis, dum resistitur violentiæ passionis,* &c.

Prop. II.

Resolutio 4.

Pollutio quæ dicenda mollities.

NUlla pollutio debet dici mollities, nisi fuerit per consensum liberum provocata, vel extorta. Ratio est. Quia sicut illa non fuit in potestate parientis, ita nec peccatum: Mollites autem sonat peccatum.

Resolutio 5.

Quis liceat pœnitenti humorem illum expellere?

LIcet pœnitenti (de quo in casu) humorem (ut prædicitur) in membris genitalibus excitatum, fricarione, aut alio motu naturali sedare, vel etiam ad expulsionem cooperati: modò absit periculum libidinosæ ac venereæ delectationis. Ratio mea est: Quia ille humor, ut explicatur, non est verè seminalis, sed cum oritur cum dolore, necessitate urinandi, & quadam veluti stranguria, debet judicari menstruus. Talis autem humor, aut ejus ejectio, non est materia pollutionis quæ peccatum est, unde licet ejus, quando premit & ab ipsa natura excitatus est, fluxum positivè juvare. Nec refert quod concomitantem habeat pruritum, vel titillationem in membris pudendis: Quia, ut benè notat Gerson supra. *Notabili Secundo. Non omnis pruritus circa membra pudenda debet judicari propriè libidinosus; Nec etiam cessatio ejus, aut extinctio per fricationem, aut aliter, debet appellari luxuriosa delectatio. Videmus enim quomodo in aliis membris crebrò pruritum sentimus, quem unguibus scalpendo (ut juxta vulgare loquar) sopimus vel extinguimus.* Hæc Gerson.

Gerson supra Notab. 2.

Secunda, Quia etsi esset humor seminalis, ubi est ita excitatus, ut omninò prohiberi non possit, aut sedari, & abest periculum consensus in delectationem quatenus venerea est; non tenetur homo tantum pati infirmitatis & doloris, sed potest sicut in aliis humoribus naturalibus se juvare: Quia, ut diximus, de per se fluxus ille, ut à natura provenit absque culpa patientis, non est peccatum: Et ubi periculum libidinosæ delectationis per voluntatis consensum abest, potest quis sicut & in aliis humoribus corpori infestis sibi providere. Et in his stat sententia *Ioannis Sanchez, & Villalobos.* Io his enim sufficit quod humorem illum peccaminosè, directè vel indirectè non excitaverim, vel

Si esset seminalis, qui posset expelli.

Explicatur sententia. Joannis Zanch & Villalobos.

vel provocaverim, nec in libidinosam delectationem illicitam consentiam, nec sit periculum peccaminosi consensûs; tunc enim eandem libertatem, illis suppositis, habeo circa humorem illum naturalem, quam circa alios humores corporis. Potest ergò interrogans (adhibito moderamine inculpatæ tutelæ) per fricationem aut alium modum, intra terminos honesti naturalis, sibi succurrere. Unde Gerson supra propositione prima ex S. Augustino *de civitate Dei* dicit: *Quod delectatio illa* (quæ in istis sic comitatur) *nullum sit peccatum in corpore dissentientis, sicut nec in corpore dormientis*; Semper tamen distinguendus est consensus, quatenùs rendit in delectationem veneream, prout venerea est, à consensu in merum pruritum, qui naturaliter humorem consequitur. Vide Tractatum illum Gersonis ad majus lumen.

Gerson supra prop. 1. ex S. Aug. de civitate Dei.

CASUS IV.

De pastorum in partibus hæreticorum obligatione ad administranda Sacramenta, & eorum congrua sustentatione.

Proponitur Casus.

A Publicatione pacis initæ inter Regem Hispaniæ, & ordines Confœderatarum Provinciarum; omnes pastores, & animarum curatores, sunt ex oppidis & pagis quæ hæreticis cesserunt per arma, & conditiones tractatus dictæ pacis à præfatis ordinibus, unà cum Religione proscripti; adeò ut nullus ad ea, ipsis pateat accessus, vel si aliquis, non nisi valdè periculosus: Bona ipsorum, Ecclesiarum, & omnium piarum fundationũ Fisco de facto applicata; ex quibus omnis modus sustentationis; tam in illis partibus, quàm vicinis est sublatus; vel eò maximè quod populus tam tenax sit rerum suarum, ut vix aliquid velit contribuere, quo dicti pastores, & animarum curatores se sustentare possint, aut gubernatorum, & officiariorum dictorum ordinum rigorem mitigare.

Vnde præfati pastores, & animarum curatores alibi victum, & amictum quærere debeant, & oves sibi ante commissas deserere, divinæque providentiæ committere.

Quæritur.

Primò, an dicti pastores, attentis supradictis, sint ab omni solicitudine, & cura immunes.

Secundò, Quæ partes sint Episcopi in illorum statu? An scilicet remaneat cum cura animarum, & teneatur illis ovibus providere de Sacramentis, & illis alia ad salutem necessaria procurare, & Sacerdotes sive pastores qui illas in fide instruant, & instructas in eadem retineant submittere? An verò illarum cura pertineat ad Vicarium Generalem S. D. N. in Hollandia residentem?

Tertiò, Et consito quod Episcopus obligetur: An dictis pastoribus teneatur providere de congrua competentia vivendi, quando illis de mediis sufficientibus provisum non est?

Quartò, An verè populo incumbat, cui spiritualia subministrantur, subministrare temporalia ijsdem pastoribus, sive per symbola, aut aliâ viâ, ubi decimatores ad hoc compellere non valent, & ex illorum decimis psendo-ministris hæreticis congrua portio attribuenda est, quæ olim dictis pastoribus debebatur?

Quintò, An illo casu decimatores Ecclesiastici, habitantes sub jurisdictione Regis, qui in illis partibus decimas levant, non possint compelli, ut aliquam illarum partem dictis pastoribus in eorum alimentationem contribuant, & an ad id non teneantur in conscientia, & de jure?

Sextò, An eidem Episcopo, aut populo incumbat, donis & muneribus dictos gubernatores & officiarios suaviter inducere, ut velint remittere rigorem in executione placetorum dictorum ordinum, & cum supervenientibus pastoribus aut aliis emissariis connivere.

Septimò, Quod si neutrum obtineri possit, & vix inveniri possint pastores, aut alij Sacerdotes, qui velint se illi periculo exponere; An Episcopus censeatur exoneratus curâ animarum sibi priùs commissarum?

Octavò, Si quis se offerat neglectis periculis, salvâ insigni remuneratione, & sub conditione, quod si comprehendatur, aut egregiè mulctetur; Quantum huic addici debeat? & an expensis Episcopi, aut populi erit sustentandus, & liberandus?

Prænotanda ante Resolutiones.

PRo Resolutione accurata advertendum est Primò, Episcopis solis, jure divino, commissam esse curam animarum Christi fidelium, ex vi ordinationis, & consecrationis suæ, idque à principio Ecclesiæ: Vnde est illud Act. 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Et ad Heb. 13. *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Vnde primò, & per se incumbit Episcopis, ut vel in propria persona, vel per idoneos ministros, neces-

Solis Episcopis jure divino, est commissa cura animarum.

Act. 20. vers. 28.

Hebr. 13. vers. 17.

sarìa

ſaria ſaluti ovium ſuæ diæceſis adminiſtreutur. Videatur Concil. Trid. *Seſſ. 5. de Reform. cap. 2.*

Dilatatâ Eccleſiâ, cura hæc ſuit & in alios diſtributa.

Advertendum 2. Multiplicatâ jam Eccleſiâ, çum Epiſcopi per ſe ovibus ſuis invigilare non poſſint, id per alios feciſſe, & onus Epiſcoporum in Presbyteros parochiales diſtributum fuiſſe, jure quidem poſitivo Eccleſiaſtico, etſi cura parochialis, non niſi ex poteſtate à jure divino procedente, adminiſtrari poſſit: Originem porrò ſtabilem diſtributionis parochiarum, & presbyterorum patochialium ad annum circiter 261. & tempora Dionyſii primi Papæ referunt auctores, cujus verba apud Gratianum 13. q 1. c. *Eccleſias ex Epiſtola ad Sever. Epiſcopum*, referuntur ut ſequitur: *Eccleſias ſingulis* (inquit) *ſingulis Presbyteris dedimus, parochias, & cameteria, eos diviſimus: & unicuique jus proprium habere ſtatuimus*: ita videlicet, ut nullus alterius parochiæ terminos, aut jus invadat.

Quo jure, & quando.

Dionyſ. Papa apud Gratian.

Obligatio parochorũ.

Et declarans onus parochorum circa curam animarum, & obligationem quam habent, ex vi hujus diſtributionis unius diæceſis in diverſas parochias, ſubdit: *Sit unuſquiſque ſub terminis contentus, & taliter Eccleſiam, & plebem ſibi commiſſam cuſtodiat, ut antè tribunal æterni judicis ex omnibus ſibi commiſſis rationem reddat, & non judicium, ſed gloriam pro ſuis actibus percipiat.* Et generale mandatum ſubdens: *Hanc* (inquit) *quoque normam, chariſſime, te, & omnes Epiſcopos ſequi convenit, & quod tibi ſcribitur, omnibus quibuſcumque potueris, notum facias, ut non ſpecialis, ſed generalis fiat iſta præceptio.*

Dionyſ. Papa. Ibidem.

Differẽtia inter obligationem Epiſcoporum, & parochorũ, ad curam animarũ.

Advertendum 3. Obligationes Epiſcoporum ad curam animatum ſuæ diæceſis, multò excellentioris gradus, & majoris vinculi eſſe, quàm obligationem parochorum. Obligatio enim Epiſcoporum eſt juris divini, perpetua ac immutabilis, competens illis ex natura officii: Obligatio autem parochorum juris humani, ex implicito contractu fidelitatis, & juſtitiæ, ratione beneficii parochialis aſſumpti ptoveniens. Item obligatio paſtoris ceſſat, ſi beneficio cedat; Obligatio Epiſcopalis eſt perpetua, & deficientibus parochis, in Epiſcopum totum onus jure divino revolvitur, ut vel per ſe, vel per idoneos miniſtros provideat. Vide S. Thomam 2. 2. q. 84. a. 6. & 8.

Quo jure tenentur fideles ſuis miniſtris neceſſaria providere.

1. Cor. 9. v. 7.

Advertendum 4. Ex æquitate juſtitiæ, fideles quibus miniſteria impenduntur, teneri miniſtris neceſſaria ad congruam ſuſtentationem providere. Hoc patet ex frequentibus verbis S. Pauli 1. ad Corinth. 9. Ubi ex jure divino & naturali, id probat: *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Et infra: *Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt? & qui altari deſerviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de evangelio vivere.* Et hoc modo ex præſtationibus fidelium tam Epiſcopi, quam alii diu in Eccleſia vixerunt.

Ibidem verſ. 13.

Patrimonium Eccleſiæ à quibus provenerit.

Advertendum 5. Multiplicatâ Eccleſiâ per univerſum orbem, & conſequenter multiplicatis miniſtris, Reges, Principes, & primarios viros divites ex ſuis bonis, fundos, agros, domos, dominia, decimas, fundationes in Eccleſiam contuliſſe; ut deinceps miniſtri non dependerent à collectis, aut quotidianis præſtationibus fidelium, ſed ex communi maſſa redacta in patrimonium Chriſti omnibus congruè provideretur. Quod declaratur ab *Urbano I. Epiſt. ad omnes Epiſcopos apud Gratianum* 12. q. 1. c. *Videntes*: *Videntes* (ait) *ſummi Sacerdotes, & alii, atque Levitæ, & reliqui fideles plus utilitatis poſſe conferre, ſi hæreditates, & agros quos vendebant, Eccleſiis, quibus præſidebant, Epiſcopi traderent*, &c. Poſt pauca. *Ipſa verò res ſingularum parochiarum, Epiſcoporum (qui locum tenent Apoſtolorum) erant*, &c. Et proſequitur qualiter Epiſcopi diſtribuerent; Primò ſibi accipientes congruam ſuſtentationem; demum Presbyteris & miniſtris ſuis, ac tandem pauperibus. Vide totam *Cauſam* 12. q. 1. Ubi & de oblationibus Imperatorum, Regum, Principum.

Vide de hac materia Tom 3. part. 1 Tract. 8. Tit. 1. ſect. 3 9. 2 præmit. 20. Urbanus I.

Ex illo patrimonio, qualiter miniſtri tunc vixerint.

Poſtea eſt partitum in 4. partes.

Advertendum 6. Succeſſu temporis pro majori commoditate miniſtrorum, & minori ſolicitudine Epiſcoporum, bona Eccleſiæ fuiſſe diviſa in 4. partes: ita ut Prima, cederet Epiſcopo. Secunda, clero, ſive miniſtris. Tertia, fabricæ. Quarta, pauperibus & peregrinis. Ita Gelaſius Primus apud Gratianum 12. q. 2. c. *Conceſſo*: Per hanc tamen diviſionem bona illa non mutaſſe conditionem ſuam, ut remanerent in patrimonio Chriſti, & poſſeſſione Eccleſiæ: ſed tantum, ut quilibet, quantum ſufficeret ad decentiam, & neceſſitatem ſtatus, acciperet; reliquo in uſus Eccleſiæ, vel pauperum remanente; ut bene notat Urbanus Primus ſup. ex quo inferunt antiqui Patres, remanſiſſe ſemper, non obſtante diviſione, virtualem communicationem mutuam, ſingulorum membrorum ad invicem: Ita ut deficiente portione Epiſcopi, ſi aliqua ex aliis ſuperabundabat, illa pars ſuperabundans, in-

Gelaſ. Pap. cap. conceſſo.

Remanebat virtualis communicatio membrorum ad invicem.

opiam

opiam Episcopi supplere debebat: si deficiebat portio cleri, superabundabat autem Episcopi portio, aut illa quæ erat fabricæ, sive pauperum; debebat superabundantia, sive Episcopi, sive fabricæ, sive pauperum, supplere inopiam ministrorum juxta ordinem necessitatis ipsius Ecclesiæ & populi: Quin immò in omni casu, quo ministrorum portio defecisset, ex tota portione fabricæ & pauperum, ordine charitatis suppleri debebat, quia ad ipsos primò ordine justitiæ, & necessitatis pertinebat. His sic prænotatis pono responsiones ad singulas propositiones suprapositas.

Responsio ad Primam.

Obligatio parochorū ad populū sibi commissum, nō obstantibus periculis, &c.

AD Primam Respondeo: Parochos quamdiu parochiale beneficium possident, teneri ex justitia (non obstantibus difficultatibus, & periculis) per se, vel per alium providere, ut populus eis commissus necessariâ Sacramentorum administratione, & instructione gaudeat, quamdiu spes subest necessarii adjutorii imponendi. Ratio est: Quia, hoc ipso, quo beneficii parochialis possessionem accipiunt, obligant se ad curam animarum illius parochiæ, illaque in eos devolvitur, cui curæ, necessariorum Sacramentorum, & instructionis debitæ administratio est annexa. Dixi (*ex justitia*) adeptio enim beneficii virtualem contractum justitiæ continet, & reciprocam (ut posteà dicemus) pastoris ad gregem, & gregis ad pastorem obligationem.

Dixi (*per se aut per alium*) sufficit enim si per alium legitimè suppleat, quod per se ipsum, congruè quis præstare non potest, aut vix potest.

Impossibilitas excusat.

Dixi (*quamdiu aliqua spes subest necessarij adjutorij imponendi*) si enim non appareat spes vel modus succurrendi, sed omnimoda impossibilitas; tunc ratione impossibilitatis parochus excusabitur. Frustra enim attentaret, quod communi prudentum judicio impossibile judicaretur. Aliud est, si tantum sit difficile & periculosum: tunc enim ob causam tanti momenti, quæ est salus populi sibi concrediti, experienda sunt pericula, & difficultates, & extrema, etiam cum periculo vitæ tentanda.

Secus periculum vel difficultas.

Respondeo Secundò, parochum titulo fidelitatis teneri curam pastoralem non dimittere, nisi populo aliqua ratione sit aliter provisum, aot subsidium judicetur impossibile. Ratio est: Quia pastorale officium ex se, includit quamdam fidelitatem custodiæ, & directionis: Unde Christus ponens distinctionem inter pastorem, & mercenarium: *Bonus* (ait) *pastor animam suam dat pro*

Joan. 10. v. 11. 12. &c.

Resolutiones,

ovibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, &c. quia (inquit) *ad eum non pertinet de ovibus.* Certum autem est parochum mercenarium non esse, sed fidelem pastorem, & quæ ipse præstat ex vi beneficii, nō esse stipendia, sed subsidia & honoraria ipsis ex justitia debita.

Dixi (*donec aliter sit provisum*) utpote si Episcopus in se onus providentiæ suscipiat, aut alteri jam sit cura concredita. Dixi (*aut judicetur subsidium impossibile*) ratione quâ supra.

Ad hæc clarè intelligenda, videnda est Epistola 180. S. Augustini *ad Honoratum Episcopum. Tom. 2. operum*, in qua fusè, & obligationes, & causas obligationum, ministrorum tempore persecutionis explicat; & de modis succurrendi, de necessitate, de fuga, de modo fugæ, &c. latissimè, & clarissimè discurrit, & ad omnia, quæ in contrarium proponi possent, respondet.

S. August. ep. 180. ad Honorat. Epis.

Responsio ad Secundam.

Obligatio Episcoporum deficientibus parochis.

AD Secundam Respondeo, deficientibus parochis in suo ministerio, relabitur cura in Episcopum: Ipsiusque est, aut parochos efficaciter urgere ad ministeria, aut de ministris necessariis providere. Hoc patet ex prænotato primò, & tertiò, illis enim cura animarum diæcesis primariò incumbit jure divino; & quoad Reverendissimum Episcopum Gandensem, certum est Episcopatu, & sede Episcopali remanente, ipsius esse providere de ministris, in partibus suæ diæcesis, per hæreticos afflictis; non autem Reverendissimi Vicarii Generalis SS. Domini per Hollandiam: Ille enim tantum potestatem habet in diæcesibus, intra istas provincias, Episcopis carentibus.

Non obligatur Reverendissimus Vicarius General. &c. remanente Episcopatu

Responsio ad Tertiam.

Episcopus tenetur providere, ut ministris detur congrua competentia.

AD Tertiam Respondeo, teneri Episcopum procurare (servato ordine justitiæ, & charitatis) ut cuique detur congrua competentia vivendi, si parochis non sit aliunde provisum. Hæc Responsio sequitur ex præcedenti. Cum enim cura ministerii necessarii, incumbat primario Episcopo, illi consequenter incumbit, ut qui ministrant de ministerio vivant; ut in notabili quarto est dictum.

Dixi (*procurare*) non enim semper ex propriis tenetur providere; sed sufficit ut provideri efficaciter faciat.

Dixi (*servato ordine justitiæ & charitatis*) Primò enim tenentur Catholici, qui

 Eccle-

Qua obligatione decima, ad Canonicos, vel monasteria sint devoluta. Ecclesiarum decimas actu recipiunt, ad sustentationem ministrorum Ecclesiarum, ex quibus decimas recipiunt; quia ad hoc decimæ datæ sunt primariò ex fundatione sua; & quamvis ad canonicos vel monasteria sint devolutæ: eâ tamen obligatione, ex natura decimarum, devolvuntur, ut parocho, vel ejus officium in necessitate præstanti, sustentatio proportionata detur. Et sic patet responsio ad tertiam propositionem.

Qua obligetur populus. Secundò, Ubi fundationes non sunt, vel perierunt, aut impeditæ sunt, tenetur populus parocho, vel ejus ministeria præstanti providere de sustentatione ex Justitia. Vide scripturas allegatas in prænotato quartò.

Deficientibus fundationibus, &c. Unde procurari debeat sustentatio. Tertiò, Fundationibus & oblationibus fidelium quovis modo, vel eventu deficientibus, Episcopus procurare debet, ut ex superabundanti portionum Ecclesiasticarum ultra necessitatem, & decentiam status, provideatur; & primariò quidem, ex superabundanti portione proventuum Episcopatus sui & clericorum; Deinde ex mensâ pauperum: Ministri enim ad penuriam redacti, ordine charitatis omnes pauperes præcedunt; tandem ex fabrica, & proventibus fabricæ; prout in prænotato 6. supra explicatum est.

Addi potest, & medium beneficentiæ communis Catholicorum, cum eleëmosynis in testamentis, legatis, relictis, &c. qui enim pro pauperibus communibus similes eleëmosynas, & legata pia contribuunt: non deerunt pro missionariis & ministris fidei indigentibus: si per personas idoneas curet Episcopus illos commendari.

Responsio ad Sextam.

Gubernatores & officiales muneribus sunt deliniendi. AD Sextam respondeo: Prudentiæ & providentiæ Episcoporum, & Catholicorum esse, gubernatores & officiarios quoscumque muneribus delinire; ad quod non debet existimari ulla temporalium profusio, ut animæ necessariis ministeriis (à quibus earum salus dependet) gaudeant: Non enim potest dari commutatio pro animabus fidelium Christi sanguine redemptis, & ut benè *S. Gregorius hom. in illud Ioan. 10. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis: Qui* (inquit) *non dat pro ovibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam?* S. Gregor.

Responsio ad Septimam.

AD Septimam patet Responsio: semper enim redit onus providendi in Episcopum, ne animæ pereant.

Responsio ad Octavam.

AD Octavam Respondeo: Non defuturos in Ecclesia, tam sæculares, quàm regulares, qui se periculis exponant, & ministerium subeant urgente charitate. Nec defuturam, pro Dei causâ, & animarum salute laborantibus sustentationem ordinariam ex populi devotione, & mediis supra positis in responsione ad tertiam, & casu quo capiatur, ad eadem media recurrendum erit, ut mulctæ solvantur; Unde de qualitate remunerationis, & quantum sit addicendum pro mulctis, cum quæstiones sunt facti, à circumstantiis locorum, temporum, personarum, &c. dependentes, & hic inutiliter moventur.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CASUS I.

De prætensis duobus matrimoniis unius cum duabus: & variis impedimentis dirimentibus concurrentibus.

JAcobus adolescens oppidi N. diæcesis Audomarensis imprægnavit Margaretam filiam oppidi N. diæcesis Iprensis. Peperit illa, prolemque Jacobo adjuravit: venit autem post partum ad Iacobum in oppido suo existentem importunè sollicitans utse, ab illo corruptam, in uxorem ducat; cum comminatione ipsum diffamandi; ac juridicè contrà eum agendi, nisi duceret. Iniit cum illa Iacobus matrimonium coram parocho & testibus; protestatus tamen ei antea fuit, se nolle cum illa matrimonium inire, sed id quod faciebat, faceret solummodò ad consulendum honori Margaretæ ejusque amicis satisfaciendum: quodque nollet ei unquam cohabitare, &c. Sciebat quippe Iacobus (ut asserit) se habere impedimentum dirimens ex carnali copula habita cum sorore Margaretæ, ex quo matrimonium ei erat illicitum, & in se nullum; unde inito matrimonio statim recepit se ad domum matris, Margaretam sic relinquens intactam, nec matrimonium consummavit; imò à cæremoniis factis extrinsecus illam dimisit absque ulteriori alloquio, &c. Margareta etiam acceptâ attestatione à parocho de matrimonio inter se & Iacobum inito, reversa est ad propria, nec deinceps se mutuò fuere allocuti: nec ipsa pro cohabitatione aut matrimoniali aliquo officio apud Iacobum institit. *Proponitur Casus.*

Pro-

Procatur postmodum Jacobus, seu potius repetit procationem Catharinæ puellæ oppidi N. ejusdem Iprensis diœcesis, quam Catharinam procatus etiam fuerat antè istud matrimonium initum cum Margareta; eamque procationem instantissimè prosequitur, dum Catharina, fortè cum aliquibus è suis, esset in oppido memorato Jacobi. Tandem consentiente Catharina in matrimonium (ignorabat namque matrimonium inter Jacobum & Margaretam ibidem contractum) instabat Jacobus, ut ad contrahendum veniret ad Pagum N. distantem uno circiter milliari à dicto oppido, interrogante illa cur non in ipso oppido? respondebat Jacobus se non desiderare ibidem contrahere ob matrem illic existentem, ac alias rationes; addens se in illo Pago posse legitimè contrahere coram parocho ejusdem loci, eo quod nomen militiæ dedisset, ac proindè gauderet privilegio militari: conveneratque de facto cum Capitaneo N. gallo amico suo, qui Jacobum sub se militare affirmabat; sed nec tunc nec postea actum aliquem militarem exercuit. Interim suasione & importunitate Jacobi consensit Catharina in istum locum; ac ibidem coram parocho ejusdem loci, & testibus iniit matrimonium cum ipso anno 1649. 24. Junii, duobus circiter annis ab inito matrimonio Jacobi cum Margareta: fuitque hoc matrimonium actibus matrimonialibus consummatum.

Hoc matrimonium intelligens Margareta, festinavit ad oppidum Jacobi, in quo tunc temporis Jacobus cum Catharina erat, reclamavitque contra eorum matrimonium: Jacobus nolens ei loqui, perrexit Gandavum, & ad alia loca, consilium petiturus quid in hac re foret agendum.

Dum hæc aguntur Catharina ad oppidum suum reversa est 26. Julii 1649, nec ab illo tempore Jacobum vidit.

Jacobus acceptis avisamentis tum Theologorum, tum Jurisperitorum in favorem matrimonii cum Catharina, ivit ad Reverendissimum Boloniensem, cujus Jurisdictioni tunc oppida Iacobi, Margaretæ ac Catharinæ (quia capta à Franco) subdita prætendebantur. Re communicatâ cum Reverendissimo instituit ibidem formalem Processum contra Margaretam reclamantem. Et tandem in initio Ian. 1650. data est sententia contra Iacobi matrimonium cum Catharina: condemnatusque est, ut Margaretam tamquam legitimam conjugem retineret. A qua sententia paulò post appellavit ad Rhemensem Archiepiscopum: ubi usque modò res indecisa pendet, nemine eam prosequente à denuò occupatis oppidis memoratis ab Hispano.

Quæritur.

1. *Quid in foro conscientiæ judicandum sit de istis duobus matrimoniis prætensis? & primò de matrimonio Iacobi cum Margareta?*

2. *Quid in foro externo?*

3. *Quæ probationes in foro externo requirantur, ut probetur defectus consensus, sive consensus fictus Iacobi, de quo dicitur in casu priùs protestatus?*

4. *Quæ similiter probationes requirantur in foro externo, ut probetur impedimentum dirimens affinitatis in primò gradu transversali, Iacobi cum Margareta, ex copula illicita cum sorore Margaretæ.*

5. *Quid de judicibus & appellatione ad Rhemensem Archiepiscopum, cujus jurisdictio in personas jam cessat?*

6. *Denique quid de matrimonio Iacobi cum Catharina? & an ipsa, non compellendo priùs Iacobum apud alium judicem possit liberè & tutâ conscientiâ matrimonium aliud inire?*

Prænotanda.

Duplex defectus matrimonii, 1. invalidans.

ANte Resolutiones: Reflectendum est Primò, opponi duos defectus matrimonium primum invalidantes. *Alter partis essentialis*: nimirum, defectus consensus legitimi, sive consensus fictus Jacobi, Margaretæ ante contractum matrimonii declaratus, cum protestatione aperta de ejus nullitate, &c. *Alter impedimenti dirimentis, affinitatis in primò gradu transversali contracti ex illicita copula, &c.*

Reflectendum Secundò, hic potissimum agi de probatione clara, & sufficiente dictorum defectuum in judicio quoad forum externum. His præmissis sequentes resolutiones pono.

Resolutio 1. ad 1. Quæstionem.

Ex utroque etiam separatim sumpto, Primum matrimonium est nullum in foro conscientiæ.

AD Primam igitur Quæstionem Resp. Suppositis illis duobus defectibus, tum ex parte *nullitatis consensus* ex parte Jacobi, tum ex parte *impedimenti affinitatis* in primo gradu transversali, quod est dirimens: Certum est primum matrimonium Jacobi cum Margareta in foro conscientiæ esse nullum ex utroque defectu, etiam separatim sumpto. Ratio clara est, nec aliâ declaratione indiget: nam ad validum matrimonium in utroque foro, requiritur in utroque contrahente verus consensus & carentia impedimenti dirimentis. Si ergo in foro conscientiæ certum & indubitatum sit aliquod horum defuisse, constat conse-

quenter matrimonium non subsistere, & ab illo in foro conscientiæ Jacobus abstinere tenebatur.

Resolutio 2. ad 2. Quæstionem.

Secus in foro externo, quamdiu, saltem alter eorum, non est probatus.

AD secundam Quæstionem è contra Resp. Quamdiu in foro externo defectus allegati, vel alter illorum non est probatus, matrimonium primùm Jacobi cum Margareta coram parocho & testibus contractum, in eodem foro externo validum habendum est, ac in favorem illius judicandum. Ratio etiam clara est: Quia de exterioribus solum judicat Ecclesia; & qui in facie Ecclesiæ, servatis in externo foro servandis, matrimonium contraxerunt, tamdiu pro conjugatis habendi sunt, quamdiu matrimonium invalidum non probatur. Et sicut solius Ecclesiæ est matrimonia legitima approbare: ita Ecclesiæ solius est, examinatis legitimè defectibus, illa in foro externo invalidare. Unde ex hoc capite peccavit Jacobus mortaliter (etsi in conscientiæ foru sciret prius matrimonium invalidum) contrahendo matrimonium cum Catharina, quia priùs matrimonium cum Margareta debebat ab Ecclesia dissolvi, sive invalidum declarari, antequam ad aliud procederet, ob scandala quæ aliàs inde erant oriunda. Ita Doctores.

Cõtrahendo cum secunda, qui peccarit Iacobus.

Resolutio 3. ad 3. Quæstionem.

Protestatio Iacobi facta Margareta, &c. An probet in foro externo?

AD tertiam Quæstionem Resp. Primò, solam protestationem Jacobi factam Margaretæ ante contractum matrimonium de ficto consensu seu dissensu, cum asseveratione nunquam habendi illam pro uxore, &c. in foro externo non sufficere, nisi Margareta in istam protestationem, sive fictionem consenserit, aut legitimè facta probetur. Ita Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 45. n. 2.* Ratio est: quia in foro externo non creditur parti in propria causa testimonium ferenti, maximè in præjudicium tertii: Hæc auten protestatio Jacobi est in ejus favorem, & in præjudicium & detrimentum Margaretæ contra eum se opponentis. Et quamdiu contrarium non probatur, præsumetur in foro externo, Jacobus consensum renovasse, dum coram parocho & testibus clarâ voce expressit se Margaretam in conjugem accipere. Argumento *Cap. per tuas de probationibus.* ubi Pontifex *cum* (inquit) *nimis indignum sit juxta legitimas sanctiones, ut quod suâ quisque voce dilucidè protestatus est, in eundem casum proprio valeat testimonio infirmare.*

Sanchez.

Cap. per tuas.

Dixi (*nisi Margareta in istam protestationem, sive fictionem consenserit*) si enim consensit, tunc utrunque verus consensus defuisse præsumetur. Dixi etiam (*aut protestatio legitimè facta probetur*) quæ autem requirantur ad probationem talem sufficientem, in sequentibus responsionibus dicetur.

Ex quibus possit probari in foro externo illa protestatio Iacobi.

Resp. itaque secundò, ad probandum sufficienter in foro externo quoad certitudinem moralem, protestationem factam, & Margaretam intimatam; ac consequenter consensum fictum, sive potius dissensum matrimonii, prudenti judici sufficere videtur.

Primo à causis.

Primò, Causa nullitatis quæ adfertur, nimirum impedimentum affinitatis in 1. gradu, quod erat justissima causa dissensus seu consensus ficti, cum verum consensum absque peccaro mortali Jacobus dare non posset, ratione dicti impedimenti.

Secundò, Quod minis Margaretæ Jacobus ad matrimonium nolens compulsus fuerit.

Tertiò, Quod cæremonias matrimonii inibat in favorem Margaretæ, & ad restituendum honorem quem ex impregnatione illicitâ Margareta perdiderat: & ad satisfaciendum amicorum indignationi.

Secundo ab effectibus.

Probatur amplius ab effectibus. Primò, ex parte Jacobi, qui cæremoniis factis statim reliquit Margaretam, ab illa recessit, nec illam ullo alloquio, aut signo maritali dignatus fuit; imò indignationem ostendit, cum ab illo tempore illam non vidit, nec matrimonium cum illa unquam consummarit.

Secundò, ex parte Margaretæ arguitur quod hujusmodi dissensus conscia fuerit, quæ contenta testimonio parochi de cæremoniis matrimonii factis, liberè à Jacobo recessit, nunquam de obligationibus matrimonii Jacobum requisivit, nunquam ad Jacobum reversa est nisi post contractum matrimonium cum Catharina, duobus scilicet annis post: & hoc non ad finem aliquem matrimonii absolutum, sed tantùm ut matrimonium cum Catharina impediret: quia fortè ille secundus contractus matrimonii cum Catharina, resuscitabat infamiam vel dedecus Margaretæ super priori illicita impregnatione.

Deinde ex secundo contractu matrimonii cum Catharina, matrimonium Margaretæ arguebatur fuisse illicitum: Imò protestatio Margaretæ contra matrimonium Jacobi cum Catharina, cum non dirigeretur ad obtinendos fines matrimonii, arguitur facta magis in odium Jacobi; ut non obstante dissensu & ficto consensu in matrimonio illegitimè cū Margareta celebrato,

Margareta

Margareta Jacobum à validis nuptijs, aut matrimonio legitimo in perpetuum impediret, & omni spe alterius matrimonij privaret.

Et has ac similes probationes sufficere judicibus adprobandum sufficienter Jacobi dissensum, & inferendam certitudinem moralem factæ protestationis, docet Sanchez supracitato loco *n.* 19. 20. 21. 22. &c. ubi longè & latè allegatis juribus & Doctoribus prædicta refert, & confirmat.

Sanchez.

Resolutio 4. ad 4. Quæstionem.

Impedimentum affin. non probatur confessione Iacobi, nec & illius quam corrupit, &c.

AD quartam quæstionem de impedimento affinitatis.

Resp. primò, solam confessionem, seu asseverationem Jacobi, imò etiam illius quam corrupit etiam cum aliqua fama de impedimento affinitatis dirimente, non sufficere ad matrimonium jam contractum dissolvendum, vel nullum judicandum, sed requiri ut probationes rationabiles ac fide dignæ accedant. Est expressus casus Cap. *super eo: de eo qui cognovit consanguineã*: quod est Cælestini tertij, ubi sic scribit pontifex: *Super eo* (inquit) *quod postulas: utrum conjugatus, qui ante contractum matrimonium, uxoris suæ consanguineam carnali commixtione cognovit, cum id fateatur uterque, & aliqua pars viciniæ adclamare videtur, sit ab uxore sua judicio Ecclesiæ separandus? tuæ fraternitati respondemus: quod propter eorum confessionem tantùm, vel rumorem viciniæ separari non debent.* Cujus rationem ibidem reddit. *Cum* (inquit) *& quandoque nonnulli inter se contra matrimonium velint colludere, & ad confessionem incestus facile prosilirent, si suo juditio crederent per judicium Ecclesiæ concurrendum.* Et addit: *rumor autem viciniæ non adeo est judicandus validus, quod nisi rationabiles & fide dignæ probationes accedant, possit bene contractum matrimonium irritari.* Hæc ibi.

Cap. Super eo.

Impedim. illud est difficillimæ probationis.

Resp. Secundò impedimentum affinitatis (de quo in casu) esse difficillimæ probationis. Primo, quia à solo Jacobo in propria causa asseritur. Secundo, quia est de actu ex natura sua occulto. Tertiò, quia nec juramento probari potest: non quidem Jacobi, quia est in propria causa, & in grave præjudicium proximi, nimirum, in gravem infamiam sororis Margaretæ, cujus peccatum occultum propalandum esset, & quod nec ipsa etiam adjurata fateri tenetur: est etiam in detrimentum Margaretæ quæ validitatem matrimonii intendit. Probationes itaque relinquuntur prudenti examini, & judicio judicum, quorum est de probationum qualitate in re tam obscura, attentis circumstantijs, judicium ferre. Et quidem facilius esset probare dissensum sive consensum fictum, quàm impedimentum affinitatis ex se occultum.

Resolutio 5. ad 5. Quæstionem.

Appellatio totaliter cessat.

AD quintam quæstionem de judicibus resp. primò, quidquid fuerit de potestate Officialis, sive Episcopi Boloniensis in occupatis oppidis memoratis à Gallis, quoad matrimonia ibidem celebranda (de qua fortè quæstiones moverentur) Appellationem ad Rhemensem Archiepiscopum totaliter cessare, testitutis locis ad proprios Episcopos, qui sunt; vel Audomarensis respectu Jacobi, quia matrimonium supponitur in oppido N. Diœcesis Audomarensis celebratum; vel Iprensis ratione Margaretæ & Catharinæ quæ in illa Diœcesi domicilium habuerunt, & tunc habebant.

Quid desuper possit fieri.

Resp. secundò. Supposito judicio primæ instantiæ legitimè & ritè facto apud Boloniensem Episcopum, Jacobum posse appellationem revocare ad Internuntium Apostolicum, vel à S. Sede Judices postulare in partibus. Ratio est, quia judicium primæ instantiæ jam supponitur ritè factum apud ordinarium qui tunc erat. Quod si de legitimitate judicij apud Boloniensem dubitetur, tunc prima instantia resumenda esset apud Audomarensem, vel Iprensem ordine juris, nisi ob priùs, ratione belli, perturbatam jurisdictionem, S. Sedes, sive Internuntius Apostolicus causam ad se evocet.

Sanhez.

Post duas sententias intra decennium potest semper appellari.

Quid post decennium

Generaliter docet Sanchez *lib. 7. de matrim. disput.* 100. *per totam.* Sententiam de matrimonij validitate, ubi allegatur verum impedimentum dirimens, non transire unquam in *rem judicatam*; sed quamvis talis controversia haberet duas sententias conformes, intra decennium posse semper appellati: & appellationis termino evoluto, posse per querelam & libellum causam retractari; ratio est quia impedimento dirimente perseverante, qui contraxerunt sunt in continuo periculo peccandi, si matrimonio utantur: & hoc quoad forum conscientiæ.

Resolutio 6. ad 6. Quæstionem.

Matrim. cum secunda est invalidum ex duplici capite in utroque foro.

AD sextam quæstionem, quid de matrimonio Jacobi cum Catharina, &c.

Resp. primò, Catharinæ Matrimonium cum Jacobo esse in utroque foro absque ulla declaratione nullum & invalidum, idque ex duobus capitibus: nimirum ex impedi-

impedimento legaminis matrimonium dirimente: & ex *defectu aſſiſtentiæ legitimi parochi*.

Impedimentum ligaminis.

Et quidem de *impedimento ligaminis* conſtat: quia Jacobus in facie Eccleſiæ coram proprio parocho jam matrimonium contraxerat cum Margareta, unde de facto in in foro Eccleſiæ ligatus erat. Nec refert quod Jacobus prætendat matrimonium contractum in foro conſcientiæ ratione *impedimenti affinitatis* ex copula occulta & illicita cum ſorore Margaretæ, fuiſſe nullum: cum enim contractus matrimonialis ſit contractus publicus & externi fori, ſecundum leges fori Eccleſiaſtici eſt judicandus, & ſecundum leges matrimoniales; unde etſi in foro conſcientiæ matrimonium cum Margareta fuiſſet nullum: in foro tamen Eccleſiaſtico ſubſiſtebat, & in eodem foro inducebatur actu *ligamen* impediens & dirimens, in quocumque foro, aliud matrimonium contrahendum: quia revera contractus alius Eccleſiaſticus non poterat ſubſiſtere, primo in eodem foro ſubſiſtente.

Contractus validus in foro externo non cenſetur invalidus quia eſt talis in foro conſcientiæ.

Unde valde notandum eſt, contractum matrimonij (ſicut & alios contractus in foro conſcientiæ nullos) non invalidare in foro externo contractus validos; ſed ſtare, judicari & haberi in foro externo validos, quamdiu per ſententiam judicis non annullantur; & conſequenter pro eodem foro externo invalidare omnes contractus poſteriores in externo foro factos. Explico Joannes vendidit petro domum, ſervatis omnibus quæ ad validum contractum in foro externo à lege requirebantur: in conſcientia autem ſubeſt aliquod impedimentum: exempli.g. quod domū illam Deo devoviſſet in interiori homine: aut quod ficte & non verè conſenſiſſet; ac idcirco in foro conſcientiæ venditio domus, ſicut illicita ita nulla eſſet. In hoc caſu, venditio facta Petro cenſebitur valida in foro externo, & quidquid poſtea de domo ſua in foro externo Joannes diſpoſuerit, nullitatis condemnabitur, quia verè domos petro priùs obligata erat; etſi Joannes eam vendendo peccaverit; & aliunde pro ſuo voto, Deo ſatisfacere debeat.

Matrimonij nullitas in foro conſcient. quid dicat.

Hinc iterùm bene explicandi ſunt termini harum propoſitionum: *matrimonium in foro conſcientia eſt nullum*: & *matrimonium in foro Eccleſiaſtico eſt validum*, ut ſciamus quid importent: *matrimonium enim in foro conſcientia eſſe nullum*, nil aliud dicit quam Jacobum à propria conſcientia judicari peccaſſe, & non potuiſſe contrahere: adeoque actibus, qui ex ſolo matrimonii jure licebant, non poſſe legitimè & abſque peccato gravi uti: & conſequenter arceri à thoro, a concubitu, à cognitione, ab amplexibus &c. Margaretæ. *matrimonium* verò *in foro externo ſive Eccleſiaſtico eſſe validum*, importat: quod poſſit Jacobus cum Margareta habitationem communem habere, bona communia facere, & alia externa, quæ ſociali vitæ extra matrimonium poſſunt convenire: prohibetur autem, ex vi contractus Eccleſiaſtici, aliam uxorem ducere, quia per contractum Eccleſiaſticum matrimonij qui non niſi in foro externo celebratur, ſe inhabilem reddidit; & quamdiu in foro externo matrimonium ſubſiſtit, nec à judice annullatum eſt, inhabilis jure Eccleſiaſtico perſeverat.

Quid in foro externo.

In neutro foro matrimonium ſubſtitit.

Unde etiam infertur matrimonium cum Catharina celebratum in neutro foro ſubſtitiſſe, quia non potuit in foro interno valere niſi per conditiones in foro externo ipſo tempore contractus validas, tunc valuiſſet: conſtat autem impedimentum ligaminis, quod in foro externo exiſtebat, omne poſterius matrimonium impediviſſe, & Jacobum inhabilem ſimpliciter ad contrahendum reddidiſſe: atque ita peccavit mortaliter Jacobus Catharinam cognoſcendo tamquam uxorem; nec Catharina à peccato excuſatur niſi ob ignorantiam quâ invincibiliter laborabat.

Nec poteſt revalidari niſi de novo contrahatur.

Infertur ampliùs: quod, etiam declarato matrimonio Jacobi cum Margareta nullo, matrimonium cum Catharina non poſſit revalidari, niſi novo mutuo conſenſu iterum contrahatur, quia verè ratione *ligaminis* nullum fuit, & ab initio non ſubſtitit.

Defectus præſentia legitimi parochi.

Ex altero denuò capite *defectus præſentia parochi legitimi*, nullitas matrimonii Jacobi cum Catharina manifeſta eſt: quia parochus vere ſuppoſititius fuit: nec enim militi permittitur ſimpliciter coram quocumque Sacerdote contrahere omni tempore: ſed privilegium (ſi quod ſit) nō aliâ formâ, vel ſine datum eſt militi, niſi, primò, ſuppoſito quod ſit vere miles, non ſolum inſcriptus, ſed actu etiam militiæ deſerviens. Secundò, ut non quocumque tempore & loco poſſit coram quolibet Sacerdote contrahere: ſed debet eſſe proprius parochus, aut Capellanus vice & jure parochi militiæ aſſiſtens, aut ubi talis non repireretur, *jure vagorum* coram aliquo parocho, in loco ubi exercitus pro tempore eſt munus parochi exercente; alias nec privilegium aliquid matrimonio confert ut valide contrahatur. In hoc autem caſu Jacobus nec vere miles fuit, nec militiæ actu deſervivit, nec animum quidem ad deſerviendum militiæ habuit. Et alias proprium parochum habebat, cujus præſentiam non a-

Privilegium militare expenditur.

lia

sua ratione fugit, nisi in fraudem, ne *impedimentum ligaminis* discooperiretur: nec *parochus exhibitus*, militiæ Capellanus fuit, jus aliquod in milites habens. & si jure vagorum aliquos forte milites à patria sua absentes conjungere potuisset, non tamen Jacobum qui vix à proprio parocho una leuca distabat, &c.

Catharina potest alteri nubere absque aliqua declaratione.

In hoc ergo casu nil nisi fraus & dolus fuit, qui Jacobo nequaquam patrocinari poterit, quin potius in ejus perniciem legibus devoluitur.

Resp. ergo secundo, Catharinam in utroque foro liberam esse & absque aliqua declaratione posse alteri nubere. Ratio est: quia publicè constat in omni foro matrimonium nullum esse. Et cum Catharina omnium ignara fuerit, alieni doli & fraudes non debent innocenti præjudicare.

CASUS II.

De matrimonio puberis cum impubere: pubere volente resilire, postquam impubes annos pubertatis attigerat.

Proponitur casus.

DOmina A. B. annum pubertatis prætergressa ex consensu tutoris cujus curæ tunc suberat, publice coram parocho & testibus per verba de præsenti & cum annuli subarratione contraxit cum Domino C. D. tunc impubere; & postea à Pseudo-Episcopo Cantuariensi (in cujus domo & potestate erat per octodecim dies) examinata, & tentata, an vellet resilire a priori contractu, verbo & scripto id planè negavit, in eademque voluntate persistens, à prædicto Pseudo-Episcopo tradita fuit parentibus sui sponsi, inque ædibus ipsorum postea vixit cum ipso pubertatem adepto, ubi signis mutuis inter se datis, & acceptis priorem ratificerunt contractum, osculis scilicet, & amplexibus, litteris suprascriptis ad invicem, & subscriptis viri & uxoris appellationibus: ipsa etiam annis aliquot appellari voluit mariti sui cognomine, fratres & sorores mariti, suos identidem vocare consuevit; & huc usque permisit prædictum Dominum C. D. nomine & auctoritate mariti agere cum villicis suis, agrorumque proventus recipere. Jam verò malo aliorum consilio prætendit se signis ita ratificasse contractum, ex falsa opinione quam habuerat de vero matrimonio, & non tantùm sponsalibus cum sponso impubere contractis; quare juxtà aliquorum sententiam se ob erroneum illud judicium posse nunc resilire, valide talem, & cum alio contrahere existimat,

Quæritur itaque.

Primò, an matrimonium per verba de præsenti inter Dominam A. B. puberem, & Dominum C. D. impuberem contractum, etiam cum subarratione reputari debeat verum & validum matrimonium?

Secundò an Domina A. B. pubes à matrimonio, sive sponsalibus de præsenti contractu cum Domino C. D. possit resilire?

Tertiò, an adepto pubertatis anno per Dominum C. D. ipso non revocante consensum contractus prior, absque alia repetitione illius, transeat in matrimonium ratum & validum, ita ut neuter resilire possit?

Responsio ad 1. Quæstionem.

Matrimonium illud non fuit ratum & validum.

RESpondeo itaque ad primam: matrimonium per verba de præsenti inter Dominam A. B. puberem & Dominum C. D. impuberem contractum, pro illo tempore quo contractum est non habuisse rationem matrimonij rati & validi, non obstante etiam subarratione, sed habuisse tantum rationem sponsaliorum: Est expressus textus *c. tuæ nobis, de desponsat. impuberum.* Ubi Innocentius III. ad Episcopum Abbatensem in simili casu de nobili desponsante filiam quæ necdum attigerat 12. annos, qui nobilis etiam subarraverat eam consensu mutuo accedente: pontifex resoluit: *quod si (inquit) puella nubilis non erat ætatu, cum, sæpe præfatus vir, desponsavit eandem: & ætatem in ea prudentia non supplebat: procul dubio inter eos non conjugium, sed sponsalia contracta fuerunt, quamvis ab ipso viro eadem fuerit subarrata.* Ergo à pari etsi subarratio & mutuus consensus inter A. B. puberem & C. D. impuberem intervenerit, quia tamen C. D. non habuit ætatem nubilem pro illo tempore, contractus ille mutuus coram parocho, & testibus per verba de præsenti, defectu ætatis non habebit rationem matrimonii rati & validi, sed tantum sponsaliorum de præsenti; defectus enim ætatis est impedimentum prohibens matrimonium juxta *C. ubi non eodem tit.* In quo Nicolaus Papa sic loquitur. *Districtius inhibemus ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem, legibus, vel canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur.* Estq; hæc sententia communis. Dixi vero *(pro illo tempore)* ostendemus enim infradictum contractum sub lato defectu ætatis, in matrimonium validum transire.

Innoc. III. cap. tuæ nobis, &c.

Nicolaus Papa.

Respon-

Responsio ad 2. Quæstionem.

Ipsa, mamente consensu alterius, non potest resilire.

RESpondeo ad secundam, Dominam A. B. contrahentem post annos pubertatis cum Domino C. D. impubere sive ante pubertatem C. D. sive post, permanente consensu C. D. non posse reclamare vel resilire. Est textus planus & apertus. *C. de illis de desp. impub.* Quod est Alexandri tertij ad Barthoniensem Episcopum, ubi sic habetur: *mulier autem quæ postquam annos nubiles attigit, ei, qui nondum ad annos aptos matrimonij venerat nupsit, cum in eum semel consenserit, amplius non poterit dissentire, nisi ipse cui nupsit, postquam ad legitimam ætatem pervenerit, in eam suum negaverit præstare consensum.* Sed in proposito casu Domina A. B. postquam annos nubiles attigisset, nupsit Domino C. D. qui necdum ad annos aptos matrimonio provenerat: ergò non potest amplius dissentire ex parte sua; nisi Dominus C. D. ipse resiliat: ratio autem cur puberibus potestas resiliendi non concedatur, sed solùm impuberibus est: quia pubes censetur habere plenam perfectamque ætatem & prudentiam ad deliberandum: non sic verò impubes, qui cum pro tempore quo nubit non sit aptus matrimonio & generationi, ejus consensus datus ante pubertatem non censetur perfectus, nisi vel ratificetur post pubertatem adeptam, vel saltem perseverare censeatur. Quam rationem ex impubere judicat. *C. de illis* supra citatum. Cujus ratio est: quia dans potestatem corporis sui ad generationem, censetur quidem modo illam dare, ita tamen ut plena possessio tantum pro tempore, quo erit aptus generationi, accipiatur.

Alexan. 3.

Responsio ad 3. Quæstionem.

Quæ tantum sunt repudiabantur sponsalia, postea in matrimonium convaluisse censentur.

AD tertiam quæstionem respondeo: supposito quod Dominus C. D. post annos pubertatis adeptos non resilierit, nec consensum revocaverit: quinimò uterque etiam post pubertatem Domini C. D. simul cohabitaverint, signis datis & acceptis suum consensum manifestaverint, nomen viri & uxoris in litteris subscripserint, & alia quæ in casu narrantur, mutuò sibi contulerint: hoc ipso, quæ sponsalia priùs tantùm repurabantur, censentur in matrimonium convaluisse. Hoc indicat textus Bonifacij VIII. in *Sexto decretalium l. 4. Tit. 2. c. unico de desponsatione impuberum*, ubi licet per adventum pubertatis, simpliciter neget matrimonium pubis cum impubere, vel duorum impuberum (quæ *juris interpretatione tantum sponsalia de futuro fuisse* asserit) *per adventum pubertatis in matrimonium transire de præsenti*; & dicit *matrimonium* (*quod ut matrimonium ætate non tenuit prob bente*) *per lapsum dicti temporis non convalescere*. Addit tamen duos modos, quibus matrimonium illud convalescat & in matrimonium validum transeat, nimirum: *Per carnis copulam subsecutam, vel si per aliquem modum alium contrahentes eosdem, cum ejusdem perseverantia voluntatis, ad pubertatis tempora pervenisse evidenter constiterit.* Hæc ille: quomodo autem de perseverentia voluntatis melius constare potest quam per cohabitationem & supra omnia in casu relata; & qualiter melius constat de pubertatis annis, quam per ipsam ætatis computationem, & annos pubertati per leges adjudicatos. Addo: ex resolutione q. 2. ex *c. de illis cit. eodem*, cum declarante Alexandro III. resilire, reclamare, & consensum revocare sit solius impuberis: *mulier autem* (inquit) *quæ postquam annos nubiles attigit, ei qui nondum annos aptos matrimonij venerat, nupsit, cum in eum semel consenserit, amplius non poterit dissentire, nisi ipse cui nupsit, postquam ad ætatem legitimam pervenerit, in eam suum negaverit præstare consensum.* Non requiritur ratificatio consensus ex parte Dominæ A. B. quæ nullatenus potest reclamare nec resilire, sed ex parte solius Domini C. D. de cujus consensus perseverantia, etiam post annos pubertatis adeptos, cum constet, frustra de suo consensu, credulitate aut incredulitate disputat Domina A. B. eum ejus consensus jam datus ex jure communi revocari ex sua parte nequeat, postquam per verba de præsenti, etiam cum impubere contraxit, nisi impubes ipse vel ante, vel postquam ad annos pubertatis pervenit, dissentiat, & resiliat. Quod in hoc casu non contingit, sed potius ejus contrarium. Praxis etiam contrarium suadet à simili de impedimento impotentiæ naturalis. Cum enim impotentia naturalis non revocet consensum datum per contractum matrimonij per verba de præsenti: nisi sit perpetua: unde si alteruter conjugum (supposita impotentia in principio) post aliquot annos inveniatur potens, novum consensum vel ratificationem ad prosecutionem & valorem matrimonij non requirit: quomodo pubes contrahens, potest conqueri de impubere, cum quo matrimonium contraxit, quasi vel aliquid juris ignorasset, cum omnibus pervium sit impuberes successu temporis pubescere?

Boni f. 8.

Alexan. 3.

Simile de impedim. potentia natural.

Impubertas quid dicat. re? & cum impubertas dicat negationem potentiæ generandi tantùm pro aliquo tempore: is qui impuberi in perpetuum tradit, per verba de præsenti corporis sui potestatem, censetur illam libere tradere pro tempore quo ad pubertatis annos impubes perveniens, potens erit ad generationem & matrimonij obligationes obeundas. Sicut *Aliud simile de donatione inter vivos.* qui donatione inter vivos aliqua largitur, quorum fruitio post mortem tantum habenda est, non tenetur postea consensum revocare, sed consensus ad illud tempus perdurare censetur. Igitur omnibus mature deliberatis, secundum jura, Domina A. B. censetur jam matrimonio convalescente, per ratificationem, & perseverantiam evidenter manifestatam per Dominum C. D. post annos pubertatis adeptos, nec potest resilire nec maritum alterum ducere, sed matrimonio juncta manet; cum, ut supponitur, contractus coram parocho & testibus per verba de præsenti, etiam cum annuli subarrhatione, factus fuerit; nec defuerit nisi pubertas in Domino C. D. & ejus consensus ratihabitio, quæ per evidens signum voluntaris perseverantis, varie demonstrata sufficienter fuit, ut ex dictis in hoc casu constat.

CASUS III.

De consensu ad valorem matrimonij requisito.

Proponitur casus. Petrus volens contrahere matrimonium cum Maria procabatur, ante omnem sponsaliorum rationem, in Ecclesia cum illa conveniens, advocavit presbyterum (ut supponitur) habentem potestatem, & duos testes, coram quibus accepit manum Mariæ his verbis: *accipio Mariam in conjugem meam*: Maria nihil omnino ad hoc respondit, sed nec manum retraxit, nec de consensu interrogata fuit, sed solum interrogata à presbytero: *An matrimonium alteri promisisset?* Respondit: quod non. Super his postea motæ sunt variæ lites.

Quæritur primo.

An hoc matrimonium sic contractum censeatur validum?

matrimonium in hoc casu invalidū est juxta plurimos, RESpondeo primò, in sententia plurimorum tam canonistarum, quam Theologorum, qui censent: ad validitatem matrimonij requiri in potentibus loqui, verba, & non sufficere signa, exceptis casibus jure expressis, matrimonium illud esse nullum. Vide citatos auctores apud Thomam Sanchez *lib. 2. de matrim. Disp. 31. num. 2.* Ubi etiam citatur & explicatur *cap. tua fratern. de sponsal.* &c. His verbis: *matrimonium in veritate contrahitur, per legitimum viri, & mulieris consensum; sed necessaria sunt, quantùm ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia de præsenti*, &c. Ex quibus inferunt jure Ecclesiastico, sive ex decreto & institutione Ecclesiæ (cujus est modos & formam matrimonij designare) necessaria esse verba de præsenti. Excipit verò pontifex ibidem *Mutos & surdos*, tum quia mutus loqui non potest, tum quia surdo verba inutilia reputantur, quia audire non potest. Citantur & verba Concilij Florentini in decreto Eugenij sequenti tenore: *Causa efficiens matrimonij regulariter, est mutuus consensus, per verba de præsenti expressus.* Ubi terminus *regulariter* tantum excipit casus alias jure exceptos. Citatur & C. *licet de sponsa duorum*: & cap. *si inter de sponsal.* Ubi pontifex cum asseruit matrimonium consensu de præsenti iniri, addit: *Ita quod unus alterum mutuo consensu verbis consuetis expresso recipiat, utroque dicente: ego te in meam accipio, & ego accipio te in meum*, &c. Hæc pontifex: nemo autem solis signis utens, expressè verbis consuetis alterum recipere dicitur. *Thom. Sanchez. Innoc 3. cap. tua.* *Cōc. Flor. in decret. Eugenij.* *Greg. 9. c. si inter. de sponsal.*

Ex quibus omnibus constat, in supradicto casu, etsi Petrus verbis sit usus de præsenti, cum tamen Maria nullum penitus dixerit verbum, quod consensum exprimeret de præsenti, nullum fuisse matrimonium. Utrerque enim conjugum verbis de præsenti suum consensum exprimere debet, nec sufficit ut unus solus id faciat. Et quamvis huic sententiæ ipse Thomas Sanchez, & alij contradicant, propter auctoritatem tamen textuum & multitudinem auctorum ita sentientium, multum probabilis est; & licet cuivis in conscientia, & praxi illam tenere; nec juxta illam matrimonio isto prætenso, & in casu expresso quis vere ligari dicendus est, sed personæ liberæ sunt: nisi aliunde obligentur.

Etiam juxta aliud opinantes matrim. hoc invalidum censeri debet. Respondeo secundò, etiam in sententia aliorum, qui tenent matrimonium contractum per signa externa coram parocho & testibus esse validum: matrimonium de quo in casu, nullum esse. Ratio est: quia posita hac sententia ad minus requiruntur signa certa, & quæ absque tergiversatione & dubio, foris consensum exprimant: apprehensio autem manus fœminæ per vi-

rum

rum, etiam verba exprimentem, non est certum nec sufficiens signum consensus necessario requisiti ad matrimonium. Ita expresse in simili Thomas Sanchez C. 1. *de sponsalibus disp.* 22. *n.* 6. loquens de sponsalibus: *secus autem* (inquit) *esset si quis faemina manum capiat dicens: do tibi fidem de matrimonio contrahendo, si enim ipsa nil respondeat, non est sufficiens signum: & ita non erunt sponsalia.* Ergo à majori: si quis accipiat manum fæminæ dicens: *Ego te accipio in meam*, si nihil fæmina respondeat, non est sufficiens signum ad matrimonium, & consequenter matrimonium tali signo contractum non erit validum. Citat Sanchez in allato exemplo pro se *D. Antoninum 3. p. tit.* 1. *c.* 18. Fabienam *V.* sponsalia q. 3. n. 4. & ibi Armillam. *n.* 3. Ledesmam: *Dub.* 9. *de matrimonio.*

Sanchez.

Non tenebatur puella retrahere manum.

Dices primò, fæmina non retraxit manum. Resp. Non teneri retrahere ipso instanti manum, sed potuisse expectare, donec super consensu interrogaretur, ut suum tum demum intentionem exprimeret. Fœminæ enim tamquam juris & requisitorum ad Sacramentum ignaræ; solent de libertate, consensu & aliis interrogari; imò solent Sacerdotes, vel aliquis assistens, ipsis verba dictare. Potuit sane, imò probabiliter expectavit, donec interrogaretur, non credens hoc signum sufficiens, adeoque non retrahens manum. Cum enim vulgò aliter matrimonium non celebretur, & in verbis (quæ *magna* vocant) credant communiter matrimonium consistere, præsumenda est omnino expectasse donec interrogaretur, ut verba proferret.

Ex circumstantiis adjunctis an possit colligi sufficiens puella consensus.

Dices secundò, tractaverat sine dubio cum suo proco, & hoc ipso quo convenerat ad Ecclesiam, & accedebat ad Sacerdotem in præsentia testium, censebatur intendere, & consentire matrimonio, ergo sufficiens signum erat, saltem ex circumstantiis adjunctis, tum intentionis, tum consensus præstiti: ergo consensisse censetur.

Respondeo primò, neg. conseq. potuit enim se neutraliter habere: imò ex hac non retractione non potest deduci, nisi consensus privativus, qui est *non dissentire*, qui etiam ad matrimonium non sufficit, cum requiratur utrimque consensus positivus, positivo signo de præsenti expressus.

Consensus quis requiratur ad matrim.

Respondeo secundò, quidquid sit de veritate allegatorum, istatamen ad matrimonium non sufficere: præterquam enim quod sola interna intentio sive solus internus consensus non sufficiat (ut est communis omnium sententia) non sufficit etiam quilibet consensus signo externo expressus, sed tantum ille qui hic & nunc ex intentione operantis & æstimatione prudenti ordinatur ad Sacramentum matrimonij perficiendum, sive concludendum, qualis non fuit illa permissio quâ Maria permisit sibi manum apprehendi à Petro. Nam, ut dictum est, præsumitur probabiliter expectasse donec à Sacerdote interrogaretur, ut tum demum consensum in ordine ad matrimoniū exprimeret. Explico clarissimè exemplo: Joannes & Catharina sponsi de futuro, solemniter ad Ecclesiam vadunt mutuo consensu & intentione contrahendi matrimonii: post Evangelium aut Offertorium, sive alio tempore, procedunt ad præsentiam Sacerdotis, ibi dextras jungunt, & de variis interrogantur, producunturque cæremoniæ; ita ut inter primas cæremonias, vel manuum contractus, & formam verborum, sive ipsum actum ultimatum contrahendi, quartale horæ intercedat: etsi à principio de consensu, & intentione publice constet; non censetur tamen consensus sufficiens ad matrimonium, nisi in ipso instanti quo verba pronuntiant, sive quo signa sufficientia hic & nunc actualiter ad contractum sive Sacramentum edunt: ita ut ante illud instans si alteruter recedat, vel renuat, vel fortè in deliquium animi cadat, & à sensibus alienetur, non censeatur matrimonium contractum: quia nimirum non sufficit quilibet consensus etiam externus, sed requiritur ille ultimatus qui ad signum principale, & formam exprimitur. Ita in præsenti casu: non sufficit consensus quem Maria prætenditur dedisse à principio conveniendo ad Ecclesiam, adeundo Sacerdotem, nec ille, qui permissione apprehensionis suæ manus à Petro exprimitur; sed requirebatur consensus ultimatus requisitus in actu formali, cum jam censetur contractus concludi, quem jam exprimendum putabat, more Ecclesiæ solito, ad interrogationem Sacerdotis, & verba ab illo dictanda, vel alio simili modo.

In diversis actu contrahentium in Ecclesia quandonam matrim. perficiatur

Quinimò, interrogatio quam fecit ab illa Sacerdos, totam illam æstimationem consensus alterat, cum duntaxat interrogaverit: *An non promisisset alteri matrimonium.* Hæc enim interrogatio nec sufficit quidem ad concludenda sponsalia, quamvis responderit se alteri non promisisse: non enim sequitur per verba illa, sive responsionem negativam, Mariam fateri

Interrogatio facta à Sacerdote ne quidem sufficit ad concludenda sponsalia.

ipsi omninò sufficienter sponsalia promisisse; cum potuerit nec isti, nec alteri promisisse, ne quidem promissione sufficiente ad sponsalia: unde longe petita ista interrogatio, sicut certitudinem consensus præsentis non concludit, sic nec signum illud apprehensionis manuũ aliquid determinat, imò omninò alterat; ubi enim de promissione tantum agitur ad summum de sponsalibus agi existimandum est: maximè cum nulla sponsalia aut promissiones stipulatæ futuri matrimonii præcesserint. Debuisset sane intertogare cathegoricè. Primò, an Petro promisisset matrimonium & non alteri? secundò, an liberè modò ad contrahendum veniret? tertiò, an modo de facto contrahere vellet, & tunc curare ut signo certo & infallibili, aut magis verbo, juxta Ecclesiæ determinationem, matrimonij contractum actu formali concluderet. Alias totum illud factum incertum est, nec de vero consensu, etiam in foro externo, aliqua certitudine constare potest.

Quæ Sacerdos debuisset ab ea interrogare,

Summa totius Responsionis.

Matrim. illud est omnino invalidum & nullum.

MEa itaque sententia est: prætensum matrimoniom Petri cum Maria esse absulutè invalidum & nullum, sicque in foro Ecclesiæ judicari debere.

Ratio fundamentalis est: quia revera deest consensus Mariæ verbis, vel signo certo in ordine ad matrimonij contractum, prout ab Ecclesia statuitur, essentialiter requisitus, verba defuisse ex narratione casus supponitur, quia Maria nihil respondit in ordine ad actualem contractum.

Quod defuerit certum signum expressivum consensus actualis ad contractum hic & nunc, prout ab Ecclesia requiritur, patet ex dictis: quia apprehensio manus Mariæ à Petro facta, respectu Mariæ est pure passiva aut permissiva, nullum actum positivum voluntatis, nullum positivum consensum exprimens, qui tamen ad hunc contractum requiritur; non enim satis est non dissentire, quod ad summum facit quæ manum sibi apprehendi permittit, sive quæ non retrahit; sed amplius ad matrimonium requiritur ut positivè per se, vel per alium consentiat. Quare nec sufficit ut vir mulierem accipiat, sed etiam mulier se tradere signo expressivo debet: sicut econtra non sufficit ut mulier virum accipiat, nisi vir etiam signo expressivo sufficienti se tradat: hic autem nec mulier aliquo signo positivo consensum exprimente, viro se tradidit, nec simili signo virum, seu potestatem in viri corpus acceptavit, dum tantum permisit manum suam capi aut detineri. Quæ fieri possunt diversis respectibus & causis, ut superius explicatum est.

Dixi (*prout ab Ecclesia requiritur*) certum est enim quod S. Mater Ecclesia, quæ in Sacramentorum administratione sanctissima & purissima est, nolit in tam sancto & necessario contractu favere dolo, fraudibus, vel incertitudini voluntariè extra omnem necessitatem assumptæ. Unde juxta decretum Eugenij in Concilio Florentino voluit *regulariter per verba de præsenti consensum exprimi ad verum matrimonium*, ob certitudinem sine dubio consensus; qui terminus *regulariter* excipit tantum casus necessitatis, angustiæ, vel causæ rationabilis, in quibus vel commode non possent, vel non expediret consensum exprimi verbis: in quo conveniunt omnes casus jure expressi, vel communi omnium interpretatione approbati. Et in hoc sensu intelliguntur exceptiones *C. tua de sponsalibus* ad communem scilicet regulam, qua dixerat, *necessaria esse verba consensum exprimentia de præsenti quantum ad Ecclesiam*. Nec credo authores qui dixerunt signis posse matrimonium confici absque verbis, id ita intelligere potuisse, ut semper, quavis occasione, & ad libitum, quilibet quolibet signo uti posset in hoc Sacramento extra casum necessitatis, angustiæ, vel causæ multum rationabilis: cum hoc aperiat januam omni dolo, fraudi, & incertitudini, ac mille peccatis: quod nec Ecclesia prudentissima, nec respublica in contractibus vellet permittere, sicut nec in alijs Sacramentis extra casum necessitatis permittit usum incertæ materiæ, vel formæ. Und aperte Tridentinum *sess. 24. c. 1. de reform.* mandavit sub pœna nullitatis, ut matrimonium contraheretur *coram parocho & duobus testibus*. Quare? ut, nimirum, moraliter assisterent & testes essent consensus expressi matrimonialis, & contractus conclusi: utique ad evitandos dolos, fraudes, incertitudines quæ scandala in Ecclesia causant, & contractus nullos sæpe introducere solent. Quid verò testabitur, qui tantum signa alias incerta & dubia viderit? qui nil verborum audiverit? &c. Et in casu præsenti, quid assistentia presbyteri, aut testium fecit ad moralem assistentiam respectu contractus prætensi, utpote qui à solo viro advocati, ipsius solius verba audierint, ipsius solius apprehensionem manus viderint, puella nihil dicente, utpote nec de matrimonio, sive consensu libero interrogata, & consequentet nil respondente? certè in tali casu non censetur parochus, aut testes

Ecclesia nullatenus censetur favere dolo, &c. in similibus.

Conc. Florent.

Conc. Trident. cur præcipiat celebrari matrimon. coram parocho & duobus testibus.

Quæ debeat esse præsentia parochi & testium in matrim.

vere ad contractum præsentes, cum vetus contractus non sit, sed potius ad aliquam tragœdiam quæ diversimodam interpretationem patitur. Unde iterum Concil. Trid. supra determinans, qualis debeat esse parochi præsentia, dicit: *Ad celebrationem* (inquit) *matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur: ubi parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: ego vos in matrimonium conjungo, &c.*

Conc. Trident.

Ex quibus verbis patet: parochum vel quemlibet ab eo commissum, non posse valide assistere matrimonio: nisi vel per interrogationem eorum consensum liberum inquirat, vel saltem aliunde, sine ulla tergiversatione, ipsorum consensum intelligat. Hoc enim indicant verba: *intellecto eorum consensu.* Quomodo vero in hoc casu presbyter ille consensum Mariæ intellexit, qui nec eam interrogavit, nec ab illa certum aliquod signum accepit, quo ejus consensum intelligeret? apprehensio enim manus ejus, facta per Petrum etiam verbis prolatis, de consensu quidem Petri certitudinem in foro exteriori reddunt: sed ex parte Mariæ nullum signum datum est præsentis actualis consensus ad matrimonium requisiti.

Dixi itaque (*hoc matrimonium in foro Ecclesiæ debere judicari nullum.*) Quia contra essentiales conditiones ab Ecclesia præscriptas est contractum, utique absque præsentia parochi & testium, qui sine tergiversatione intelligerent per verba, vel signa manifesta puellæ consensum (quæ assistentia quantumvis involuntaria, tamen est necessaria:) & absque consensu Mariæ verbis vel signis sufficientibus expresso. Nec valet quod aliqui dicunt: *in dubiis in favorem matrimonij judicandum:* hic enim in favorem matrimonij vere judicatur, ne præsumant dolis, erroribus, aut ignorantijs illud profanare. Maxime cum in hoc casu nulla fuerit necessitas, angustia, aut causa rationabilis sic matrimonium celebrandi. Cum enim in Ecclesia coram parocho & duobus testibus Petrus & Maria assisterent, pleno consensu, pleno judicio, cur non interrogati sunt de libero consensu? aut saltem puella tacens non est interrogata ad minus an consentiret, cum verbum *ita* vel *non* tantum requireretur. Hoc sane non potuit fieri nisi ignorantia, vel malitia contrahentium vel Sacerdotis assistentis; quibus Ecclesia in re tanti momenti suffragari non debet.

In dubiis qui debeat judicari in favorem matrimonij.

CASUS IV.

De prætenso matrimonio Titij militis, cum Bertha filia nobili juvencula, & ejus invaliditate, ac varijs litibus subsecutis.

Proponitur casus.

Titius miles procatur Bertham filiam juvenculam nobilem, & divitem animo nubendi cum illa: successu temporis, varijs munusculis, traditione effigiei mutuæ, litteris amatorijs testantur ambo affectum ad invicem, tandemque Titius inducit Bertham in Ecclesiam, ut coram Sacerdote & testibus matrimonium celebrent: quod & attentant, quamvis nulliter, tum ob defectum auctoritatis in Sacerdote, tum ob defectum consensus per legitima verba, sive signa, explicati; interim Bertha etsi aliquamdiu fuisset persuasa de validitate matrimonij, nihilominus ob dubia quæ subinde à dicentibus, & à propria conscientia movebātur, pro ejus revalidatione (ut asserit) scripserit inductione Titij, pro auctoritate ordinarij militiæ, ad illud revalidandum: ubi tamen informata fuit de matrimonij nullitate, & à Tutore ad locum liberum reducta, nec à prætenso marito carnaliter cognita; ab illo tempore à proposito, & voluntate nubendi cum Titio resilijt; Titium de mutatione voluntatis, & nullitate matrimonij certiorē reddidit; omnem ejus præsentiam, & alloquium refugit. Titius de valore matrimonij primum contra illam apud judices disputat, & per tres sententias conformes condemnatur, & nullitas matrimonij declaratur. Bertha etiam cum Cajo matrimonium legitimum contrahit, & consummat.

Titius occasione quod multa in litis, & processuū prosecutionem insumpsisset, iterum Bertham in judicium vocat: & primò, sponsalia in æquipollenti ab illa inita fuisse probare voluit sequentibus argumentis, nimirum: quod Bertha litteris, nubendi cum Titio affectum, testata pluries esset: quod effigiem Titij sibi ab eo missam, & aliqua munuscula recepisset: quod ad matrimonium in Ecclesia coram Sacerdote celebrandum comparuisset: quod etiam post initum nulliter matrimonium, ab ordinario facultatem nubendi cum Titio per litteras postulasset.

Secundò, petit ijsdem de causis, sibi refundi expensas à Bertha, & conformem dotem ob sponsalia, eo quod ab illis injustè Bertham resilijsse affirmaret.

Quæri-

Quæritur

Primo, an ex allegatis possit dici & censeri Bertha contraxisse vera sponsalia cum Titio?

Secundò, an Bertha teneatur ad expensas & compensam dotis, sponsalibus conformem? &c.

Responsio ad 1. Quæstionem.

Ad sponsalia quævoluntas nubendi requiratur. AD primæ quæstionis claram resolutionem: advertendum est primo, ad sponsalia non sufficere quodlibet propositum, sive voluntatem quantumcumque resolutam & firmam nubendi inter amasium & amasiam: sed requiri veram & certam, & signis certis, & manifestis declaratam, & utrimque acceptatam promissionem futurarum nuptiarum, sive fiat per verba, sive per formales & usitatas arrhas, sive per annulum sponsalitium, ut tradunt Doctores omnes nemine refragante. Aliud enim est velle nubere, aliud suam voluntatem vera promissione, pacto, stipulatione, juramento, fide obligare in futurum ad nubendum, & voluntatem suam istis modis velut irrevocabilem reddere, quæ omnia ad vera sponsalia requiruntur, ut videre est apud omnes canonistas. Advertendum secundò, inter procos, & amasias, multa interdum verba, epistolas, munuscula, symbola intervenire, quæ ad summum affectum testantur, nullam vero promissionem per se vel ex firma patriæ consuetudine inducunt.

Resolutiones.

Non fuerunt contracta vera sponsalia inter Titium & Bertham. RESpondeo itaque ad primam quæstionem: nihil ex allegatis in casu posse vel modicum probare vera sponsalia inter Titium & Bertham contracta fuisse. Ratio est: quia omnia allegata ad summum probant propositum aut voluntatem nubendi in Bertha: nullum tamen illorum includit promissionem, fidem aut obligationem voluntatis ad futuras nuptias. Quod per singula manifestè declaratur: nam testari per litteras, per munuscula, per mutuas effigies invicem porrectas, per tesseras & symbola, affectum inter amasios, præterquam quod sæpe sæpius ceremonialia sint & fictitia, &c. Si non dolosa: sunt (ut bene notat Angelus *V. sponsalia, nu. 7.*) *signa æquivoca ad multa, & ideo nihil certum probant, juxta C. illud de præsumpt.* Quod nimis verum apparet in Belgio, ubi ista trivialia fiunt inter quoscumque indifferenter se affectu vel amore prosequentes, nec aliquid certi significant, cum etiam ad impertinentias usurpentur; nullatenus autem promissionem inducunt. *Angelus.*

Iterum: accessus Berthæ ad Ecclesiam, comparitio coram Sacerdote etiam in ordine ad matrimonium, præparationem quidem voluntatis indicat, nullum tamen obligationem aut promissionem inducit ad futurum matrimonium; nec est eadem ratio, quæ matrimonii impuberum, quod ratione incapacitatis prolis, pro sponsalibus reputatur. Est enim, *ex interpretatione juris* quædam obligatio voluntatis expresso contractu inita, pro tempore futuro, quo capaces nuptiarū erunt (ut bene notat Angelus supra) a quibus etiam retrocedere possunt: Hic autem per ingressum Ecclesiæ, per comparitionem, nulla indicatur obligatio ad matrimonium futurū, cum usq; ad ultimum instans potuerit Bertha absque culpa revocate suam voluntatem, quam non obligarat, sicut & postea revocavit. Præterquam quod ingressus in Ecclesiam, comparitio coram Sacerdote solicitationi, inductioni, dolo Titii imputari possit; cum ex facto appareant omnia fuisse ficta, quia Sacerdos nec parochus erat, nec parochi auctoritatem habebat, cum de facto etiam Bertha nil in præsentia Sacerdotis dixerit, vel fecerit, quod sufficientem ad matrimonium consensum exprimeret, ut in lite probatum fuisse asseritur. *Matrim. impuberū cur magis reputetur pro sponsalibus.* *Angelus.*

Iterum: minus pro sponsalibus concludit, quod inductione Titii, Bertha scripserit militiæ ordinario, pro nova facultate ad nubendum obtinenda: hoc enim etsi prima fronte, iterum voluntatis nubendi cum Titio continuationem inducit, non tamen indicat ullam promissionem, aut voluntatis stipulatam obligationem ex promissione ortam, qualem postulant sponsalia. *Non obstat quod Bertha scripserit militiæ ordinario pro revalidatione matrim.*

Quinimo bene consideranti, illud errorem in intellectu Berthæ supponit: cum Bertha à Theologo de nullitate prætensi matrimonii informata, statim à prima voluntate resilierit, & Titii præsentiam & alloquium refugerit: omnesque lites & causas contra se à Titio excitatas sustinuerit, ad manifestandam suam libertatem.

Responsio ad 2. Quæstionem.

Non tenetur Bertha aliquam compensare ... AD secundam quæstionnem respondeo primò, ex vi sponsaliorum præ-

tensorum à Titio, Bertham non teneri compensam aliquam facere. Ratio est: quia ut probatum est, non fuit ulla umbra sponsaliorum ne quidem per æquivalentiam.

Nec refundere expensas. Resp. secundò, nec posse Titium prætendere à Bertha expensas auc interesse, quæ se passum esse prætendit. Ratio est: quia Bertha verè non dedit illis causam: cognita enim matrimonii nullitate, justis causis eam moventibus, utpote quod jure divino, & humano prohibetetur inconsultis parentibus, sive tutoribus, absque causa & consilio nubere, &c. Usa est libertate sua & voluntatem nulla promissione, nullo titulo vere obligatam Titio, retractavit, retractationem tempestivè Titio indicavit: imputet itaque sibi Titius, quæ in nullitate matrimonii intervenerunt, & quod, cum eorum conscius esset, processus injustè contra Bertham suscitarit, quod Bertham ad libertatem suam tuendam compulerit, quod in causas illas sine fundamento reali motas, sua profuderit. Et attendat, an etiam in pœnas legum non impegerit.

CASUS V.

De dubia dispensatione pontificia in impedimento dirimente in gradibus consanguinitatis, ob expressam in supplica Diœcesim originis, tacita diœcesi domicilij.

Proponitur casus. Titius & Caja consanguinei petierunt dispensationem à S. Sede Apostolica ad matrimonium contrahendum: & quidem Caja cum haberet domicilium alibi (à quo quidem ratione bellorum exulabat) in supplica directa ad summum pontificem, expressit diœcesim originis suæ tacita diœcesi domicilij: unde & dispensacio directa est ad Episcopum originis, sive ad ejus officialem.

Quæritur.

An dispensatio illa possit executioni mandari ab officiali originis oratricis, ad quem est directa?

Ratio dubitandi est: quia videtur Oratrix debuisse exprimere in supplica Diœcesim domicilij præsentis, quod de facto incolebat, non autem diœcesim originis à qua jam multis annis aberat, nec amplius in illa habitabat.

Resolutio.

Respondeo: oratricem legitime expressisse diœcesim originis, etsi de facto ibi non habitaret, & Episcopum sive Officialem originis non tantum posse, sed etiam debere litteras hujusmodi dispensationis ad se directas exequi. *Legitime est expressa diœcesis originis.*

Ratio est: quia diœcesis originis in omni jure & praxi præfertur semper diœcesi domicilij, & immutabiliter oratrici, etsi absenti, pro omni tempore jure acquisita censetur: eo quod (ut ait) Sanhez *lib. 3. disp. 23. num. 4. diœcesis ista illi naturalis est, naturalia autem immutabilia sunt*; & hæc est resolutio expressa Pyrrhi Corradi à terra nova *in praxi dispensationum Apostolicarum, ex solidissimo* (ut scribitur) *curiæ stylo ad usque hoc tempus pontificatus S. D. N. Urbani VIII. inconcussè servato: lib. 7. cap. 5. num. 32.* Verba sunt ejus: *neque hic* (inquit) *respuendum duximus: quod licet oratores alibi domicilium (ut diximus) contraxerint: si tamen petant litteras prædicta dispensationis ordinario propria originis committi, tenebitur profectò ille ipsas litteras exequi, non obstante quocunque domicilio ubivis per eos etiam per viginti annorum continuam inhabitationem contracto: quandoquidem commissionem hanc, non ex juris, aut alicujus observantiæ necessitate, fieri omnes fatentur curiales, ordinario domicilij oratorum, sive oratricis tantum, sed ad ipsorum instantiam, ac pro majori eorum id petentium commoditate. Nec tamen stylus hic & observantia carent solido fundamento: præsertim quia domicilium originis nunquam deperditur, cum sit immutabile, ut docet notorius textus in l. assumptio ff. ad municipia: ibi; neque recusando quis patriam ex qua ortundus est, mutare potest. Hoc autem (nimirum domicilium habitationis) sicut propria voluntate & proprio facto constituitur, ita propria voluntate & facto mutatur,* ut P. Sanchez *l. 3. d. 23. num. 4. qui (n. 6. X. 2. Quia domicilium)* ait, *quod domicilium originis, una cum domicilio habitationis retinetur*: Hæc Pyrrhus. *Præfertur hæc semper diœcesi domicilij.* Sanchez. Pyrrhus Corradus. L. assumptio ff. ad municipia. Sanchez.

Qui postea recenset casum sic Romæ teresolutum: *His ergo* (inquit) *sic stantibus, perperam quidam Archi-Episcopus denegabat quarundam dispensationis matrimonialis litterarum executionem, sibi, vel ejus vicario directarum, in cujus diœcesi oratores orti erant, sive oratrix tantummodo orta erat, prout in eisdem litteris dicebatur: id enim recusabat sub prætextu, quod oratores in aliena diœcesi domicilium per longum tempus contraxerant* Pyrrhus.

ac

ac propterea dicebat hujusmodi litteras non sibi aut ejus vicario sed ordinario seu vicario prædicti domicilij esse dirigendas: certioratus nihilominus idem Archi-Episcopus de stylo Romanæ curiæ, quæ nunquam committit has litteras ordinario domicilij, nisi instantibus ipsis oratoribus, cum etiam non obstante tali domicilio liberum sit partibus obtinere litteras alterutri dirigendas, nihilominus pro sua tuenda opinione, litteras ipsas adhuc exequi recusavit. Re tandem ad urbem delatâ, cum ibi fuisset pluries institum penes Dominum Datarium pro commissione earumdem litterarum ordinario domicilij stante recusatione prædicti Archi-Episcopi, fuit per eum hæc commissio denegata: eo quod diceret, litteras fuisse jam bene commissas dicto Archi-Episcopo, tamquam ordinario originis oratorum: sed tantum alias litteras in forma mutationis judicis expediri mandavit Episcopo viciniori directas, qui requisito prius dicto Archi-Episcopo pro executione priorum litterarum, si adhuc illas exequi recusaret, & aliam causam rationabilem suæ recusationis non allegaret, ipse viciniar ordinarius dictas priores litteras dispensationis exequeretur; prout præcedente dicta nova requisitione executus est, qui commisit examen pro verificatione narratorum in dictis litteris dispensationis, in civitate Neapolitana in qua oratores domicilium contraxerant, omnibusque verificatis devenit ad decretum dispensationis.

Dices: orat ix faciens mentionem se esse Diœcesis N. non expressit an Diœcesis illa esset originis, an domicilij.

Nomen Diœcesis positum simpl. in supplica, intelligitur de Diœcesi originis.

Resp. non opus fuisse in hoc casu id exprimere. Ratio est: quia nomen Diœcesis per se simpliciter positum absq; expressione an sit originis vel domicilij, debet intelligi de Diœcesi originis, quia analogum per se positum supponit pro principali significato; principale autem significatum *Diœcesis*, supponit pro Diœcesi originis: Diœcesis enim ratione domicilij, merè accidentaria est, & à voluntate dependens: Diœcesis autem originis est naturalis, immutabilis, & perpetua, & secundum *Bart. in l. assumptio ff. ad municip. quo ad omnes effectus suos per quamcumque domicilij translationem, nunquam amissa censetur*, nequidem, ut *Alex. in l. Cum quædam num.* 4. & 5. *de jurisd. omn. Iud. dixit: per absentiam mille annorum.* Ita ut nec ei renuntiare possit. *Borr. decis.* 13. *num.* 3. Unde bene notat Pyrrhus *num.* 30. his verbis: *licet oratores tempore petita dispensationis; alibi quàm in loco propria originis inhabitent, ubi jam domicilium contraxerint: si commissio fiat simpliciter ordinario, absque eo quod exprimatur, originis vel domicilij, censetur in dubio facta ordinario propria originis non autem domicilij.* Hæc ille. Unde eodem modo argumentandum est, quando exprimitur Diœcesis N. tacito quod sit originis vel domicilij, intelligenda venit antonomasticè diœcesis originis. Ita conformiter ad Pyrrhum censui.

Bart. in l. assumptio. Alex. in l. cum quædam. Borr. decil. 13. n. 3. Pyrrhus ibid. n. 30.

CASUS VI.

De dispensatione in 2. gradu consanguinitatis expedita in forma pauperum, quæ tantum verificabatur in uno contrahentium.

Propositio casus.

Joannes & Margareta obtinuerunt à S. Sede dispensationem in secundò gradu cōsanguineitatis ad contrahendum matrimonium causis legitimis (ut supponitur) allegatis, & probatis: quia verò expeditio litterarum Apostolicarum facta est in *forma pauperum*, cum clausula: *quod utèrque de industria & labore proprio tantum viveret:* & quamvis hæc clausula verificetur in Joanne, non videtur tamen verificari in Margareta quæ dicitur quadringentos florenos annuè ex bonis stabilibus, sive redditibus suis recipere, qui ad sustentationem honestam absque alia industria creduntur sufficere.

Quæritur.

An litteræ expeditionis sint validæ? & an R. A. D. Officialis, ad quem litteræ sunt remissæ, possit absque scrupulo dispensationem exequi.

Ratio dubitandi est: quia videtur in ordine ad expeditionem *in forma pauperum*, narratio falsa pro parte Margaretæ, ut in casu exponitur.

Dispensatio & expeditio litterarum in forma pauperum, quid habeant pro fine.

Pro accurata resolutione hujus casus advertendum est primò. Duo hic distingui: dispensationem, & expeditionem *litterarum in forma pauperum*; quæ utraque sunt favoris, seu in terminis juris favorabilia, & favorabiliter interpretanda: alterum quidem pro fine habens remotionem, sive ablationem impedimenti matrimonium dirimentis, ad effectum futuri matrimonii: alterum: sublevationem sive alleviationem gravaminis, quod ex jure Ecclesiastico merè humano impositum est divitibus dispensationem impetrantibus: quod quia pauper, sive mediocris fortunæ homo, non potest ferre sine gravi incommodo, gratiosè *in forma pauperum* dispensatio expeditur.

Una vera & sufficiente causa, cæteris partialibus existentibus falsis, valet dispensatio.

Advertendum secundò, ex Pontio *lib.* 8. *c.* 17. §. *ult. n.* 41. relato à Diana *p.* 4. *t.* 4. *Resol.* 53. quod, quando allegantur plures partiales causæ: si sit una sufficiens & vera, etiamsi cæteræ essent falsæ, dispensationem validam esse.

Advertendum tertiò, in casu præsenti, agi de jure merè positivo Ecclesiastico, & humano, absque concursu alterius juris; nimirum de gravamine imposito in expeditione litterarum Apostolicarum alleviando *per formam pauperum*, quod est gratiæ & favoris, adeoque aliquo dubio existente, semper judicandum in favorem actus dispensationis, qui est actus principalis primò intentus & fundamentalis: alter autem actus expeditionis merè accidentalis, & qui subservit suo principali; nec potest illi præjudicare, nisi intollerabilis falsitas vehementem suspicionem meritò induceret nullitatis consensus in dispensante; quod non debet facilè conijci, cum in dubio validitatis matrimonij, semper præsumendum sit in favorem actus dispensationis juxta Sanchez *l.* 8. *de matrim. D.* 21. *n.* 25. Palao *puncto* 16. §. 5. *n.* 7. imò in dispensatione si causa finalis sit vera, etsi impulsiva esset falsa, valida sit dispensatio.

Quis actus hic sit primo intentus.

Sanchez Palao.

Resolutio.

Conditio illa non vitiat dispensationē quia vera est in Joanne.

HIs ita prænotatis: respondeo primò, supposito quod dispensatio in se, abstrahendo à *forma divitum* vel *pauperum*, ex vera narratione & causa justa, sit valida; conditionem supra positam *de victu tantum industriâ & labore proprio quærendo*, non vitiare expeditionem, aut litteras dispensationis, etiamsi in Margareta non subsistat, cum sit vera in Joanne.

Ratio mea est: quia personæ impetrantes dispensationem in ordine ad futurum matrimonium, supplicant pontifici per modum unius: neque enim impetratur dispensatio discretim & divisim pro singulis, sed conjunctim pro utraque ad unum scopum & finem: & considerata paupertate non unius aut alterius seorsim, sed conjunctim, quia amborum est conjunctim expensas & gravamina dispensationis, & futuri matrimonij ferre.

Dispensatio impetratur conjunctim pro utraq; persona.

Unde dicendum: Si conjunctis medijs (hoc est bonis stabilibus, sive reditibus utriusque partis) partes non sint sine gravi incommoditate sufficientes, ex bonis stabilibus ob expensarum gravamina, ad dispensationem *in forma divitum* impetrandam, & matrimonii futuri honestam sustentationem, absque industriâ & labore proprio: bene verificatur particula, *quod ex industria & labore manuum tantum vivant*: quia revera, ut supplicantes sunt conjunctim, & in qualitate, ac ad finem quo supplicant, non sunt sufficientes, nisi ex industria & labore suppleant, non tantum quod dispensationi *in forma divitum* impendere deberent, sed quod sibi ad futurum matrimonium (quod explicitè per supplicam intendunt) impendere oporteret; verè *ex industria & labore* possunt dici vivere.

Cur vere possint dici tantum industria & labore vivere.

Explico: cum Joannes (ut supponitur) *sola industria* vivat absque bonis stabilibus, Margareta autem conjunctim cum illo tantum 400. florenos habeat in commune bonum, tam pro expensis *in forma divitum*, quam pro alijs futuri matrimonij oneribus profundendos, cum isti quadringenti floreni annui multis partibus deficiant utrique, ad dicta onera & gravamina, quæ per modum unius sustinere debent, *pauperes* in rei veritate censeri respectivè debent, *& industria & labore tantum vivere*; quippe qui etjam suppositis bonis stabilibus, ad dispensationem *in forma divitum* impetrandam sufficientibus, nihilominus *industria & labore* vivere, & suis necessitatibus honestè aliunde satisfacere cogerentur: & particulæ *tantum* vel *solummodo* juxta Marcum Paulum Leonem, *in praxi litterarum majoris pœnitentiarij p. prima de form. votorum debent intelligi, ut sit satis quod non habeant in bonis tot facultates, quod secundum sui status conditionem vivere possint: neque* (inquit) *est necesse ut cogantur ad quotidianum laborem pro sui sustentatione, sed satis erit, ut necesse habeant laborare pro vita sustentatione, videlicet pro victu; & ita verificabitur propositio quod sint pauperes, & victum ex proprio labore quærant.* Hæc ibi. Cum itaque viri partes potissimum sint familiam sustentare, & constet quod solum industriam habeat: particulæ brevis absque aliquo scrupulo subsistunt: maxime cum ex secundo notabili constet, rationem sive causam allegatam ex potiori parte esse veram: & ut habetur: *cap. Abbate de verb. significationibus. Re existente dubia, judicandum est in valoris actus favorem, ut magis valeat quam pereat*; præterquam quod *in dubio favores sint ampliandi*: & quod *in legibus & rescriptis humanis pensanda sit voluntas legislatoris, seu rescribentis principis*: Quæ hic non est alia, quàm in expensis parcere ei, qui ad id, quod alias imponendum esset secundum leges, moraliter considerato gravamine, est insufficiens. Nec in re quæ est meri juris humani,

Particula tantum vel solummodo quid dicant.

Marcus Paulus Leo.

Cap. Abbate de verb. signifi.

In legibus humanis pensanda est voluntas legislatoris.

ni, requiritur rigor litteræ, sed sensus benignè ex circumstantiis colligendus sit, ut in tertiò prænotato est animadversum.

Resp. ad rationem dubitandi. Et ex his ad rationem dubitandi in principio positam facilis est responsio. Etsi enim Margareta cum suis quadringentis florenis solitariè considerata, vivere potuerit absque industria : in qualitate tamen quâ supplicat, & dispensationem ad matrimonium futurum postulat, jam alteri censetur in sustentatione onerum conjuncta, & consequenter bona ejus communibus expensis & oneribus addicta & exposita, ac mediâ sui parte diminuta & expensis majoribus *in forma divitum* absumenda, ita ut *industria & labor proprius*, quæ pro causa expeditionis *in forma pauperum* in Joanne subsistebat, jam fiat utrique communis, Joanni scilicet & Margaretæ, quia utrimque *industria & labor* requiritur, ut honestæ sustentationi satisfiat.

Respondeo itaque Secundò, R. D. Officialem posse securè & absque scrupulo expeditionem exequi rationibus supradictis, auctoritate etiam supracitatorum auctorum illi favente. Dices ergo quolibet casu, modò altera pars sit pauper & vivat ex *industriâ & labore suo*, etiamsi alia pars esset ditissima, expeditio *in forma pauperum*, in favorem explicati posset. Resp. negando consequentiam. Si enim divitiæ partis unius supplere possint, ultra gravamina expeditionis, indigentiam utriusque, ita ut absque *industriâ & labore manuum* possit imposterum uterque vivere : tunc non concludit argumentum nec litteræ *in forma pauperum* eis suffragari possunt, cum clausulæ convincantur esse absolutè falsæ. Hic autem ostendimus ex bonis Margaretæ, nec gravamina *in forma divitum* potuisse absque maxima incommoditate sustineri, nec illa bona posse utrique matrimonio conjunctò, absque *industriâ & proprio labore*, alimenta subministrare.

Expeditio in forma pauperum quando nō valeret.

CASUS VII.

De dispensatione in voto simplici castitatis ab Episcopo, in ordine ad matrimonium.

Proponitur casus. QUædam fœmina diœcesis N. vovit perpetuam castitatem : Post hoc votum, quidam vir importunitate suâ extorsit copulam, simul datâ & acceptatâ promissione matrimonii. Propter paupertatem autem utriusque & amicorum, non videtur recursus ad Pontificem possibilis : Deindè est damnum in mora ; erit enim mulier infamata: quia apparebit gravida: ideò suppliciter petit à Reverendissimo Domino dispensationem ut possit procedere ad matrimonium.

Quæritur.

An possit Episcopus dispensare?

RESpondeo : potest Reverendissimus Episcopus in præfato voto simplici castitatis (quod est impedimentum tantùm impediens) circumstantiis in supplica enarratis concurrentibus, dispensare. Ita Sanchez *l. 2. de matrim. disp.* 40 *num.* 7. citans Angelum *V. Matrimonium* 3. *Imp.* 5. *n.* 3. Silvestrum *V. Dispensatio. q.* 9. *& V. votum* 4. *q.* 4. Navar. *in Sum.* C. 14. *n.* 76. *& alios.* *Potest Episcopus interdum dispensare in voto simpl. castitatis. Sanchez Sylv. & alii.*

Et ratio tota in hoc consistit : Quia Episcopus potest dispensare in votis reservatis ex causa urgentis necessitatis, & quando non datur ad Pontificem aditus commodus, & ex circumstantiis congruus; hic autem rationabiliter ex prænotatis, non datur.

CASUS VIII.

De assistentia parochorum pro matrimonii validitate in partibus hæreticorum: & jejunio quadragesimali Catholicorum in iisdem.

EPiscopatus Brugensis quâ Septemtrionem, & Orientem versus extenditur, habet oppida nonnulla, sibi ordinatio jure subjecta, Hollandis alioquin subdita, & ita hæresibus infecta, ut pauci tantummodò ex antiquis restent Catholici, inter quos nonnulli matrimonialiter convivunt, & à pluribus annis convixerunt, quamvis coram solo ministro hæretico contractum solemnizaverint ; plures etiam ex iisdem Catholicis taliter juncti, liberis relictis, obierunt. Concilium Trid. supponitur in illis oppidis, ante secessionem à Rege Catholico, fuisse publicatum, & facilè fuit, & ad hucmodò est, habere in iisdem oppidis copiam alicujus Sacerdotis, ex pastoribus eò divertentibus; Unde non est locus declarationibus S. Congreg. Interp. Concilii Trid. quas refert Ubames, &c. in casu ubi non est modus habendi Sacerdotem. *Proponitur casus. De matr. Catholicorum in illis partibus.*

Insuper nonnulli ex dictis Catholicis allegant fieri vix posse, ut jejunium quadragesimale exactè ab ipsis observetur, idque quia pauci numero sunt, omnes labo- *Item jejunio quadragesim. ibidem.*

re manuum suarum, & mercaturâ victum sibi quærentes; qui, quia cum hominibus frequenter conversari debent, & in omnium oculis sunt, aut cum aliis subinde carnibus vesci, aut probra & irrisiones sustinere, disputationibus excandescere, & irritari debent; cumque hæretici in disputando, & textu Scripturæ allegando, soleant esse promptiores, quàm rudes Catholici, facilè pusilli similibus disputationibus ad vacillationem induci possunt.

Quæritur ergo.

Primò: Quod sit officium Episcopi, circa prædicta matrimonia jam contracta, præsertim si contrahentes, vel unus eorum obierit; & , an proles ex illis susceptæ, propter probabilem bonam fidem, vel ex alio capite ad effectum successionum, & beneficiorum Ecclesiasticorum aliorumque similium, habendæ sint pro legitimis, &, an res ea non mereatur ut sacra congregatio desuper consulatur?

Secundò: Quod sit officium Episcopi pro futuris temporibus, &, an non expediat vicinum aliquem parochum cum plena potestate pro prædictis oppidis deputari?

Tertiò: Vtrum & quâ viâ Catholicos non obedientes, & coram dicto parocho contrahere recusantes, Episcopus cogere poterit ad solemnizandum matrimonium coram eodem parocho?

Quartò: An Episcopus ob antedictas causas in jejunio quadragesimali, aliquot saltem diebus per hebdomadam v. g. Dominicis, & feriis quintis, quo ad esum carnis dispensare possit; aut saltem declarare, positis antedictis circumstantiis, jejunium & abstinentiam à carnibus non obligare?

Resolutiones.

Matrimonia illa sunt valida, si ibi non sit parochus, &c. RESpondeo ad Primum, si in dictis oppidis, vel locis hæresi infectis sub jurisdictione Hollandorum existentibus, non sit aliquis parochus proprius legitimè institutus, ibidem residens, vel alius Sacerdos legitimè ad celebranda matrimonia delegatus pro illa parochia; non esse inquietandos qui absque præsentia parochi contraxerunt, sed vera, & ab Ecclesia approbata matrimonia subsistere, si reliqua quæ potuerunt observari, fuerint observata: Nimirum, si duo testes adhibiti fuerint.

Hæc Responsio clarè constat ex solemni Resolutione S. Congregationis Cardinalium S. Concil. Trid. Interpretum facta Octavio Tricaricensi Episcopo, Belgii Nuncio Apostolico, circa formam matrimoniorum quæ in partibus Hollandiæ, Zelandiæ & Frisiæ contrahuntur: In qua sic decernitur: *Si* (inquiunt) *parochia, in qua fuit aliquando observatum decretum, proprio parocho careat, & cathedralis itidem Episcopo, & capitulo habentibus à Concilio facultatem, alium Sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit, qui vices parochi, aut Episcopi suppleat, matrimonium valet absque præsentia parochi, servatâ tamen in eo in quo potest forma Concilij, nempe adhibitis saltem duobus testibus.* Hæc ibi. *Resolutio S. Cong. Conc. Trid. Interpret.*

Ex quibus verbis constat, quod positis his duobus: Primò, Quod parochia parocho proprio careat. Secundò, Quod nullus sit specialiter respectu illius parochiæ delegatus ab Episcopo, sive capitulo, vacante sede, vel parocho proprio, qui vices Episcopi vel parochi suppleat, matrimonia sine parocho contracta, modo duo saltem testes adsint, valida in illis locis esse.

Et adverte, quod proprius parochus vel delegatus, qui vices ejus gerit, debeat in loco, sive in vicinia tanta morari, ut censeatur in loco esse, quod denotat præpositio (*Ibi*) *Nullusque alius* (ait) *ibi sit, qui vices parochi, aut Episcopi suppleat:* Nimirum, per delegationem legitimam, de qua ante. Quod iterum indicant verba sequentia in Responsione: *Si vero* (inquit) *extent quidem parochus & Episcopus, sed nullo constituto Vicario, uterque metu hæreticorum lateat, ita ut verè ignoretur ubi sit: nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est matrimonium contractum absque parocho.* Quæ omnia denotant unum ex tribus, scilicet, Episcopum, Parochum, vel Vicarium, sive delegatum, debere esse moraliter loco præsentem, ita ut commodè & tutè adiri possit, alias absque parocho matrimonium contrahi posse. *Parochus, vel ejus delegatus ubi debeat morari.* *Debent esse mor aliter loco præsentes.*

Nec valet quod in narratione casus assumitur: facilè haberi potuisse, & adhuc modo posse in iisdem oppidis copiam alicujus Sacerdotis ex pastoribus frequenter eo divertentibus: Illi enim si certam, & ad loca illa determinatam non habeant delegationem, ad matrimonia celebranda, non sunt proprii parochi, nec vice Episcopi, vel propriorum parochorum matrimoniis præsidere possunt. Ex Trid. enim non quivis Sacerdos aut parochus, sed proprius parochus requiritur. *Quid si aliquis ex vicinis possit haberi.*

Et res clarissimè ex praxi declarari potest in missionariis, sive sæcularibus, sive Regularibus in Hollandia, &c. existentibus, qui, si parochi non sint, vel specialem delegationem, vel facultatem non habeant, *Missionarij qui possint assistere matrimonio.*

etsi cætera Sacramenta administrare possint, non possunt tamen matrimoniis præsidere.

Respondeo Secundò, Si in oppidis, & locis, de quibus in casu, parochi aliqui sint, quibus illarum animarum cura demandata est, vel Sacerdotes ad præsidendum matrimoniis deputati, qui in loco, aut congruâ viciniâ ad hoc resideant (ubi decretum Concilii Trid. legitimè fuit publicatum & observatum tempore sufficienti ad firmandam legem) matrimonium sine parocho contractum (si juxta supradicta parochus proprius commodè & tutè adiri potuit) in foro Ecclesiæ nullum esse, & consequenter, quæ ex eodem in foro Ecclesiæ consequuntur: Est expressum decretum Concilii Trident.

Quid si Trid. ubi publicatū sit, & parochus possit haberi?

Dixi (in foro Ecclesiæ) quia in foro civili, servatis legibus civilibus Provinciæ in qua contrahitur, contractus civilis legitimus, & matrimonium civile est: Unde & proles legitimæ censentur ut hæreditates, ac alia eas consequantur: Nec *in foro civili* separatio admittitur, nec servatâ fide matrimonii civilis, creduntur peccare, si conscientiâ invincibili credant se verum matrimonium juxta leges licitas contraxisse; In casu enim illo, ad jus gentium velut redeunt.

An valeat in foro civili?

Dixi etiam superius (*ubi Concilium, sive decretum Concilii legitimè publicatum, & observatum fuit*) super quo benè advertendum est: Non sufficere ut in diœcesi fuerit publicatum, sed debet publicatum fuisse in ipsâ parochiâ, de qua est quæstio: Nec sufficit ut simpliciter substantia decreti observata fuerit, sed debet observata fuisse, seu debuit observari in vim decreti Concilii: sive ut dicunt Eminent. Cardinales, tanquam decretum Concilii: Quod benè notandum est. Quia aliquando substantia decreti invenitur quidem servata, sed velut ex traditione aliqua vel consuetudine. Tunc autem decretum tamquam decretum Concilii non censebitur servatum.

Qua publicatio & observatio Conc. Trid. ibi requiratur?

Ex his patet non esse opus novo recursu ad congregationem Cardinalium: aut enim in istis locis non fuit pastor proprius, vel aliquis delegatus ad matrimonia celebranda in loco residens, &c. Et sic absolutè matrimonia sunt valida: aut fuit parochus proprius, vel delegatus in loco, & tunc matrimonia in foro Ecclesiæ fuerunt invalida; & pro consilio, possunt induci ut qui vivunt, renovent matrimonium coram habente potestatem, si autem facilè induci non possunt, suæ ignorantiæ relinquendi sunt in matrimonio civili.

Nō est opus novo recursu ad Cōg. Card.

Quid agendum cū iis, qui invalidè contraxerant.

Respondeo ad Secundum.

AD Secundum quæsitum respondeo: Officium Episcopi esse (si tamen commodè & tutò fieri possit, tam pro parochianis, quàm pro delegatis) ut in loco, aut vicinia delegetur unus, vel plures qui matrimoniis assistere possint, & Sacramenta dictis Catholicis ministrare; Quod si tamen non possent tuto delegati parochianos adire, vel etiam tuto adiri non possent, permittendi sunt parochiani absque inquietudine uti favorabili interpretatione S. Congregationis ad Episcopum Tricaricensem superius allegatâ.

Quod sit officium Episcopi pro illis?

Respondeo ad Tertium.

AD Tertium Resp. Posse & debere Catholicos justis rationibus instrui de necessitate, possibilitate, & facilitate recursus: Ita tamen, ut quando absque notabili suo detrimento parochum advocare, vel illum adire non possent, sciant se excusari; & coram duobus testibus posse contrahere. Quod si omninò recusent, prudentiæ erit, aut obligationem conscientiæ illis aperire, aut si non sit spes melioris frugis, illos suæ ignorantiæ, vel imaginationi vehementi relinquere.

Qui debeāt Catholici illi instrui de hoc.

Latius hæc materia discutitur *Tom. 3. Trib. part. 3. Tract. 1. q. 10.* Ubi agitur de matrimoniis in partibus Hollandiæ, &c. in Belgio.

Respondeo ad Quartum.

AD Quartum Respondeo: Requiri in hoc negotio magnam prudentiam, & discretionem: Est quidem liberum Episcopo ob causas allatas dispensare in præcepto positivo de esu carnium: sed cum iste esus carnium in publico, maximè in feriis Sextis possit generare scandalum Religionis Catholicæ, ita oportet attemperare, & honestis circumstantiis vestire istam dispensationem, ut liberentur quidem illi Catholici à vexa: conentur autem se ita restringere, ut non nisi in necessitate allegata, & absque nora & scandalo Religionis Catholicæ, dispensatione utantur. Quæ pendent ab instructione prudenti ipsorum, qui illos debent super his informare.

Dispensatio in esu carnium pro illis, debet esse prudens.

CASUS

CASUS CONCERNENTES Regulares.

CASUS I.

De introductione reformationum à superioribus ordinum.

Proponitur Casus. Superiores ordinum diversorum, intendunt reformationem Regularis primevæ observantiæ, ac disciplinæ in suis monasteriis collapsæ, inducere; sive regulæ observantiam restituere. Causantur aliqui. Primò, illos per se id non posse absque capituli assensu. Secundò, nec cum capituli assensu, si religiosi, aut major pars illius monasterii, non consentiat. Tertiò, religiosos posse reclamare & dissentire ob privilegia, & consuetudines in contrarium. Quartò, non expedire ob scandala quæ inde nascuntur.

Quæritur itaque.

1. *An superiores possint per se hujusmodi reformationes, etiam absque consensu capituli, vel Generalium Prælatorum introducere?*

2. *An renitentibus religiosis, aut eorum parte majori, id possint?*

3. *An possint religiosi, reclamatione sua reformationem monasterij impedire?*

4. *An ob scandala, expediat ab hujusmodi reformationibus cessare?*

Prænotanda.

Antequam ad resolutiones absolutas procedatur.

Reformatio regularis disciplinæ respicit quadruplicem observantiam reformandam. Advertendum est. Primò, reformationem regularis disciplinæ in monasteriis quadruplicem observantiam quæ reformanda est, recipere. Prima, est mandatorum Dei, & Ecclesiæ, si forte illa nnn observentur. Secunda, est essentialium votorum religionis, & obedientiæ, paupertatis, & castitatis, quæ sunt omnibus religionibus communia. Tertia, est observantia substantialium ordinis quæ in præceptis & præscriptionibus regularum continentur singulariter, & unam re[...]nem ab alia velut substantiales differen[...], sub *Religiones penes quæ inter se differant?* communi religionis genere distinguunt; ut sunt, modus & forma, habitus, abstinentiæ, jejunia, officia divina, clausura, exercitationes variæ tam spirituales, quam corporales, à fundatoribus in ipsa regula, vel constitutionibus primariis, & originalibus religionum & congregationum præscriptæ; quibus religiones ab invicem differunt, & quæ velut modi ad essentialium votorum observantiam addita sunt. Quarta, observantia respicit accidentalia, & cæremonialia quædam statuta superaddita à patribus, & capitulis; quæ disciplinæ religiosæ decori & ornatui deserviunt, ut sunt cæremoniæ chori, dormitorii, refectorii, officinarum, conversationis internæ & externæ, &c. de quibus vide S. Bernardum *Tract. de precepto & dispensatione*, & S. Bonaventuram *l. de sex alis Seraphim cap. 3. num. 2. 3. & 4.* *S. Bern. S. Bonav.*

Triplex obligatio Prælati. Advertendum Secundò, Superiorem, Abbatem, vel quemcumque alium præfectum in religionibus, triplicem contrahere obligationem in institutione sua.

Patris. Prima est *Patris*; quâ tenetur subditorum, ut filiorum curam gerere, ut regulam quam professi sunt observent, & à transgressionibus abstineant; ad quod ipsis paterna potestas concessa est, tam in præceptis, quàm in correctionibus, & aliis quæ ad paternam potestatem pertinent. Et hæc competebat præfectis religionum, etiam laicis, antequam antiquitus ad clericatum assumerentur.

Pastoris. Secunda obligatio est *Pastoris*: Successu enim temporis cum ad Clericatum, & Sacerdotium præfecti religionum assumpti sunt, eis jurisdictio spiritualis, & cura animarum demandata est; ita ut ipsa assumptione præfecturæ, obligationem pastoralem subierint, *tamquam rationem reddituri pro animabus*, sibi commissis.

Velut sponsi. Tertia obligatio est velut *Sponsi*: Monasterium enim, sive religionem sibi velut despondent, cui debent omnem fidelitatem, & conservationem; ita ut non obligentur solum personis subditorum, sed etiam religioni & monasterio, ad ejus conservationem, & promotionem. de his vide S. Bonaventuram *sup. num. 8.* cujus verba postea oportunè citabimus. *S. Bonav.*

Advertendum Tertiò, Religiosum quemlibet obligari ad ea quæ sunt suæ professionis, & votorum; nec ultra cogi posse, unde est illud S. Bernardi *Tract. de precepto & dispensatione: cap. 8. Quamobrem* (inquit) *quisque professus in quovis genere salutiferæ vitæ, Nec ultra obedientia legem cogendus, nec citra est inhibendus, quàm sua ipsius videtur complecti professio, quantò minùs contra.* Et post pauca: *Nil mihi prælatus prohibeat horum quæ promisi; nec plus exigat, quàm promisi: vota mea nec augeat sine mea voluntate, nec minuat, sine certa necessitate.* Hæc S. Bernardus. Illis igitur sic prænotatis descendo ad Responsiones. *S. Bern.*

Respon-

Responsio ad 1. Quæstionem.

An superiores possint per se, hujusmodi reformationes, &c. introducere?

Resolutio 1.

Possunt reformare ea quæ spectant ad essentiam, seu regulæ, absque alterius licentia.

SVperiores possunt absque ullius alterius superioris, vel capituli licentia, aut facultate reformare suos conventus & monasteria in iis quæ sunt in regula expressa, sive sint vota essentialia, sive præcepta, & modi originales in regula præscripti. Ita Panormitanus *in cap. super eo de regularibus num. 6.* Sanchez *in decalogum. l.6.c.2.n.35.36.37.* Et alii quos citat & sequitur Tamburinus *de jure Abbatum tom. 3. d. 4. quæsit. 6. n. 7. & 8.* Ratio sumenda est ex vi & natura officii, ejusque obligatione, sive paterna domestica, sive pastorali. Hoc enim ipso quo superior instituitur, tenetur non tantum in persona propria regulam & regulares observantias servare, sed etiam procurare, ut ab aliis sibi subditis observentur, & ut regularis disciplina, in monasterio sibi commisso sarta tectaque remaneat, & hoc apertè declarat, & sub novo præcepto imponit Concilium Tridentinum *Sess. 25. de regularibus c. 1. Quoniam* (inquit) *non ignorat S. Synodus, quantùm ex monasteriis piè institutis, & rectè administratis, in Ecclesia Dei splendoris, atque utilitatis oriatur; necessarium esse censuit, quò faciliùs, ac maturius, ubi collapsa est vetus, & regularis disciplina instauretur, & constantiùs, ubi conservata est, perseveret, præcipere, prout hoc decreto præcipit: ut omnes regulares, tam viri, quàm mulieres, ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant; atque imprimis; quæ ad suæ professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus regulæ & ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum respectivè essentiam, nec non ad vitam communem, victum, & vestitum conservanda pertinentia, fideliter observent.*

Tambur.

Concil. Trident.

Tenentur religiosi ad suæ regulæ præscriptum.

Ex quibus verbis patet: Primò: religiosos teneri ad observantiam primevæ regulæ suæ, sive (ut ait Concilium) *ad regulæ quam professi sunt, præscriptum*; nimirum, ut ubi collapsa est *vetus & regularis disciplina instauretur.* Patet Secundò, in quo reformatio quæ à Concilio demandatur, consistat; nimirum in essentialibus votis, & in substantialibus ordinis præceptis, & modis; quæ specificantur in *vita communi, victu & vestitu*: Neque enim ad singula, quæ auctoritate, & dispositione Pontificum constat ob causas justas, & legitimas esse sublata, quilibet tenetur, sed ad substantialia regulæ, & ordinis; ut nimirum restituatur *vita communis, victus, vestitus*, & alia substantialia; prout clarè & expressè in regula & sacris Canonibus continentur. Vide Emmanuelem Roderiguez *Tom. 2. qq. Reg. q. 74. art. 2. & 3.*

Ad quos spectet istas reformationes introducere.

Cujus verò sit istas Reformationes introducere sive procurare statim Concilium indicat, subdens: *Omnisque cura & diligentia à superioribus adhibeatur tam in Capitulis Generalibus, & Provincialibus, quàm in eorum Visitationibus, quas suis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur.* Ne verò quis credat in his superiores debere requirere facultatem, vel interpretationem Capitulorum Generalium, vel Provincialium, cum in eodem *c. 1. sess. 25.* Concilium decrevisset, *à Superioribus non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari*, eo quod (inquit) *si illa, quæ bases sunt, & fundamenta totius regularis disciplinæ, exactè non fuerint conservata, totum corruat ædificium necesse est.* Postea *c. 22.* decreta sua confirmare volens, revocat omnia privilegia, constitutiones, consuetudines, vel præscriptiones etiam immemorabiles, contra reformationem toto illo titulo demandatam facientes: ac demùm: *Omnibus Episcopis, in monasteriis sibi subjectis, & in omnibus aliis, ipsis in superioribus decretis specialiter commissis: atque omnibus Abbatibus, & Generalibus, & aliis Superioribus ordinum supradictorum, ut statim prædicta exequantur.*

Concil. Trident.

Commissio illa facta superioribus à Concil. non potest arctari per generales, aut capitula.

Ex quibus manifestè constat. Primò, pertinere ad Abbatem, & Superiorem cujuslibet monasterii illud reformare juxta prædicta in Concilio; cum cuilibet Superiori executio reformationis à concilio committatur. Secundò, constat commissionem illam arctari non posse per generales, aut capitula: quia ad istam etiam reformationem introducendam, per concilium obligantur; & eorum potestas qualiscumque, ad modos illos reformationis ita arctata est, ut nihil contra reformationem à concilio demandatam, possint Abbatibus, & Superioribus immediatis monasteriorum imponere; aut eos quovis modo impedire, nè reformationem, juxta primevæ regulæ observantiam introducant.

An possint ex vi illius quascumque reformationes introducere.

Petes. An ergo (possint Abbates, vel Superiores virtute Concilii quascumque Reformationes introducere) nullo adhibito,

bito, vel secuto concilio capitulorum, vel superiorum generalium?

Eugen. 4. Respondeo Primò, Eugenium 4. in iis, quæ in regula S. Benedicti dubia sunt, permisisse capitulis generalibus, eorum interpretationem, modificationem, declarationem, *servatu tamen* (inquit) *in omnibus rectâ conscientiâ, & sano intellectu.* Et similia concessit Leo X. Ordini Minorum; ut videre est apud Roderigues *tom. 2. q. 74. art. 2.*

Leo X. Roderig.

Respondeo Secundò, in substantialibus regulæ, & ordinis, nihil virtute dictorum privilegiorum posse capitula generalia, aut superiores (maximè ubi de veritate illorum constat, & de intentione fundatoris regulæ, dubium non est) interpretari, aut immutare. Videatur Roderigues ibidem ex collectore ordinis Cistetciensis.

Respondeo Tertiò, in omnibus, quæ specificata sunt in Concilio Tridentino, posse Abbates sive Superiores, absque Capitulorum vel Prælatorum Generalium, sive Provincialium assensu sua monasteria reformare. Ratio est, quia supponitur, jam facultas illis per Concilium facta, quam nemo præter Pontificem revocare potest. Nec ulla privilegia, ante concilium data, quæ contra demandatam in concilio reformationem militant, modò post concilium capitulis aut superioribus generalibus, &c. favere possunt: Nec posterius data, aut confirmata aliquid conferunt, cum nulla deinceps dentur aut confirmentur, nisi quatenus *S. Concilij Tridentini decretu non adversantur.* Ex quibus iterùm infero: Superiores immediatos posse reformationes juxta præscriptum Concilii Tridentini, in Monasteria sibi commissa introducere, etiam Capitulis, & Prælatis Generalibus, vel Provincialibus renitentibus, modò non excedant præscriptum Concilii, quod ut supra notatum est, in hoc consistit: *Vt ad regula, quam professi sunt præscriptum vitam instituant,* sive ut *vetus & regularu disciplina instauretur.* Specificantur autem Primò, Vota *obedientia, castitatu, & paupertatu.* Secundò, alia peculiaria cujuslibet regulæ, & ordinis *vota, atque præcepta*: quæ, nimirùm, interprete facto Concilio, ad eorum respectivè *essentiam*, nec non *communem vitam, victum & vestitum* pertinent. Ita ut superior etiam immediatus reformans, non censeatur excedere Concilii Tridentini præscriptum; si essentialia vota in sua puritate, & primæva observantia in regula clarè expressa restituere; Si ad victum, in regula contentum reducere; Si vestitum regularem tepetere; Si vitam communem, juxta primæva ordinis instituta restaurare conetur. Vide apud Roderigues supra *a. 3.* explicationem Navarri. Porrò quæ illa sint, ex ipsis regulis, & antiquis religionum constitutionibus, dum religiones in suo rigore & splendore vigerent sunt requirenda. Multa vide de vestitu & modis regularibus Benedictin. in Clement. *l. 3. Tit. de statu monachorum cap. 1.* per totum ex *Concilio Viennensi, sub Clemente 5.*

Nulla privilegia derogant isti commissioni.

Essentialia regula.

Superior immediatus illa reformans nō excedit præscriptū Concilii.

Resolutio 2.

Non tantùm potest, sed etiam tenetur in conscientia superior immediatus (quantùm in se est) disciplinam & observantiam regularem, juxta primæva instituta ordinis, & regulæ conservare, & si collapsa est, ad pristinam regulæ amussim restaurare, etiam renitentibus quibuscumque. Resolutio constat ex antedictis, ex Concilio Tridentino, & ex vi obligationis officii quod assumpsit. Quibus consonant decreta Concilii Turonensis 3. cap. 25. & Cabilonensis 2. cap. 22, Ticinensis, Basileensis Generalis sess. 15. in fine.

Tenetur ad hoc in conscientia.

Concilia.

Resolutionem graviter perstringit S. Bonaventura l. de sex alis Seraphim cap. 3. num. 8. *Prælatus* (inquit) *Vicarius Dei, cui data est potestas à Domino super familiam suam, & cui debent subditi ea de causa vice Domini obedire: si non corrigat delinquentes; si permittit sub se vitia crescere, & consuetudines malas oriri, & jam exortas roborari, & dilatari: si videt regulares observantias dilabi, & transgressiones multiplicari, & pro posse non obviat tam præsentibus malis, quàm imminentibus, triplicem Deo reddet rationem. Primò, pro sua negligentia, quando non fecit id, ad quod officio tenebatur. Nam* (ait) *Cum essetis ministri regni illius, non rectè judicastis; nec custodistis legem justitia, neque secundum voluntatem ejus ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his qui præsunt fiet. Secundò. Quod omnia peccata subditorum qua poterat, & debuerat correxisse, & præcavisse ei imputantur. Vnde dicit Ezech. 33. Si non fueris locutus ut custodiat se impius à via sua, ipse impietate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Tertiò, pro abusione honoris & potestatis sibi collata, quam ad propriam gloriam & commodum retorsit, & non ad quod data est ei. Tollite ab eo talentum* (ait Christus) *& inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Hæc S. Bonaventura, qui & admonitionem seriam adjungit. *Ostendat ergo* (inquit) *bonus zelator, quantum diligat*

D. Bonav.

Sap. 6.

Ezech. 33. vers. 8.

Matth. 25.

gat Deum, in eo quod beneplacitum ejus in se, & in alijs promoveat : Nec ab hoc zelo mollescat per desidiam : Nec labore lassetur : Nec consilijs flectatur : Nec astutijs circumveniatur : Nec amicitiâ : Nec blandimentis delicietur : Nec minis terreatur : Nec per diuturna prava consuetudinis præscriptionem desperet , quin suum officium exequatur, &c.

Eandem doctrinam tradiderat S. Bernardus *serm. 3. de Adventu Domini* , quæ quia longiori (etsi energico, & reali) discursu rexitur , hanc à proposito omitto. Idem etiam *Tractatu de præcepto & dispensatione cap. 7.* probat hanc obligationem à paritate correlativa : Si enim subditus ex sua professione tenetur ad essentialia & substantialia regulæ suæ , eâdem obligatione tenetur superior pro se , & aliis observantiam procurare regulæ, nec in ejus potestate est aliquid imminuere absque manifesta necessitate. Verba S. Bernardi sunt : *Super Fratrum sane* (ait) *transgressiones , non super Patrum traditiones constituitur qui Abbas eligitur , mandatorum cultor, & ultor vitiorum : Arbitror namque sanctas illas observantias , Prælatorum prudentiæ , & fidei creditas , non subditas voluntati.* Infra : *Nonne regularis ipsa professio , quâ se junior sponte subdit priori , æquè alligat & priorem ? Communis equidem pacti , pari reor utrumque necessitate teneri , fierique duos per unius sponsionem alterutrum debitores : Fidelis curæ unum : Alterum humilis obedientiæ.* Hæc S. Bernardus.

S.Bern.

Responsio ad 2. Quæstionem.

An renitentibus religiosis, aut eorum parte majori possit Abbas, vel superior introducere reformationem ?

Modi quibus religiosi solent reniti reformationibus.

ADvertendum est, religiosos variis modis solere reniti reformationibus. Primò , Conquerendo de excessu reformationis supra regulam , & professionem. Secundò, Allegando contrariam consuetudinem , quàm in ingressu religionis repererunt ; simul addendo præscriptionem , contra primævam observantiam. Tertiò , Probando se non intendisse aliter vovere, quàm prout regula, tempore quo eam professi sunt , observabatur. Quartò, Exhibendo legitimas dispensationes , per privilegia , & diplomata Pontificia. Hæ sunt ferè rationes præcipuæ ; etsi eas latiùs, quindecim numero prosequatur *Ioannes Nider. l. 1. de reformatione religiosorum* à *cap. 4.* usque *ad* 18, qui in his totus ex professo est.

Joannes Nider.

Resolutiones.

Resolutio 1.

SI verus excessus supra regulam allegetur , & probetur , Prælatus non poterit excessivam illam reformationem , renitentibus religiosis inducere. Est S. Bernardi *Tract. de præcep. & dispens. c. 7.* *Sic* (inquit) *se habet Professio. Promitto non quidem regulam , sed obedientiam secundùm regulam S. Benedicti. Non ergo secundùm voluntatem Præpositi. Proinde si professo secundùm illam regulam , Abbas meus mihi aliud forte imponere tentaverit , quod non sit secundum regulam, aut etiam quod non sit secundùm ista instituta; verbi causa : Basilij , Augustini, Pacomij, quanam* (inquit) *mihi quæso , in hac re necessitas imminet obsequendi ? Solùm quippe id à me posse exigi arbitror, quod promisi.* Infra *cap. 8. Quamobrem quisque professus in quovis genere salutifera vita , nec ultra obedientiæ legem cogendus, nec citra est inhibendus , quàm sua ipsius videtur complecti Professio. Quantò minus contra ?* Iterum ; *Nil mihi Prælatus prohibeat horum quæ promisi : Nec plùs exigat quàm promisi.*

Non potest Prælatus, si sit verus excessus supra regulam. S.Bern.

Resolutio 2.

NVlla consuetudo contra regulam, aut ejus præcepta , & vota essentialia, potest impedire introductionem reformationis in monasteriis ; minùs præscribere contra regulam. Ratio est, quia hujusmodi consuetudo est mera corruptela. Tria enim ad legitimam consuetudinem quæ legis vim habeat requiruntur. Primum ut sit justa : id est *rationi & veritati consentanea.* Secundum ut pro *lege* suscipiatur. Tertium ut *lex deficiat.* Sic enim consuetudinem definit Isidorus apud Gratian. *Dist. 1. cap. Consuetudo.* *Vt sit jus quoddam moribus institutum , quod pro lege suscipitur , cum deficit lex.* Certum est autem consuetudines contra vota essentialia, vel substantialia præcepta regulæ , introducta , nec rationi nec veritati professionis consentanea esse , adeoque jus dici non posse. Certum similiter est : Nunquam leges sive regulas defecisse , aut deficere posse , quæ à tot summis Pontificibus, in Conciliis Oecumenicis, tam frequenter inculcatæ sunt ; & tot reformationibus ab injuria temporum , & transgressionum vindicatæ. Vnde & Concilium Tridentinum supra *c. 22.* derogat omnibus *Privilegijs , etiam in fundatione , monasteriorum, obtentis , nec non constitutionibus & regulis etiam juratis , atque etiam consuetudinibus, vel præscriptionibus etiam immemorabilibus :* Quatenus nimirùm essentialibus votis , &

Consuetudo non potest præscribere contra regulam.

Consuetudo quid? Isidorus.

Concil. Trident.

ſubſtantialibus regulæ præceptis, vel ordinis primævo inſtituto adverſantur, ut ſuperiori Quæſtione iterum explicatum eſt.

Nicolaus Papa.

Notanda porrò ſunt verba Nicolai Papæ ad Ignarum Archiepiſcopum Rhemenſem, apud Gratianum *diſt.* 8. *Mala* (inquit) *conſuetudo non minus quàm pernicioſa corruptela abjicienda & vitanda eſt; qua niſi citius radicitùs evellatur, in privilegiorum jus ab impiis aſſumitur: & incipiunt prævaricationes, & variæ præſumptiones, celerrimè non compreſſè, pro legibus venerari; & privilegiorum more perpetuè celebrari.* & *cap. fruſtra* eâdem diſt. ex S. Auguſtino *lib.* 4. *de Bapt. c.* 4. *Fruſtra* (inquir) *quidam, qui ratione convincuntur, conſuetudinem nobis objiciunt: quaſi conſuetudo major ſit veritate: aut non ſit in ſpiritualibus ſequendum, quod melius à Spiritu ſancto revelatum eſt. Hoc plane verum eſt, quia ratio & veritas conſuetudini præponenda ſunt, ſed ſi conſuetudini veritas ſuffragatur, nihil oportet retinere.* Videatur tota diſtinctio 8. & 11.

S. Auguſt. *c. fruſtrà.*

Reſolutio 3.

Intentio voventis, &c poteſt ipſum ab obſervantia aliquarum auſteritatum excuſare.

ETſi Intentio reſtricta voventis, in nonnullis poſſit perſonam ipſius ab auſteritatibus regulæ quæ in uſu tunc non erant, immunem reddere; ita ut, quod illa, non teneatur pro perſona ſua reformationem acceptare: non poteſt tamen reformationi monaſterii contraniti, aut eam impedire.

Prior pars admitti poteſt eo argumento: Quod votum non extendatur ultra ſcientiam, & intentionem voventis. Cum igitur ſupponatur vovens inculpabiliter neſciſſe auſteritates aliquas, & obligationes ſtatus, & ordinis, ſive quia, tempore quo intravit, communiter non ſervabantur; ſive quia putabatur in illis, communi uſu contrario, diſpenſatum, ex.g. in abſtinentia à carnibus, in jejuniis prolixioribus, in vigiliis gravioribus, & ſimilibus: unde nec intenderit ſe ad plura obligare, quàm quæ vidit, & credidit honeſte ſervari: Reverà talis cogendus non eſt; nec obligatur ad hujuſmodi auſteritates, etiamſi in regula proponantur. Quia rationabiliter potuit credere diſpenſatum legitimè fuiſſe, in illis. Dixi, *in auſteritatibus, &c.* quia in eſſentialibus votis, & primariis præceptis, quæ ad ſubſtantiam ordinis pertinent, excuſari non poteſt. Qui enim ordinem aliquem vovet, cenſetur implicitè ſe obligare, ad eſſentialia & ſubſtantialia ordinis, ut latè probat Nider *l.* 1. *de reformatione religioſorum cap.* 5. *poſterior pars* convincitur: Quia intentio particularium, aut abuſus communis, non poteſt juri religionis, & regulæ præjudicare, juxta illud Iſidori *in Synonimis*: apud Gratianum *diſt.* 11. *uſus auctoritati cedat; pravum uſum & lex & ratio vincat*: & Cyprian. apud eundem *diſt.* 8. *Si ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit*, &c. Iterùm ibidem *Conſuetudo quæ apud quoſdam irrepſerat, impedire non debet, quominùs prævaleat veritas, & vincat. Nam conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt.*

Nider.

Non poteſt tamen talis reformationem impedire.

Iſidorus.

Reſolutio 4.

Exhibitio privileg. poteſt perſonas excuſare à Reform. non tamen illā impedire.

PRivilegiorum exhibitio (quantumvis illa certa ſint) etſi fortè perſonas excuſet à reformatione, non poteſt tamen impedire monaſterii vel conventus reformationem; ſi Prælatus, & alii (etſi minori numero) reformari juxta eſſentialia, & ſubſtantialia ordinis velint: ſive juxta primævam obſervantiam. Ratio eſt: Quia eadem, & major libertas ſervanda eſt ei, qui regulæ & votorum ſuorum zelator eſt; quàm ei qui infra regulam, ſui privilegii & diſpenſationis eſt aſſertor. Et præferendus qui ex ſpiritu, & promiſſione in Iſaac natus eſt, ei qui ex carne ex Agar; unde etſi communi axiomate: *Nemo creſcere cogendus ſit*. Nemo tamen *creſcere impediendus eſt*, & ut bene S. Bernardus ſæpè citatus *de præcepto & diſpenſatione*, ſupra *cap.* 8. *Quiſque profeſſus in quovis genere ſalutiferæ vitæ, ſicut, nec ultra obedientiæ legem cogendus, ſic, nec citra eſt inhibendus, quàm ſua ipſius videtur complecti profeſſio.* Et cum *privilegium* & *diſpenſatio* definiatur *rigoris juris canonicè facta relaxatio.* Nemo tenetur uti relaxatione, cum laudabilius ſit legis perfectionem amplecti, præterquam quod frequenter periculoſa ſit privilegiorum, & diſpenſationum impetratio; cum ſæpè cauſa allegata, aut falſa, aut infirma, aut dubia ſit. Ex his deduci poſſunt reſolutiones ad tertiam Quæſtionem.

S. Bern.

Privilegiū & diſpenſatio quid?

Reſponſio ad 3. Quæſtionem.

An poſſint Religioſi reclamatione ſuâ monaſterij reformationem impedire?

Qui obligetur Prælatus ſua religioni.

ADvertendum Prælatum, ſive Superiorem, non tantùm obligari perſonis ſubditorum, ſed obligari maximè religioni ſuo regimini concreditæ, cujus perfectionem, ſplendorem, & decorem conſervare, & procurare tenetur. Eſt enim

Vinea

Vineæ cultor & custos, religionis sponsus, unde & Abbates annulum gestant, & ut (ait) S. Bernardus *Serm. 3. de Adventu. Exigit* ab illis Deus: *Custodiam & disciplinam*. Quod etiam expendens *epistola* 141. *ad Humbertum Igniacensem Abbatem*, qui Abbatiam suam amore vitæ solitariæ deseruerat: *Vineam* (inquit) *tibi Deus plantavit electam, & speciosissimam; sepem ei circumdedit vocivæ continentiæ: torculas districtissimæ disciplinæ fodit in ea, & ædificavit sanctæ paupertatis turrim, ad cœlos usque pertingentem. Te cultorem, atque custodem constituit: honestavit te in laboribus tuis, & complevit illos, si permittis. Sed tu, proh nefas! Diffruis macertam ejus, & racemis optimus plenam, exponis omnibus qui prætergrediuntur viam. Heu! quis prohibebit aprum de silva, ut non exterminet; & singularem ferum ne depascat eam?* Hæc S. Bernardus.

S. Bern.

Resolutio 1.

Potentibus reformationem ad præscript. Regulæ potest Prælatus eam concedere, non obstante reclamatione aliorū.

NOn obstante reclamatione religiosorum; potest Prælatus, si aliqui reformari ad præscriptum regulæ postulent, aut consentiant reformationem illis concedere, & monasterium reformare. Ratio est: quia Prælatus plùs obligatur religioni, quàm subditis, & inter subditos magis obligatur regulæ veritatem ambientibus, ut eos juvet; quàm relaxationem sectantibus, ut eam destruant; aut sub relaxatione gementem contineant. Et aliàs Prælatus obligatur reformationem promovere, quantùm in se est. Vnde *cap. Nullam. 18. q. 2.* ubi in iis quæ ad bonum monasterii pertinent, totam potestatem penes Abbatem residere definit Pelagius Papa. Vt (inquit) *de cætero fideliter & studiosè, universa quæ vel ad divini cultus reverentiam, vel ad utilitatem ejusdem monasterij pertinent, Abbatis sollicitudo (ad quam potestas tota pertinere convenit) debeat adimplere.* Cujus rationem priùs dederat auferens à monachis arbitrandi auctoritatem. *Quia* (inquit) *nulla auctoritas remanebit Abbati, si monachorum potestati caperit subjacere.* Hæc ibi.

Pelagius Papa.

Resolutio 2.

Eam positivè impedientes religiosi, peccant mort.

PEccant mortaliter religiosi qui positivè & deliberatè impedire tentant reformationem sui monasterii, vel religiosorum, quando reformatio est secundùm præscriptum regulæ ordinis sui. Ratio est: quia salutare bonum ad quod obligantur, in se, & in aliis contra charitatem, & justitiam impediunt: Cùm enim ex communi omnium doctorum sententia, *Religio sit statum perfectionis acquirendæ*, quamvis non teneatur religiosus perfectus esse, aut ad perfectionem semper formaliter tendere: tenetur tamen sub peccato mortali non habere voluntatem formaliter aversam & perfectioni suæ regulæ contrariam. Qualem positivè convincuntur habere, qui regularis observantiæ perfectionem, prout in regula exprimitur, non tantùm non sequuntur, sed persequuntur, ac positivè quibus possunt modis, in aliis impediunt. In quo peccatum duplex committunt in se & in proximum. Benè S. Bernardus *Epist. 91. ad Abbates Suessione congregatos. Minimè* (inquit) *pro certo est bonus qui melior esse non vult, & ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam definis esse bonus. Recedant etiam à me, & à vobis, qui dicunt bonum malum, & malum bonum. Qui dicunt cultum justitiæ malum: quodnam bonum jam reputaturi sunt? Vnum verbum olim locutus est Dominus, & Pharisæi scandalizati sunt. At novi nunc Pharisæi non verbum, sed silentium scandalizat. In hoc uno certè advertitis, quod occasionem quærunt adversum vos. Sed sinite illos: cæci sunt & duces cæcorum. Incendite saluti parvulorum & non murmuri malevolorum. Non valde illorum vobis curandum est scandalum, qui non sanantur, nisi vos infirmemini.* Infrà: *Satiùs vero ipsorum profectibus quàm voluntatibus providetis: fideliusque invitos trahitis ad Deum, quàm desideriis cordis illorum relinquitis.* Hæc S. Bernardus, sed de his in responsione ad quæstionem sequentem.

S. Bern.

Responsio ad Quæstionem 4.

An ob scandala, expediat à reformationibus cessare?

Resolutio 1.

Reformatio non obligatoria interdum differenda.

IN rebus merè voluntariis, & ad quas nulla est obligatio; sive quæ sunt meræ perfectionis, consulendum est interdùm potius aliquid dimittere ob scandalum pusillorum. Hoc consulit in casu nostro S. Bernard. *Epist. 83. ad Simonem Abbatem S. Nicolai. Tibi* (inquit) *Pater Venerande consulimus (ut tamen sapientiorum consilio non præjudicemus) quatenùs ad tempus propositi tui, tibique consentientium rigorem sic temperes, ut infirmorum salutem non negligas*, &c. *Illis autem qui altiùs vivere desiderant, aut condescendere imbecillioribus ex charitate (quantùm sine peccato possunt) suadendum est, aut ibidem tenere quod cupiunt permittendum: si absque utrarumque partium scandalo*

S. Bern.

dalo fieri potest, &c Quæ omoia de iis quæ sunt meræ perfectionis iotelligi debent, quando dissimulatio peccatum non includit, vel peccato causam non subministrat.

Resolutio 2.

Secus quoad obligatoria.

A Reformatione Prælatus cessare non potest, in iis quæ sunt regulæ & religionis ex sua institutione, & ad quæ ex professione religiosi obligantur, non obstante quocumque scandalo. Ratio est. Quia vi sui officii ad restaurandam regularem observantiam juxta regulæ præscriptum obligatur; & ei a Concilio Tridentino novum præceptum impositum est; & (ut supra probatum fuit) quilibet religiosus ad præscriptum regulæ, & professionis suæ, tenetur vivere. Vnde est illud

Gerson.

Gersonis *de Consc. Theologia lib. 4. de Prosa 2. Non est deserenda veritas, aut vita, aut doctrina vel justitia, dum certum habemus quod periclitaretur nostro silentio, & opposita falsitas firmaretur.* Et *Tit. de regulis juris cap. 3.* ex Beda dicitur: *Vtilius scandalum nasci permittitur quàm veritas relinquatur.* Et aliàs scandala illa accepta sunt, non data.

S Bern. Matth. 18. vers. 7.

Vnde S. Bernardus *exempla 78. ad Suggerium Abbatem ante fin. Necesse est* (ait) *ut veniant scandala: Nec me, ut æstimo tangit omninò quod sequitur. Va autem homini illi, per quem scandalum venit. Cum enim carpuntur vitia, & inde scandalum oritur, ipse sibi scandali causa est, qui fecit quod argui debeat, non ille qui arguit. Denique, nec cautior sum in verbo, nec circumspectior in sensu, illo qui ait, melius est ut scandalum oriatur, quam veritas relinquatur. Quamquam nescio quid profit, si, quod mundus clamat, ego tacuero, omniumque passim naribus injecto fœtore, solum dissimulo pestem; nec audeo nasum contra pessimum putorem propriâ munire manu.* Hæc S. Bernardus; qui etiam in *Tract. de præcepto & dispensatione. cap. 12.* concludit:

Matth. 15. v. 13. 14.

Aliter accipienda sunt scandala pusillorum: Aliter Pharisæorum, de quibus Apostolis timentibus & intimantibus quod scandalizati essent in sermone veritatis. Responsum est: Sinite illos: cæci sunt & duces cæcorum. Illorum quippè scandalum de ignorantia: Istorum de malitia descendit: Illi scandalizantur quia veritatem nesciunt: Isti quia oderunt: Hæc S. Bernardus.

Idem supra *eodem cap.* ubi sibi proposuisset duo contraria quæ simul fieri nequeunt, aliud hominibus volentibus, aliud Deo mandante. *Quod si* (inquit) *contigerit pergendum, indubitanter consulo in Petri sententiam, quia obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Aut enim hos respondendum cum illis.*

Act. 5. v. 30

Apostolis: aut cum Pharisæis certè audiendum: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras? &c. Vota enim religionis, sicut & regula, æquipollent, factâ permissione mandatis Dei, qui præcipit vota reddi; & declarat, *Displicere sibi infidelem & stultam promissionem.* Consuetudines autem monasteriorum rigorem regulæ relaxantes sunt meræ hominum traditiones, aut potius corruptelæ.

Matth. 15. vers. 3.

Eccl. 5. v. 3.

Quid si major pars renitatur?

Petes: Quid si major pars, Privilegiis, aut toleratæ consuetudinis quam in professione sua reperit, insistat?

Resp. Primò, Quod & respondi supra: Illos cogi non posse, nisi ad vota essentialia, vel ea quæ regulam & vota concomitantur.

Resp. Secundò, Illis relictis in observatione essentialium, & substantialium regulæ non deesse modos superioribus, quibus religionis integritati, & religiosis regulam, &c. servare desiderantibus consulant.

Modi quibus possit consuli integritati religionis. S. Bern.

Primò. Si volentibus faveant, & procurent ut juxta primæva Patrum instituta vivant. Nam ut supra ex S. Bernardo citavimus: *Sicut nemo ultra obedientiæ legem est cogendus, sic nec citra est inhibendus, quàm sua ipsius videtur complecti professio.*

Secundò. Si nullos ad professionem, vel habitum probationis superior admittat deinceps, nisi regulæ præcepta, & regularem vitam juxta regulæ originalis præscriptum observare velit: ut deinceps excusationem oemo prætendat. Et hic est modus suavior & qui nulli patet incommodo; quippe cum qui eamdem educationem sortiti fuerint, postea ejusdem observantiæ & reformationis assertores sint futuri. Et huic providentiæ superioribus, & Abbatibus qui suarum familiarum absoluta sunt capita, manum dedit, & viam stravit in constitutionibus suis de novitiorum receptione Sanctissimus D. Clemens VIII. Nimirum in *constit.* quæ incipit *regularis disciplinæ data 12. Martij 1596.* Item in *decreto anno 1599. 23. Iunij.* Item in altero *19. May 1602.* Item *in constitutionibus Novitiorum 19. Martij 1603.* quas iterum confirmat & observari deinceps mandavit Sanctissimus D. N. *Vrbanus VIII. in Bulla quæ incipit religiosos viros. data Romæ 2. Aprilis 1631. Pontificatus anno octavo.* Videantur in Bullario Romano Cherubini.

Clemens VIII. de receptione novitiorũ.

Vrbanus VIII.

Dices. Si Prælatus Novitios secundùm reformationis modos voluerit educare & probare: Qui in monasterio adversantur reformationi nolent illos admittere,

&ita

& ita erit perpetua confusio.

Qualia sint suffragia religiosorum in receptione novitiis ad professionem.

Respondeo Primò, non deesse doctores: Qui asserant suffragia religiosorum non esse necessaria; sive in receptione ad professiooem non esse decisiva, sed tantùm consultiva; ita ut posita idoneitate, & habilitate, possit Prælatus Novitium, qui in religione annum probationis legitimè implevit, ad professionem admittere etiam renitentibus religiosis. Ita enim tenet Panormitanus *in cap. finali de regularibus l. 6.* Navarrus *Comment. 3. de regularibus n. 5.* Sylvester *V. Religio 3. n. 13.* citaturque textus Regulæ S. Benedicti c. 3. ubi de Abbate dicitur: *Et audiens consilium fratrum, tractet apud se, & quod utilius judicaverit faciat.* Ubi expositores regulæ communiter dicuot suffragia monachorum, Abbati consultiva esse, non decisiva. Ut habet Antonius Perez ibi *n. 4.* Et hanc esse quoad jus commune sententiam communem, plurimis citatis auctoribus, probat Sanctorius *in commentariis ad statuta fratrum minorum.* Tamburinos *de jure Abbatum Tom. 3. disp. 6. quæst. num. 5. & 6.*

Panormitanus. — Navar. — Cap. 3. Regul. S. Bened. — Anton. Perez. — Sanctor. — Tambur.

Cujus conventus religiosorum vota requirantur ad Profess. Novitii.

Respondeo Secundò, etsi vota religiosorum decisiva essent (quod multi probabilius negant) ad novitiorum tamen professiouem, non esse necessaria vota religiosorum monasterii, cui novitius per professionem incorporatur, sive cujus filius fit: sed tantùm requiri suffragia eorum qui probandis novitiis intendunt; sive, qui in loco novitiatus sunt. Unde si superior, vel Abbas juxta constitutiones Clementis VIII. & mandatum Vrbani VIII. locum aliquem, sive monasterium, sive præposituram constituat, ad novitios probandos: sufficit, ut qui in loco illo positi sunt ad novitios probandos, suffragia de eorum idoneitate ferant: Quod & praxis docet. Cum pro una Provincia uous novitiatus ponitur, ad quem singula monasteria, suos novitios pro suo monasterio probandos mittunt: Illorum est enim qui ibi habitant suffragia ferre, non religiosorum qui in monasterio ad quod vel pro quo instituuntur habitant: Cum suffragium illud solam idoneitatem spectet. Videnda est constitutio Clementis VIII. super hujusmodi locis & novitiatibus; potest, autem Prælatus viros, & personas reformatas in loco novitiatus ponere, & instructores aliunde ex reformatis domibus adsciscere, quorum operâ novitii probantur.

Praxis.

Praxis totius Germaniæ.

Et hæc Praxis Germaniæ totius hactenùs fuit, ut ad monasteria illa nobilium (quorum ut plurimum Abbates Principes Imperii sunt) ex reformatis monasteriis religiosi quærerentur, qui restaurationi observantiæ regularis vacarent, & hoc solo à cæteris distinguerentur, quod ad dignitates monasterii votum passivum non haberent.

CASUS II.

Seu, consultatio de auctoritate Prælatorum ordinis Præmonstratensis, ad amovendos subditos administratores parochialium beneficiorum.

Quæritur.

An Prælati ordinis Præmonstratensis possint exigente rationabili causa removere aut revocare regulares sibi subditos, cum in beneficiis curatis, sive parochialibus monasteriis sibi subjectis, sive unitis, in administratores legitimè instituti sunt ab Episcopis, absque Episcoporum consensu?

Resolutio 1.

Sub quo onere debeant regularibus concedi beneficia parochialia.

JVre communi beneficia parochialia monasteriis subjecta sive unita, regularibus in administrationem non possunt concedi, nisi sub onere quod à superioribus aut revocari aut amoveri aliqua ratione exigente valeant. Ita præcipitur *c. Cum ad monasterium de statu monachorum & canonicorum regularium*, in quo universaliter prohibetur: *Ne alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda tamquam in sua sibi vita locetur, sed cum oportuerit amoveri sine contradictione qualibet revocetur.*

Cap. cum ad monasterium.

Constat autem administrationem beneficii parochialis monasterio regulari annexi cum suscipitur à regulari, non nisi sub obedientiâ suscipi, sive ad obedientiam pertinere.

Tales cur vocentur obedientiarii rectores.

Quod in titulo sive summario *c. 1. l. 1. Clement. tit. 5. de supplenda negligentia prælatorum §. præmissa.* manifestè exprimitur; dum regulares sic ad parochialium Ecclesiarum monasteriis unitarum administrationem assumpti, vocantur ad distinctionem aliorum *obedientiarii rectores.*

Concil. Vienn.

Et in textu, ubi dedit auctoritatem Episcopis providendi de dictis beneficiis (quæ per solos religiosos administrari solent) per religiosos etiam non præsentatos, si Prælati fuerint negligentes in providendo; sic *Concilium Viennense* loquitur: *Præmissa verò de prioritatibus, Ecclesiis, administrationibus, & beneficiis intelligimus quæ non sunt de mensa Prælatorum*

ipsorum : sed speciales priores, seu administratores, seu rectores solent habere : licet priores seu administratores hujusmodi liberè possint ad claustrum (cum oportuerit) revocari. Vide Thomam Sanchez *tom. 2. l. 7. c. 29. n. 110. & seq.* Ubi ex pluribus auctoribus ostendit etiam particulam (*cum oportuerit*) in utroque textu positam honestatem solam importare, non verò causam usquequaque legitimam.

Thom. Sanchez. Particula *cum oportuerit.* *Quid importet.*

Infert autem Sanchez regularem subditum sic amotum, non posse contra Abbatem reclamare, neque pacificam triennalem possessionem, neque spoliationem allegare, & consequenter petere in pristinam possessionem restitui: *Quia* (inquit Sanchez *sup. n. 114.*) *ea est beneficiorum regularium natura, ut possint ad nutum superioris revocari.* Et *n. 115.* *Quia* (inquit) *Abbas spoliando nullam irrogavit injuriam, sed usus est jure suo.* Vide Sanchez ibi qui plurimos auctores allegat. Et hæc est communis doctorum sententia, qui Primò asserunt regularia beneficia non esse propriè beneficia respectu regularis ea administrantis, sed tantùm secundum quid, non ratione tituli (quem sui monasterii, ut vicarii ejus, gerunt) sed defectu perpetuitatis & veræ possessionis, quia sub obedientia, & ad nutum Prælatorum pnri administratores sunt nomine sui monasterii instituti, monasterio enim beneficium per se unitum & incorporatum est, cujus est de administratore regulari providere: Et institutio quam facit Episcopus in persona regularis præsentati, nec collatio est propriè dicta (quia monasterium perpetuam collationem sibi per unionem immutabiliter factam obtinet, cum monasterium non moriatur) nec institutio terminatur ad personam regularis sic instituti, sed tantùm in quantùm nomine monasterii titulum & administrationem & vicariatum suscipit: Unde & à Greg. 13. *in bulla quæ incipit. Quam grata, data 24. May anno 1578.* Bulla 16. in Bullar. Roderig. in ordine præmonstratensi hujusmodi parochialia beneficia sic monasteriis unita, *parochiales vicaria* vocantur.

Sic amotus non potest contra Abbatem reclamare, &c. Sanchez. *Non sunt propriè beneficia respectu regularis administrantis.* *Nec institutio facta ab Episc. collatio propriè dicta.* Greg. 13. *Vocantur parochiales vicaria.*

Secundò. Doctores communiter vocant hujusmodi beneficia regularibus sic annexa & coocredita *manualia*, quia ad dispositionem prælatorum pertinent, sive ut relinquantur, sive ut revocentur aut amoveantur. Vide latè super his Emanuelem Roderigues *Tit. 1. qq. Reg. q. 34. a. 2.* Thomam Sanchez *sup. num. 104. & seqq.*

Item beneficia manualia. Roderig. Sanchez.

Unde ad hanc quæstionem impertinens videtur distinctio allata à Leonardo Lessio *l. 2. c. 41. dub. 12.* quam sequitur Sanchez supra *n. 119.* de beneficio parochiali monasterio subjecto *pleno jure*, vel *non pleno jure*. Si enim verè subjectum & unitum monasterio est & à regulari administrandum, non nisi intemeratâ ad prælatos regulares obedientiâ quam voverunt, unitum fuisse censetur; ita ut regularis ad ejus administrationem deputatus possit exigente ratione revocari. *Alioquin enim* (ut ait idem Lessius loco supracitato) *hujusmodi annexiones essent valdè damnosa monasteriis, & daretur religiosis beneficiariis occasio dissolutioris vita.*

Distinctio Lessii videtur impertinens. Lessius.

Nec magis ad rem pertinet exemplum à Lessio allatum: Quando Abbas non potest conferre, sed tantùm præsentare unum ex suis religiosis, & institutio fieri debeat ab Episcopo (præterquam enim quod supra notavimus collationem in annexione esse factam, & institutionem regularis respicere tantùm illum tanquam vicarium, monasterii nomine administrantem) certum est quod institutio regularis ad beneficium regulare sive monasterio unitum, non fiat nisi sub obedientia prælato debita, & secundùm naturam beneficii regularis, quod est *manuale & amovibile.* Vide Aloysium Riccium *in praxi rerum quotidianarum tit. Praxis beneficialis Resolut. 334. n. 1. & 2.*

Et exemplum ab eo allatum. Riccius.

Resolutio 2.

JUre & privilegio speciali non obstantibus quibuscumque, pontifices concesserunt omnibus prælatis ordinis Præmonstratensis, ut possint quoties libuerit suos regulares administrationi parochialium Ecclesiarum monasteriis unitarum, sic ut dictum est, præfectos revocare, & amovere, & alios præsentare eorum loco Episcopis, quos idoneos repertos Episcopi teneantur admittere, & instituere. Causas verò exemplificant, vel in utilitatem monasterii, vel in bonum & spiritualem profectum religiosi, vel in ejus correctioоem & emendationem.

Prælati possunt illos administratores pro libitu amovere.

Clari sunt textus Honorii 3. Nicolai 4. Joannis 23. Sixti 4. in bulla quæ incipit. *Quoties a nobis petitur. data Roma anno 1475. Pontificatus anno 4.* in qua cum querimonias Prælatorum ordinis Præmonstratensis proposuisset, quibus conquerebantur. Primò, quod Regulares Canonici prædicti ordinis ad administrationem beneficiorum parochialium monasteriis unitorum ab ipsis Prælatis præsentati, & ab Episcopis instituti, nollent cum revocarentur suis Prælatis obedire, sub prætextu quod per hujusmodi Episcoporum institutio-

Diversi Pontifices. *Querimonia Prælatorum.*

tutionem, exempti à suis Prælatis essent, & obedientiæ Episcoporum subjecti.

Secundò. Quod Episcopi dictis regularibus amotis, nollent alios in amotorum locum substituere: respondet pontifex, confirmans decretum Joanis 23. Prælatos posse dictos regulares revocare, & amovere, & Episcopos teneri alios loco illorum præsentatos instituere, si idonei reperiantur, non obstantibus quibuscumque. Verba

Sixtus 4. Sixti IV. quia energica sunt & rationem decreti adferunt subijcio: *Nos igitur* (inquit) *attendentes quod obedientia melior est quam victima, quodque nihil adimit, sed multum adjicit suæ libertati qui se divina & suorum superiorum subjicit voluntati, hujusmodi supplicationibus inclinati, ipsis Abbatibus, Prioribus, Præpositis & Prælatis pro tempore existentibus, & conventibus, quod eosdem Canonicos præsentatos & institutos & quos imposterum perpetuis futuris temporibus præsentari & institui contigerit, ad claustrum revocare, vel alias amovere, & loco ipsorum alios idoneos canonicos ipsorum monasteriorum seu locorum, ad regendum Ecclesias præfatas ipsis ordinarijs præsentare possint ut præfertur; ipsique ordinarij aliquo ipsis præsentato, &c. prædictis Ecclesijs (ex quibus dicti alij canonici revocati seu abeis amoti fuerint) instituere absque difficultate qualibet teneantur, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus. Decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus*, &c. Quæ privilegia

Confirmatio per Grego. 13. confirmata sunt à Gregorió 13. in Bulla quæ incipit. *Romanus, pontifex data 1572. pontificatus anno primò*, & singulariter in Bulla quæ incipit: *Quam grata. anno 1578. 24. Maij. pontificatus anno 6.*

Resolutio. 3

Non est illis juribus derogatum per Trident.

His juribus nequaquam derogatum hactenus fuit, nequidem per Concilium Tridentinum.

Primò. Quia Concilium Tridentinum *sess. 25. de regularibus c. 11.* supponit: aliquos *etiam ad nutum amovibiles* prælatis regularibus hujusmodi beneficijs monasterijs annexis deputari solitos, quod non improbat.

Secundò. In hujusmodi deputatis tantùm ad eorum institutionem requirit, ut de Episcopi *consensu & prævio examine deputentur.*

Conc. Trident. Tertiò. Ut regulares hujusmodi *curam animarum exercentes subsint immediate in ijs qua ad dictam curam & Sacramentorum administrationem pertinent jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus diœcesi beneficia sunt sita.* Quod intelligendum, quamdiu dictam curam exercent & revocati non sunt à suis prælatis, cum enim à superioribus revocantur, jam cessant exercere curam animarum, nec ampliùs jurisdictioni præfatæ subsunt. Unde declaratio cardinalium concilij interpretum citata à Gallemart ad hæc verba concilij, *jurisdictioni visitationi*, &c. Sic loquitur: *Episcopus habet jus visitandi parochiam sitam in sua diœcesi in ijs quæ spectant ad curam animarum, licet dicta parochia sit sub cura canonicorum regularium, vicariumque ex ipsis canonicis regularibus ab eorum superioribus nominatum, & prævio examine per Episcopum ipsum vel ejus vicarium faciendo, idoneum & approbatum (ad nutum tamen hujus superioris amovibilem) deputare debet non obstantibus quibuscumque.* *declaratio cardinal.*

Ex qua interpretatione manifestum est nihil circa potestatem amovendi aut revocandi suos regulares Parochiarum administratores, pro superioribus regularibus fuisse per concilium immutatum aut decretum: nihilque super revocationibus fuisse Episcopis attributum.

Resolutio 4.

AD revocationem regularium parochorum à suis parochijs monasterijs annexis aut eorum amotionem, præter auctoritatem prælati regularis, nullus requiritur consensus Episcopi. *Ad dictam amotionem non requiritur consensus Episcopi.*

Ratio est: quia nec jus commune, nec particulare, sive privilegium hujusmodi consensus ullam facit mentionem, sed revocationes & amotiones relinquit potestati & libertati regularium prælatorum, ut in superioribus visum est: nec Concilium Tridentinum aliquid vel à limine tetigit de consensu illo, quamvis de admittendis *ad nutum amovibilibus* cætera decreverit.

Quinimò cum amotiones frequenter debeant fieri ob delicta in sola vita regulari & moribus, & non in Sacramentorum administratione, talis amotio nil ad Episcopi jurisdictionem spectare constat.

Quod si ob delicta in administratione Sacramentorum regularis ille revocaretur aut amoveretur, non potest quidem Episcopus non congaudere & consentire: potest tamen ulterius petere condignam pœnam regulari infligi, & certior de illa *Quid si fiat ob delicta in administratione Sacramentorum.*

inflicta reddi, prout Concilium Tridentinum decernit.

CASUS III.

De successione Ordinis Præmonstratensis in bona suorum pastorum, dum in pastoratibus moriuntur.

Proponitur casus.

PAstore religioso ordinis canonicorum regularium Præmonstratensium deserviente pastoratui unito suo monasterio, mortuo (ut loquuntur) *ab intestato*, orta est lis inter Episcopum & Abbatem: Episcopo asserente supellectilem quam acquisivit in pastoratu ad se pertinere jure communi, quo supellex pastorum decedentium *ab intestato*, in dispositionem Episcopi transit; ut habetur *tit. de success. ab intestato cap.* 1. & 2. E contra Abbate asserente supellectilem esse monasterij, communi etiam jure; quo, *Quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio.*

Quæritur,

Ad quem pertineant mobilia, & supellex defuncti; an ad Abbatem? an ad Episcopum?

Resolutio prima.

REsp. primò. Non pertinere ad Episcopum:

Jurisdictio Episcopi in similes pastores.

Ratio prima est: quia in Ecclesias monasterijs unitas, & regulares ijsdem deservientes Episcopus non habet ullam jurisdictionem temporalem, sed tantùm spiritualem in ijs quæ ad curam animarum, & Sacramentorum administrationem pertinét, ut de examine faciendo, de idoneitate eorum qui præficiuntur ejusmodi beneficijs & pastoratibus. Ita Conc. Trident. *sess.* 25. *cap.* 11. *de regular.* his verbis: *personæ tam regulares, quam sæculares ejusmodi curam exercentes subsint immediate in ijs quæ ad dictam curam & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus diœcesi sunt sita.*

Conc. Trident.

Quod jus Conc. Trident. clarius explicans Pius V. in sua constitutione *data* 12. *Septemb. an.* 1571. *Pont. anno* 6. quæ incipit: *Exposcit*, &c. addit particulam *dumtaxat: in his tamen* (inquit) *dumtaxat quæ animarum curam illiusque exercitium, & Sacramentorum administrationem respiciunt.* Quam constitutionem confirmavit Clemens VIII. *die* 27. *Junij.* 1592. Quod antea Alexander V. pro ordine Præmonstratensi declaraverat in quadam constitutione innovata & confirmata à Gregor XIII. quæ incipit: *Quæ à nobis* data Romæ anno 1578. Nonis Maij pont. an 6. cujus sunt verba: *Nos* (inquit) *ad omne ambiguitatis tollendum dubium in præmissis, quod ipsi canonici qui curam exercebunt, & Ecclesias, seu loca hujusmodi regent pro tempore diœcesanis, & alijs locorum ordinarijs hujusmodi cura animarum dumtaxat subesse*, &c. *declaramus.* Et Honorius III. in Bulla similiter à Gregorio XIII. innovata, ut supra, sic loquitur: *in parochialibus autem Ecclesijs quas habetis, liceat vobis quatuor aut tres de canonicis vestris ad minus ponere, quorum unus diœcesano Episcopo præsentetur, & ei curam animarum committat, ita tamen quod ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant respondere.*

Pius V.

Clemens VIII.

Alexander V.

Honorius III.

Si igitur temporalem jurisdictionem non habeat Episcopus in personam regularem beneficio monasterio unito deservientem; ergò multò minùs in ejus supellectilem & temporalia bona.

Illa bona non pertinuerunt ad defunctum.

Ratio secunda & à priori est: quia supellex & mobilia quæcumque, quæ prætendunt fuisse pastoris religiosi defuncti, nullatenus nec ullo unquam tempore pertinuerunt ad illum, utique vi voti incapacem omnis dominij, possessionis, proprietatis & usus *juris*; cui in particulari ex ratione voti solus simplex *facti* usus competebat: ergo Episcopus in illa aliquid juris prætendere non potest, cum vere à parte rei non sint bona, nec supellex pastoris; sed supellex & bona monasterii. cujus est religiosus. Sic enim decernit Conc. Trident. *Sess.* 25. *cap.* 2. *de regular.* ubi sic habetur: *Nemini regularium tam virorum quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, & quovis modo ab ijs acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere vel tenere, sed statim ea superiori, conventuique incorporentur.*

Conc. Trident.

Quæ acquisivit, monasterio acquisivit.

Ex quibus verbis constat, statim ab acquisitione quidquid acquirit monachus, incorporari monasterio, & esse monasterio acquisitum: ergo in illa nullum jus habet Episcopus.

Per adeptionem beneficii non fuit factus liber.

Nec valet quod forte dici potest, personas, per adeptionem beneficij sic monasterijs uniti, esse quasi liberas factas & emancipatas; ita ut quæ acquirunt, sibi & Ecclesiæ acquirant: hoc, inquam, dici non potest. Primò, quia dicti regulares, maximè Præmonstratenses, ad beneficia monasterijs unita designati, tantùm *vicarij* sunt monasteriorum, penes quæ residet posses-sio

sio beneficii; unde & ad nutum dicuntur amovibiles, &c. ut in superiori casu latius probatum est.

Cap. cum ad monasterium. Et cap. *Cum ad monasterium. De statu monachorum*, &c. ad finem claris verbis dicitur. *Quod abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere.* Atqui assumptus ad pastoratum, maximè unitum monasterio, manet semper regularis & monachus: ergò nihil potest proprium possidere: ergo Episcopus non potest quidquam prætendere, cum nil ad pastorem regularem defunctum pertinuerit; unde nullus regularis ab obedientia sui prælati ratione alicujus beneficij eximitur, aut emancipatur, nisi ad Episcopatum, aut supremas illas dignitates assumatur, aut ab Apostolica sede de plenitudine potestatis exemptionem acciplat.

Assumpti ad Episcopatum quæ restituere tenentur monasterio. Cap. statutum. Quinimò etiam illi qui ad Episcopatum assumuntur omnia quæ quovis modo acquisiverunt ante consecrationem, debent restituere monasterio, ut expressè decernitur 18. *quæst.* 1. *cap. statutum est.* Unde nec sine obedientia superiorum possunt religiosi aliquod onus suscipere; & toties quoties revocantur obligantur redire. Ita expressè Concil. Trident. *Sess. 25. de regular. cap. 4 prohibet sancta Sinodus, ne quis regularis,* (*Conc. Trident.*) *sine sui superioris licentia, prædicationis, vel lectionis, aut cujusvis pij operis prætextu, subijciat se obsequio alicujus prælati, principis, vel universitatis, vel communitatis, aut alterius cujuscumque personæ seu loci, neque ei aliquod privilegium aut facultas ab alijs super id obtenta, suffragetur. Quod si contra fecerit, tamquam inobediens, arbitrio superioris puniatur.*

Tales semper manent regulares. Ex quibus omnibus constat regulares beneficium parochiale obtinentes remanere semper regulares, cum non nisi sub obedientia superiorum beneficium adeant, beneficio deserviant, teneanturque revocati redire: adeoque quidquid acquirunt, cum incapaces sint omnis juris, in jus monasterij transire, quod solum in communi possidere potest.

Resolutio secunda.

Pertinent illa bona ad monasterium defuncti. RESP. secundò, supellex & bona quæcumque à pastore religioso, Ecclesiæ monasterio unitæ serviente, quovis modo legitimè acquisita, ipso mortuo pertinent ad monasterium. Hæc conclusio & responsio satis ex superioribus colligitur, cum enim juxta Conc. Trident. *sup. c.* 2. omnia à monacho acquisita, hoc ipso incorporentur monasterio, & ipse omnis juris & possessionis sit incapax, consequenter & supellex & omnia mobilia ad monasterium pertinebunt.

Hanc resolutionem apertè docet declaratio publica Romæ *die* 28. *Septemb.* 1597. (*Navarr.*) per Pium V. quam refert Navarr. *in comm. de spoliu cleric.* §. 8. Ubi cum decerneret spolia clericorum pertinere ad cameram Apostolicam, excipit à nomine spoliorum, quæ a regularibus ex beneficio, donatione, aut alijs legitimis titulis acquisita fuerunt; sive ad usum, & cultum divinum etiam in eorum privatis ædibus & capellis, vel oratorijs destinata, etiam tempore *obitus ab intestato* relicta: *Nec* (inquit) *sub appellatione spoliorum veniant, sed ad singulas Ecclesias, monasteria etiam conventu carentia & beneficia hujusmodi in quibus resederint, aut quibus præfuerint, seu quæ alias obtinuerint, omninò spectent, & pertineant, ac spectare & pertinere, illaque post eorum obitum ijsdem Ecclesijs, monasterijs, & beneficijs,* &c. *eo ipso applicata & incorporata sint & esse censeantur. Ita quod liceat, illis defunctis, in ijsdem Ecclesijs, monasterijs & beneficijs, successoribus Ecclesiarum & monasteriorum hujusmodi capitulis, & conventibus respectivè, illa propria authoritate liberè apprehendere, ac eorum Ecclesiis & sacristijs applicare & incorporare.* (*Declaratio Pij V.*) Et infra: *Quin imò res sacras, ac omnia bona prædicta, quocumque nomine vel titulo, pro tempore detinentes, ad illa Ecclesijs & monasterijs ac beneficijs per defunctos quomodolibet acquisita, ut præfertur, juxta præsentium tenorem, realiter & cum effectu restituendum & consignandum,* &c. vide apud Stephanum Quaranta. *Tit. spolia clericorum* (*Stephan. Quaranta.*) Nec dici potest quod quæ ex fructibus beneficij acquisita sunt, Ecclesiæ, non monasterio acquirantur, adeoque in dispositionem Episcopi devolvantur: cum enim Ecclesia sit unita monasterio, fructus beneficij ad monasterium pertinent virtute illius unionis. Ita declaravit Pius V. in constitut. quæ incipit: *Ad exequendum pastoralis officij debitum, data anno* 1567. *Calend. Novemb. & publicata* 15. *ejusdem mensis & anni.* Ubi assignata portione, quam debent habere vicarij qui deserviunt Ecclesijs, sicut prædicitur, unitis; declarat cæteros fructus deberi monasterijs. (*Acquisita ex fructibus beneficij etiam pertinent ad monasterium.*) *Considerantes* (inquit) *uniones ipsas ideò à prædecessoribus nostris factas esse, ut ex redditibus & emolumentis beneficiorum unitorum, Ecclesijs, monasterijs, collegijs, beneficijs & locis pijs, quibus illa uniuntur, facilius onera ijsdem incumbentia supportentur, & promptius à ministris Ecclesiasticis in ijsdem divina officia celebrantur, hospitalitas servetur, aliaque charitatis opera exerceantur, ac etiam ut* (*Pius V.*)

nihilominus cura animarum dictarum Parochiarum laudabiliter exerceatur. Unde ne monasteria fructibus privarentur, assignat ut portio vicariorum *non sit major centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum summa, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & alijs obventionibus communiter percipi solitis.* Ex quibus constat monasterio acquiri quod à vicario regulari in dictis Ecclesijs acquiritur.

Portio vicariorum.

Porrò super hac re claræ sunt constitutiones Præmonstratensibus concessæ, quarum præcipua est Julij II. *data Romæ 1512. decimo Calend. Octob. Pont. an. 9.* ad instantiam Caroli V. tunc Archi-Ducis Austriæ & Principis Hispaniarum, in qua tota difficultas tam quoad personas vicariorum, eorumque subjectionem, quàm quoad bona ab ijs acquisita resolvitur his verbis: *Nos igitur eosdem abbates, priores, &c. à quibusvis excommunicationibus absolventes, & absolutos esse censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati. Quod de cætero perpetuis futuris temporibus abbates, priores & alij prælati hujusmodi, quoties eis videbitur, canonicos præfatos à suis Ecclesiis, vicariis ac capellis amovere, & ad sua monasteria, prioratus & loca revocare, & loco eorum sic amotorum, alios canonicos idoneos dictorum monasteriorum, prioratuum & locorum ad eorum nutum amovibiles, ad regimen Ecclesiarum, vicariarum, capellarum & locorum eorumdem, ut & illis in divinis deserviatur, & animarum cura in eis quibus illa immineat exerceatur, deputare libere & licitè valeant: qui sic deputati, & alij pro tempore amoti præfatis abbatibus, prioribus & prælatis suis respectivè obedire teneantur; nec ab ipsorum abbatum, priorum & prælatorum obedientia ex prætextu quorumcumque privilegiorum & indultorum Apostolicorum eis & dicto ordini concessorum discedere ullatenus possint vel debeant. Quinimò ipsis abbatibus, prioribus & prælatis subjecti sint & esse censeantur. Quodque ipsorum canonicorum pro tempore decedentium bona quomodocumque, etiam ratione prædictarum Ecclesiarum, acquisita, ad monasteria, prioratus, & loca in quibus professi fuerint, pertinere debeant: ipsique decani Archi-Diaconi, & alii ordinarii, & officiales de dictis bonis nullatenus se intromittere possint seu debeant, authoritate Apostolica tenore præsentium statuimus & ordinamus. Nec non decanis, Archi-Diaconis & officialibus prædictis & quibusvis aliis personis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis & conditionis fuerint, ne de bonis canonicorum sic decedentium, directè vel indirectè quovis quæsito colore, se intromittere præsumant, sub excommunicationis, & aliis sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis, districtius inhibemus.*

Iulius II.

Ex quibus confirmantur resolutiones sive responsiones supra-positæ, & extra omnem quæstionem constituuntur.

CASUS IV.

De circariis sive provinciis ejusdem ordinis, ratione cujusdam brevis Apostolici.

SAnctiss. D. N. Urbanus VIII. informatus quòd ordo Præmonstratensis Abbate generali destitutus esset, per breve datum 8. *Martij* 1641. concessit: ut in circarijs sive provincijs in quibus jam adhuc actu existerent vicarij seu visitatores constituti à Capitulo generali ultimo, vel solo Abbate generali: illi (inquam) vicarii possent annuatim capitula indicere & celebrare, & circa regimen suæ provinciæ omnia intus & extra facere, quæ facere posset Pater Generalis, donec de Abbate generali legitime fuerit provisum. In provincijs vero, in quibus vicarij sive visitatores non extant, supradictâ facultatē indicendi & celebrandi capitulum provinciale concedit Abbati antiquioris monasterii, *de, & cum consilio duorum abbatum eiusdem provinciæ*, &c. In quo canonice eligatur vicarius permanens, cui & capitulo provinciali competat omnis potestas supra expressa, quæ duret ad beneplacitum S. Sedis, ut in brevi Apostolico pleniùs continetur.

Proponitur casus.

Contenta brevis sanctissimi Domini Urbani VIII.

Quia vero in ordine præfato singulæ circariæ provinciam non faciunt, sed plures circariæ in unam provinciam hactenus fuerunt sub unius vicarij regimine adunatæ, &c. Ex. g. Circaria Flandriæ Hanoniæ Floreffiensis, &c. constituunt unam provinciam quæ ab uno vicario fuit gubernata, & modo vicario seu visitatore destituta est.

Quæritur.

1. *An qualibet circaria possit virtute brevis Apostolici sibi vicarium seu visitatorem eligere?*

2. *An particularis circaria modo vicario destituta, sua auctoritate possit se à provincia cui fuit unita separare, & ad aliam provinciam sub alio vicario se transferre?*

Respon-

Reſponſio ad Primam.

Virtute illius non poteſt particularis circaria ſibi vicarium eligere, &c.

RESpondeo particularem circariam virtute brevis Apoſtolici non poſſe ſibi vicarium præficere, ſeu eligere, aut capitulum convocare. Ratio manifeſta eſt, quia Bulla tantùm valeat quantùm ſonat, nec plus concedit, quàm verba exprimunt: concedit autem dictam poteſtatem non circariæ in ſingulari, ſed provinciis ſeu circariis, quæ vel à ſede Apoſtolica, vel à capitulo, ſive Abbate generali in provinciam ſunt erectæ, ſivè quæ conſueverunt ab aliquo vicario regi, vel de facto reguntur, ut patet legenti breve, ſemper enim utitur nomine provinciæ, vel provinciarum, & ubi ſemel dixit *Circariarum* immediatè addit, ſeu *provinciarum*, ut oſtenderet ſe non de circariis ſingularibus loqui, ſed de illis quæ in provinciam fuerunt erectæ.

Ad quos id ſpectet.

Et hæc quidem ratio à priori demonſtratur, provincias enim conſtituere, & eis vicarios vel viſitatores præficere, vel ad ſedem Apoſtolicam, vel ad generales ordinum, & capitula generalia ſpectat, à quibus & juriſdictio ad regendas provincias emanere debet; & hinc provenit quod in ordine Præmonſtratenſi diverſæ circariæ in unam provinciam ſub uno vicario hactenus fuerint adunatæ, quam unionem non poteſt diſſolvere niſi ſuperior auctoritas quæ illam conſtituit, &c.

Hæc eſt praxis totius Eccleſiæ in provinciis, capitulis, & congregationibus erigendis; ut patet ex jure communi, & Concilio Tridentino *ſeſſione 25. de regularibus cap.* 8. Ubi modus erigendi congregationes & provinciæ exprimitur, ut ſufficiens numerus monaſteriorum affirmatur, decernitur. Provincia igitur ſi hoc modo non ſtabiliatur, non poteſt gaudere privilegiis provinciæ, ut ſunt electiones, capitulorum celebrationes, conſtitutiones, &c. Defectu legitimæ juriſdictionis, adeoque particulariſe iam circaria de jure communi ſibi privatâ auctoritate hæc jura & privilegia aſſumere nequit. Conc. Trident.

Reſponſio ad ſecundam.

Nec ſe in novam provinciã erigere.

EX dictis patet ſimiliter reſponſio ad ſecundam quæſtionem, non enim poteſt circaria ſe pro libitu & privata auctoritate nec in provinciam erigere, aut à provincia, cui unita eſt, ſeparare, aut ſe ad aliam transferre; hoc enim jus pertinet ad ſedem Apoſtolicam, vel ad capitulum, & Abbatem generalem; unde unione jam factâ, & provincia conſtituta, nec circaria, nec monaſterium aliquod, ſe ſua auctoritate ſeparare poteſt, ſine auctoritate ſpeciali ſedis Apoſtolicæ, vel capituli, & Abbatis generalis, quia juxta commune axioma juris, *ejuſdem eſt auctoritatis aliquid deſtruere, cujus fuit illud conſtituere.*

CASUS V.

De celebratione miſſarum in domo refugij à monachis ordinis S. Benedicti abſque licentia ſpeciali Epiſcopi.

Propoſitus caſus.

RElıgioſi monaſterii. N. Ordinis S. Benedicti habitantes extra civitatem N. habent domum refugij in dicta civitate, in qua domo eſt ſacellum ad celebrationem deputatum, etſi necdum in eo celebratum fuerit.

Quæritur

An religioſi illuc refugientes ratione belli, vel ex aliqua occaſione alia ibi remanentes poſſint ibidem celebrare miſſas, & divina abſque ſpeciali licentia Epiſcopi?

Ratio dubitandi ſumitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 22. *in decreto de obſervandis & evitandis in celebratione miſſarum*, ubi mandatur Epiſcopis: *Ne patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab iiſdem ordinariis deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc ſacrificium à ſæcularibus, aut regugularibus quibuſcumque peragi*, &c. Unde videtur oratorium illud ſaltem debere deſignari, & viſitari, ab eo licentia dari. Conc. Trident.

Reſponſio.

Poſſunt ibidem celebrare miſſas, & divina abſque licentia ſpeciali Epiſcopi.

REſpondeo nihilominus: Abbatem, & religioſos poſſe abſque alia Epiſcopi facultate in ſacello, & domo de qua ſupra, cum altari portatili miſſas celebrare, & divina.

Ratio eſt: primò quia illa domus non cenſetur privata, ſed communis, & rationem ſubit monaſterij.

Secundò. Quia cum ſacellum ad hoc ſit ædificatum, non cenſetur omninò extra Eccleſiam eſſe, quinimò eſt vere Eccleſia; & oratorium monaſterij: cum domus refugij ſubeat vicem monaſterij, & pro monaſterio ſumatur. Et ita docet *Ioannes de la Cruz*: *lib.* 2. *de privil. cap.* 5. *Dub.* 7. *Concl.* 2. Ioan. de la Cruz.

Concil. 2. §. *si objiciat.* Ubi dicit oratoria & altaria portatilia in infirmarijs & grangijs religiosorum erecta non censeri omnino extra Ecclesiam: Quantò magis domus refugij, quæ monasterij vices gerit? hanc etiam sententiam tenet Emanuel Rodergues *Tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 43. *art.* 4. & 5.

Rodertg.

Concessio Vrbani V. facta Ordini Cisterciensi.

Tertiò. Quia hoc expressis verbis concessum est per Urbanum V. Ordini Cisterciensi (cum quo communicat Ordo S. Benedicti in privilegijs) in Bulla quæ incipit, *sacra vestra religionis. data Avinione* 5. *Idus Octobris pontificatus anno* 2. In qua monachis refugientibus ob bellorum discrimina ad arces & fortalitia, permittit ibidem *in locis ad hoc congruis & honestis erigere altare portatile, super quo quamdiu ibidem occasione prædicta moram traxerint, singuli qui fuerint in Sacerdotio constituti, missas, & alia divina officia, etiam alta voce celebrare, cum debita reverentia & honore*, &c. Et hic includitur totus casus propositus.

Addo autem generaliter Abbatem & monachos S. Benedicti, posse in suis refugijs, quidquid possunt in monasterio suo, quoad ea quæ simpliciter à loco non dependent.

CASUS VI.

De privilegio aliquorum religiosorum administrandi Sacramenta custodibus refugij ad monasterium suum pertinentis.

Proponitur casus.

Religiosi cujusdam monasterij ex vi privilegij ordini concessi, solebant excipere confessiones custodum refugij cujusdam ad monasterium supradictum pertinentis: postea factum, quod vocaretur pastor, idque per longissimum tempus interruptè.

Quæritur.

Vtrum potuerit Pastor & Episcopus præscribere; vel utrum Sacramenta pœnitentia, Eucharistia, & extrema unctionis possint à religiosis prædictis de novo administrari? & quid faciendum sit, si Episcopus & pastor contradicant?

Si pastor fuerit vocatus ut ordinarius, qualiter longitudine temporis potuerit præscribere.

Ad hanc quæstionem dupliciter respondendum est; primò, vel enim vocatus est pastor, ut ordinarius loci, & personarum in loco existentium, ad Sacramenta ministranda; & hoc modo longitudine temporis contra privilegium, sivè exemptionem custodum istius refugij præscribere potuit, in quantum hujusmodi personas, sive custodes concernit; & hoc ex communi lege præscriptionum juris vel possessionis.

Respōsio illorum custodum tantum.

Dico (*in quantum hujusmodi personas, sive custodes concernit:*) qui scilicet in isto hospitio habitare consueverunt. Non enim derogatur, aut præscribitur contra privilegium ordinis, pro omnibus alijs locis, sivè refugiis, ac personis in illis habitantibus, etiamsi sub eadem parochia aliquod ex illis existeret. Prævaricatio enim & non usus privilegij in aliqua, vel aliquot domibus, imò & regionibus, non derogat privilegio, vel usui in alijs, qui eo utuntur.

Si non fuerit vocatus ut ordinarius, non potest præscribere.

Secundò, vel vocatus est Pastor, non ut ordinarius, sed ut idoneus, & approbatus minister in absentia ordinarij, vel alterius specialiter ab abbate delegati, sive etiam ut tacito consensu, & ex licentia eligendi ministrum Sacramentorum in absentia ordinarij sui, velut delegatus indirectâ delegatione; & hoc modo non potuit pastor longitudine temporis præscribere, quia hunc actum nō exercuit ut pastor proprius, sed ut delegatam jurisdictionem ab abbate, seu superiore directè, vel indirectè participans.

CASUS VII.

De privilegio ordinis Cisterciensis excipiendi confessiones familiarium, & famulorum suorum monasteriorum.

Proponitur casus.

Abbas quidam Cisterciensis Ordinis in Belgio deputavit Titium religiosum suum ad excipiendas confessiones familiarium & famulorum sui monasterij. Opponit sese Episcopus diœcesanus, & sustinet Abbatem in hoc nullam habere potestatem.

Quæritur.

Vtrum Abbas prædictus hoc non possit? quod si sic, quomodo Episcopo sit contradicenti occurrendum?

Non potest Episcopus, illum impedire.

Respondeo Episcopum diœcesanum nullatenus posse impedire, quo minus Titius à suo abbate deputatus ad excipiendas confessiones familiarium, seu famulorum in monasterio degentium, & eis actu inservientium, eas excipiat. Clarum est jus Concilij Tridentini *sess.* 24. *de reform. cap.* 11. Ubi clarè à jurisdictione Episcoporum eximuntur, & excipiuntur: Qui

Conc. Trident.

Qui (ait) *prædictis locis* (id est monasterijs, hospitalibus, collegijs) *aut militia actu serviunt, & intra eorum septa, ac domos resident, subque eorum obedientia* (nimirum domestica) *vivunt.* Et *seſſ. 25. cap. 11.* excipiuntur similiter personæ sæculares *quæ sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia*, ut eis regulares Sacramenta administrent absque dependentia à jurisdictione Episcopi. Unde cum ex privilegijs antiquis tam sibi, quam ex communicatione cum alijs ordinibus concessis possint Cistercienses famulis suis intra monasteriorum septa, sive etiam in domibus eorum habitantibus, & actu eis servientibus omnia Sacramenta Ecclesiastica administrare, & eos sepulturæ Ecclesiasticæ cum decesserint tradere, &c. His privilegijs nullatenus est derogatum per Concilium Tridentinum, sed in viridi suo vigore permanent. Vide Emanuelem Rodericum *Tom. 2. QQ. regularium Quæſt. 68. art. 1.* Ubi explicat etiam qui sint famuli & familiares, nec non continui commensales reputandi.

Eman. Roderig.

Ejusdem quædam opinio circa hoc improbatur.

Non est tamen audiendus Roderigues ibidem: ubi ait *Confessores non posse audire confessiones famulorum & familiarium, nisi religiosi confessores sint ab ordinario approbati*: Hoc enim est contra Conc. Tridene. & declarationem cardinalium *datam 30. Martij 1594.* In qua decernunt, posse *prælatos regulares sive aliorum religiosorum confessores absq[ue lic]entia Episcopi, confessiones eorum fa[mil]iarium qui sunt vere de familia, & continui commensales, non tamen illorum qui tantum deserviunt monasterijs audire*, &c. Vide declarationes ad *cap. 15. seſſ. 23.*

CASUS VIII.

An Ordo Cisterciensis teneatur dare decimas ex agris suis, & novalibus?

Casus Proponitur

MOnasterium N. Ordinis Cisterciensis, in parochia N. per villicum suum reduxit ad cultum pratum quoddam in dicta parochia, linoque sevit quod ab immemorabili tempore satum non fuit.

Quæritur.

Privilegia pontific.

An decimæ inde debeantur parocho, contra privilegia pontificum Bonifacij VIII. Martini V. Sixti IV. Pij II.

Pro resolutione clara in materia decimarum advertendum est primo, jure communi, omnia bona, speciali ratione non exempta, fuisse solutioni decimarum obnoxia, etiam monachorum, eo tempore quo monachi laici erant, & medij inter populum & clerum, & in omnibus, sicut & laici, subjecti regimini, curæ, & solicitudini clericorum. Cum enim à clericis, & Sacerdotibus, alimento spirituali universaliter pascerentur: jure optimo debebant omnium suorum prædiorum *, ac laborum decimas Sacerdotibus & pastoribus suis pendere: ut bene notat Miranda *in Manuali prælatorum Tom. 2. q. 49. a. 12.* ex Ostiensi *in C. dudum de decimis.* Et clare habetur *c. alia causa. 16. quæſt. 1.*

Olim monachi, dū laici erant solvebant decimas.

Miranda.

Ostien. *in c. dudum.*

Advertendum secundò, monachos postquam ad clerum adsciti sunt & presbyterio, ac officijs Ecclesiasticis honorati, à decimis præstandis de suis bonis fuisse jure communi exemptos: ita expresse habetur *16. q. 1. c. moderamine. & c. generaliter. & c. decimas.* Hæcque Apostolica declaratio potius, quàm privilegium, primum facta est à *Paschali Papa in Concilio Magociensi, alias Moguntinensi*; ut testatur Gratianus *in textu suo post caput de decimis 16. q. 1.* Ubi sic loquitur: *auctoritate* (inquit) *ejusdem concilij & Paschalis Papæ* (monachi decimas & primitias) *detinent: à quibus definitum est, ut monachi de proprijs prædijs decimas non persolvant.* Et citatus S. Greg. *in c. decimas*: ubi reddit causam cur decimæ à monachis & clericis communiter viventibus non debeant exegi: *cum* (inquit) *omne quod superest, in causis pijs ac religiosis erogandum sit, dicente Domino: quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Hæc vero ratio ex omnibus patrum & conciliorum dictis conflatur: quia postquam monachi ad clerum assumpti sunt cum altari deserviant, de altari vivere debent, & cum eorum bona Deo sint consecrata, eandem sortiuntur rationem cum Levitarum & Sacerdotum Ecclesiasticis bonis.

Postea ad clerū &c. adsciti, fuerunt exempti,

Cap. moderamine, &c.

Gratian.

S Gregor. *citatus in c. decimas.*

Advertendum tertiò, ob quæstiones diversas, & supervenientes contentiones, rem illam amplius, & successivè declaratam fuisse, & per specialia diplomata, Bullas, & privilegia concessa, ut constat ex Bullis Bonifacij 8. Martini 5. Sixti 4. Pij 2. His sic prænotatis pono resolutionem.

Privilegia pontific.

Resolutio.

REspondeo itaque primò, extrà omne dubium esse Ordinem Cisterciensem non teneri ad decimas persolvendas de agris suis; sive antiquæ culturæ, sive novalibus; sive per se & suos, illos colant, sive colonis alijs colendos tradant.

Ordo Cisterciens. non tenetur solvere decimas de agris suis,

* Hæc resolutio penitus irrefragabilis est ex pontificum Bullis. Singularis porrò Bulla est Bonifacij VIII. quæ incipit: *In Ecclesiæ fundamento. Data Laterani 15. Calendas Ian. pontif. anno octavo*, quæ refertur ab Emanuele Roderico *in bullario præfati pontificis Bulla II.* in qua prohibet ne quis exigat decimas à Cistercienſibus *de terris* (inquit) *vestris cultis & incultis ad ordinem vestrum spectantibus, quas aliis concessistis vel concederitis in posterum excolendas*, &c. Et ne quis dubitet de hujus Bullæ veritate: eandem Bullam de verbo ad verbum resumpsit, & denuo confirmavit Pius II. in Bulla quæ incipit: *Ex Apostolica sedis plenitudine. Data Mantuæ an. 1454. 7. Calen. Augusti pontif. anno 1.*

Bullar. Roderici. Bonifacius VIII. Pius II.

Clarissima etiam est Bulla Martini V. quæ incipit: *militanti Ecclesiæ. Data Romæ apud S. Mariam Majorem 9. calendas octob. pontif. an. 7.* In qua ob quæstionem subortam ex eo quod Innocentius III. concessisset ordini exemptionem à decimis in bonis, quæ ante Concilium Lateranense erant acquisita: declarat & de novo concedit, exemptionem *à præstatione* (inquit) *decimarum tam de possessionibus habitis ante & post concilium memoratum, quam de cæteris habendis: & tam de novalibus, sive ante, sive post concilium, hujusmodi acquisitis ac acquirendis, quæ propriis sumptibus excolunt seu excolent, quam alias quomodocumque vel qualitercumque excolantur: & etiam de illis possessionibus, de quibus aliquis hactenus percepit, nec non de hortis, virgultis, & piscationibus suis, & de suorum animalium nutrimentis* &c. Et ne quis iterum dubitet de veritate istius Bullæ: illam demum de verbo ad verbum reassumpsit & suæ Bullæ quæ incipit: *dispositione divina. Data Romæ apud S. Petrum anno Domini 1482. 6. calend. Octob. pontif. sui anno 12.* Sixtus IV. eamque singularibus clausulis confirmavit & observari mandavit.

Martin. V. Sixtus IV.

Quam Bullam Sixti IV. Julius II. cum altera Honorij tertij & Martini V. in Bulla quæ incipit: *provisionis nostræ. Data Romæ apud S. Petrum anno 1506. 6. calend. Iulij pontif. anno 3.* repetijt & denuo confirmavit.

Iulius II.

Animadvertendum porro est primò hæc privilegia, ut superius notavi, esse fundata in jure communi & exemptionibus ad statum Ecclesiasticum pertinentibus, ut habetur tota fere 16. q. 1. nam ut bene Greg. X. in Bulla quæ incipit: *In vestitu deaurato. Data Lugduni anno 1285. pontif. anno 4.* & subscripta à 13. cardinalibus per quam ab omni decimatione ordinem Cisterciensem eximit: *quid* (inquit) *opus est ea decimare, vel per partes exigere ad serviendum exinde Domino, quæ ipsius sunt servitiis totaliter deputata?* Igitur quemadmodum bona eo ipso quo Ecclesijs cedunt non decimantur, quia nimirum jam Ecclesiæ ministris ex eo quod Deo oblata sunt, cedunt; ita & quæ monasterijs sunt oblata, quæ eo ipso Dei ministris, Ecclesiæ & pauperibus dicata esse nemo ambigere potest.

Greg. X.

Animadvertendum secundo, privilegium exemptionis decimarum, non tam personale esse, quam reale & quasi bonis affixum, ut notat Emanuel Rodergues *tom. 2. qq Reg. q. 45. a. 4.* ideoque transire cum prædijs quibus affixum est ad colonos, ut ex præfatis Bullis constat, & latè ibidem deducit Roderigues qui alios allegat, & quem communiter doctores sequuntur: ut Miranda supracitatus, Portel. V. *decima*, & alij.

Roderig. Miranda. Portel.

Respondeo itaque secundò, & principaliter monasterium præfatum N. non teneri ad præstandam decimam de cultura prati de qua est quæstio. Ratio ex dictis sumenda est: quia eximitur totus Ordo Cisterciensis à præstatione decimarum etiam in novalibus & agris incultis, sive per suos, sive per colonos quomodocumque colantur, & Bullæ omnes supracitatæ non tantum ad abbates & monasteria virorum, sed etiam ad abbatissas & monasteria monialium ejusdem ordinis diriguntur.

Monasterium illud non tenetur ad præstandas decimas

CASUS IX.

De electione abbatis & juramento.

GUbernator N. & etiam abbas commendatarius monasterij N. à Rege Galliarum nominatus, aut alius quiscumque sine expresso ac speciali dicti Regis mandato, sed in virtute suarum respectivè qualitatum, gubernatoris scilicet, & abbatis, aut alterius hujusmodi tituli, intendunt prohibere religiosis N. habitantibus in territorio dictæ civitatis patria Regi catholico contributaria; ne in electione novi abbatis monasterij N. siti in urbe N. per commissarios præfati Regis catholici instituenda, sua dent suffragia aut verbo, aut scripto, aut quomodolibet aliter ad dictam electionem concurrere præsumant, sub pœna ejectionis eorumdem ex dicto territorio; unde sequeretur verosimiliter devastatio plurium villarum, aliaque enormis læsio præfati monasterij in bonis temporalibus. Insuper

Propon. tur casus.

per intendunt ijdem, qualitate quâ supra, urgere præfatos religiosos super præmissis ad juramentum præstandum. His positis.

Quæritur 1.

Vtrum in eventu simplicis huiusmodi prohibitionis possint prædicti religiosi, eo non obstante, suffragia sua per litteras aut alio modo commissarius transmittere & ad electionem concurrere?

Quæritur 2.

Vtrum in eventu requisitionis juramenti promissorij super præmissis, possint religiosi jurare, se ad electionem nullatenus concurrisse, mente subintelligendo aliquid aliud, & interim de facto per suffragia concurrere?

Quæritur 3.

Si prædicti religiosi prævidentes prohibitionem & exactionem juramenti hujusmodi futuram, suffragia sua ex nunc pro tunc transmiserint, utrum possint futuris temporibus dum urgebuntur, adhibitu restrictionibus jurare sese non concurrisse ad electionem?

Quæritur 4.

Quid in præmissis religiosi facere possint, aut quomodo se gerere debeant, accedente Regis Galliarum speciali & expresso mandato?

Quæritur 5.

Vtrum si religiosi prædicti possint secura conscientia in præmissis jurare, non teneantur id facere pro conservatione tam notabilium bonorum sui monasterij?

Resolutiones.

Electio abbatum ad quid pertinet. ADvertendum est primò, electiones abbatum pertinere ad libertatem & conservationem status monastici: quibus derogatum tamen ut plurimum est per nominationes & provisiones, quæ fiunt à principibus auctoritate speciali, & expressâ Apostolicæ Sedis; unde proprie electiones amplius non sunt, sed potius (quantumvis suffragia monachorum petantur) postulationes respectu monachorum dici debent. *Ejus libertati modo quo sit derogatum.*

Suffragia religiosor. Advertendum secundo, suffragia quæ petuntur à religiosis per commissarios Regum, & Principum, non pertinere proprie ad electiones, sed esse mera avisamenta& explicationes sentimentorum de qualitatibus personarum, ut postea Rex vel Princeps pro suo beneplacito disponat. Unde nec majori parti adhærent, quinimò sæpe alium ab eis qui suffragia habuerunt denominant. His prænotatis respondeo ut sequitur. *rum modo sunt tantum mera avisamenta.*

Ad primum: non tantum religiosos posse, sed etiam teneri suffragia sua per litteras aut alio modo transmittere, si non possint comparere. Ratio est: quia tenentur libertatem & conservationem status monastici pro suo modulo zelare. Ad quam saltem aliquid confert suffragiorum collatio, etsi canonica electio sit ablata. *possunt & tenentur religiosi sua suffragia transmittere.*

Ad secundum: posse libere jurare, se non concursuros, vel concurrisse ad electionem: quia vere electio proprie dicta, & juxta canones modo ablata est, nec ad illam suffragia concurrunt: nec principis nominatio est vere aut proprie dicta electio, nihilque commune habet cum ea quæ est canonum & Ecclesiæ, de qua electio abbatis intelligenda est. *Possunt jurare se non concurrisse ad electionem.*

Ad tertium eadem est responsio: possunt enim promittere, & postea jurare se non concurrisse ad electionem ratione supradicta, quia vere electio non est; sed nuda proprij judicij & sentimenti de personarum qualitate declaratio. *Possunt & promittere & postea jurare se non concurrisse.*

Ad quartum: patet similiter hæc responsio ex supradictis.

Ad quintum: tenentur omni modo religiosi conservare bonum religionis, & monasterij: unde quidquid licitum & efficax erit, etiam usque ad juramentum, tenentur in conscientia adhibere. *Tenentur adhibere quidquid licitum & efficax ad conserv. boni monasterij.*

Dixi (*quidquid licitum est, & efficax*) de licito jam superius dictum est: juramentum in illis terminis esse licitum; de efficacia, prudentiæ relinquitur.

CASUS X.

An mendicantibus Ordinibus possit ab Episcopis prohiberi, ne faciant processiones annuas ex permissione suorum prædecessorum institutas. item: an Episcopi possint suspendere omnes approbationes prædicatorum & confessariorum; nec non eos ad examen revocare?

REverendissimus Episcopus N. obtinuit responsionem sacræ congregationis Cardinalium, ad interrogationem *Propositum casus.*

Interrogatio Episcopi à S. Congreg.

& consultationem sequentis tenoris: *Eminentissimi & reverendissimi Domini: cum sæpe contingat in Ecclesia cathedrali. N. per illius decanum, & canonicos, poni stationem extraordinariam, & indici ac fieri processiones extra Ecclesiam, & circa illius ambitum, pro causa publica, & necessitatibus patriæ: quærit Episcopus N. An stationes & processiones hujusmodi comprehendantur sub dispositione cap. 6. sess. 25. de reformatione: ita ut nisi ipsius adhibito consilio & assensu celebrari possint.* &c.

Responsio S. Cong.

Responsio. Die 10. Martij 1635. *sacra congregatio cardinalium Concilij Tridentini interpretum censuit prædictas processiones absque auctoritate Episcopi haberi non posse.*

Prohibitiones factæ ab Episcopo.

In vim itaque hujusmodi responsionis, primò, prohibuit Episcopus ordinibus mendicantium, & Patribus Capucinis, *ne processiones extra suum conventum deinceps celebrarent, nisi petita & habita licentia S. Reverendissima P. Idque sub pœna juris*, ut continetur in scripto dato 4. Maij Anno 1636.

Secundò, idem mandatum renovans 17. Maij ejusdem anni: addit aliud decretum: *Quo sub comminatione censurarum prohibet omnibus concionatoribus dictorum ordinum, ne in civitate, aut extra (imo intra septa suorum conventuum) audeant concionari, absque ipsiusmet Episcopi licentia, juxta* (inquit) *decreta Concilij Tridentini sess. 5. cap. 2. & sess. 24. cap. 4. de reformatione.*

Quæritur

1. *An dictus Episcopus virtute præfatæ responsionis sibi factæ possit prohibere processiones annuas, ex permissione suorum prædecessorum institutas, & pluribus jam annis ipso sciente continuatas, quales pro avertenda peste, pro confraternitatibus, &c. Ordines mendicantium civitatis N. extra conventus suos per plateas publicas facere consueverunt?*

2. *An dictus Episcopus jure Concilij Tridentini possit suspendere absque causa juridica, approbationes prædicatorum & confessariorum factas à suis prædecessoribus, & consequenter prohibere eos qui approbati sunt à suis prædecessoribus per examen legitimum, ne in sua diœcesi prædicent, aut confessiones audiant?*

3. *An possit dictus Episcopus, sic legitimè, & juxta formam Concilij Tridentini examinatos & approbatos, ad examen revocare, & eos pro beneplacito reprobare?*

4. *An possit conciones intra septa conventuum mendicantibus prohibere?*

Respondeo ad primum.

Non potest prohibere processiones illas.

Episcopus virtute responsionis S. Congregationis sibi factæ, non potest pro suo beneplacito prohibere aut impedire processiones ordinarias de consensu suorum prædecessorum jam introductas pro confraternitatibus, & alijs legitimis causis, maximè cum plurium annorum tractu in consuetudinem abierint. Ratio est:

Responsio card.

Primò, quia responsio cardinalium tantum resolvit *non posse fieri prædictas processiones absque auctoritate Episcopi*; in illis autem processionibus quæ à mendicantibus jam plurium annorum continuatione introductæ sunt, populo per plateas publicas comitante, certum est intervenisse auctoritatem Episcoporum, neque enim eas in sua cathedrali civitate permisissent contra beneplacitum suum.

Secundò, quæsitum Reverendissimi Episcopi, & responsio sacræ congregationis tantum agunt de statione & processionibus extraordinarijs, quæ singulariter & pro uno actu indici solent. Hæ autem processiones, de quibus videtur orta controversia, à prima sua institutione sunt factæ ordinariæ, cum annuatim celebrari soleant.

Itaque cum auctoritate Episcopi in prima institutione sedentis dictæ processiones fuerint introductæ, & populus, sive etiam ordines mendicantium in possessione sint, ut annuatim fiant: Episcopus illas prohibere non potest, nisi allegatâ, probatâ & judicata, causa juridica propter quam abrogari deberent, aut reformari.

Responsio ad secundum.

Non potest pro suo libito suspendere approbationes illas.

Approbatio prædicatorum & confessariorum juxta formam Concilij Tridentini legitime per Episcopum diœcesanum pro sua diœcesi facta, est jure antiquo, & ex vi ejusdem Concilii perpetua, adeoque sic legitimè approbatum, nec Episcopus approbans, nec successor ejus suspendere, aut reprobare potest pro suo beneplacito. Ratio sumenda est ex textu ipsius sacri Concilij Tridentini, in quo nec verbum quidem reperitur quo hæc ipsis Episcopis potestas fiat; post legitimam scilicet approbationem, *Quæ* (juxta Theologos) *ipso actu transit in rem judicatam*: Approbatio enim prædicatorum & confessariorum juxta formam Concilij Tridentini facta, nihil est aliud quam: *Sententia juridica prævio examine de idoneitate*

Quid approbatio conf. & prædic. facta juxta formam Conc. Trident.

persona

personaꝫ facta. Approbatione itaque facta, jam Episcopus sententiam juridicam tulisse censetur super idoneitate, nec amplius habet quod circa regularem exemptum agat: illi enim sic ab Episcopo approbato, jurisdictio à S. Sede ad confessiones audiendas, & ad verbum Dei prædicandum confertur.

Approbatio facta est perpetua, & ex se irrevocabilis. Dixi itaque in resolutione, *approbationem*, ut sæpe dictum est, *legitime factam, jure antiquo, & ex vi Concilij Tridentini esse perpetuam*: cum enim Concilium Tridentinum nihil decernat quoad perpetuitatem approbationis, relinquit illam juri antiquo: jus vero antiquum voluit, ut approbatio absoluta regularium facta per Episcopum esset perpetua, & quantum est ex se, irrevocabilis: ut statutum est in Concilio Viennensi in clementina *dudum de sepulturis*, juri inserta §. *Iidem*, & explicat ac tenet Navarrus *in summa c. 27. n. 264. 265. 266.* *Clement. Dudum. Navar.*

Objectio. Objicies: potest qui modo approbatus est secundum formam Concilij Tridentini ut idoneus, fieri & deprehendi postea inidoneus, morbo aut aliquo impedimento supervenientе: imò propter aliquod crimen, vel scandalum; ergo tunc poterit Episcopus ipsum suspendere & reprobare.

Responsio. Respondeo: cum suspensio & reprobatio sint actus jurisdictionis coactivæ, illam proprie pertinere in regularibus exemptis ad suos prælatos regulares: deprehensâ igitur inidoneitate prius per Episcopum approbati, sive ex defectu, sive ex culpa oriatur, juxta ordinem juris etiam in varijs locis, & variis de causis in ipso Concilio Tridentino exemplificatis; Episcopus dictam inidoneitatem probatam, vel graviter suspectam regulari prælato insinuet, & mandet ut re bene examinata & deprehensa, illum omnino à prædicationibus, sive confessionibus suspendat & removeat, prout causa exegerit: prælatos autem regularis rei veritate comperta, tenetur hujusmodi inidoneum, aut alias indignum repertum suspendere & removere, & de eo Episcopum certum reddere: prout in simili de regularibus extra monasteria delinquentibus *sess. ultima de regularibus* C. 14. cavetur. Deficientibus verò in suo munere superioribus regularibus quoad hujusmodi, Episcopus respectu regularium exemptorum, delegatus S. Sedis Apostolicæ constituitur ut procedere possit. *Suspendere & reprobare, ad quos pertineat. Quid Episcopo faciendum, comperta inidoneitate alicujus regularis? Quid prælato regul. admonito ab Episcopo.*

Quid si prædicet errores, scandala, aut hæreses. In casu verò singulari quando prædicator, *Errores aut scandala disseminaret in populum (etiamsi in monasterio sui, vel alterius ordinis prædicet) Episcopus ei prædicationem interdicat. Quod si hæreses prædicaverit, contra eum secundum juris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat, etiamsi prædicator ipse generali, vel speciali privilegio exemptum se esse prætenderet. Quo casu Episcopus auctoritate Apostolica, & tamquam sedis Apostolicæ delegatus procedat. Curent autem Episcopi, ne quis prædicator, vel ex falsis informationibus, vel alias calumniosè vexetur.* Hæc Concilium Tridentinum *Sess. 5. de reform. cap. 2.* *Conc. Trident.*

Ex quibus omnibus infero Episcopum jure suo ordinario facta legitima approbatione exempti regularis, juxta formam Concilij Tridentini, nil amplius habere quod circa hujusmodi approbatum exerceat: quod si tamen querimoniæ juridicæ contra sic approbatum deferantur, in casibus in Concilio Tridentino non expressis, tenetur superiorem monere, ut juxta rationem causæ adversus eum procedat per suspensiones, & alia juris & facti remedia. In casu autem quo notorie superior regularis in judicio & correctione sive remedio deficeret: tunc demum tamquam delegatus Apostolicus (& non ordinaria auctoritate) procedere posset, prout in dicto Concilio Tridentino varijs locis exprimitur. *Deficiente superiore regul. quid possit Episcopus.*

Ex quo iterum infero: multo minus posse Episcopum generaliter suspendere omnes qui à suis prædecessoribus fuerant examinati, cum in manifestam suspicionem alicujus passionis adversus ordines seipsum præcipitet, nec possit de omnium idoneitate justè, aut rationabiliter dubitare. Sed de his plura in sequenti resolutione. *Suspensio generalis minus est licita.*

Responsio ad tertium.

NOn potest Episcopus jure antiquo, vel Concilij Tridentini regulares exemptos examinatos & approbatos juxta formam Concilij Tridentini sive à se, sive à prædecessoribus suis, iterum pro beneplacito ad examen revocare, aut etiam reprobare. Ratio iterum clara est: quia nec in jure antiquo, nec in Concilio Tridentino hujusmodi iterati examinis faciendi ulla fit mentio; imo unam præsentationem, & examen sufficere aperte docet Concilium Viennense, in clementina *dudum de sepulturis*: Nec est unum verbum in Concilio Tridentino, quod juri huic antiquo in aliquo deroget. Præterquam quod multis vexationibus, & injustis molestijs hujusmodi potestas revocandi alias approbatos legitime ad examen, viamque ampliſſi- *Non potest eos pro libitu suo ad examen revocare, aut reprobare. Clement. dudum.*

ampliſſimam ad turbationem Eccleſiæ aperiret.

Objectio. Pius V.

Dices, Pius V. in conſtitutione, quæ incipit, *Romani pontificis, data Anno* 1571. 8. *Idus Auguſti. pontificatus Anno* 6. contrarium decernit: *volumus tamen* (inquit) *eos qui ſemel ab Epiſcopo in civitate, & diœceſibus ſuis pravio examine approbati fuerint, ab eodem Epiſcopo iterum non examinari: ab Epiſcopo autem ſucceſſore, pro maiori conſcientia ſua quiete, examinari de novo poterunt.*

Reſponſio S. congregationis Cardin. ſine data.

Et ejuſdem tenoris paſſim fertur quædam reſponſio nomine ſacræ congregationis cardinalium, ſine data anni, vel menſis, ſub his verbis, *congregatio concilij cenſuit regulares ad audiendas in civitate vel diœceſi ſæcularium confeſſiones ſemel ab Epiſcopo prævio examine approbatos, iterum ab eodem Epiſcopo non eſſe examinandos. Cæterum à ſucceſſore poſſe utique examinari, juxta conſtitutionem S. memoria Pij V. datum 6. Idus Auguſti, pontificatus ſui anno 6. quæ à Fel. recordat. Gregorio XIII. non eſt revocata, per reductionem privilegiorum ad terminos Concilii Tridentini.*

Cõſtitutio Pij V. ſt revocata.

Reſp. primò, conſtitutionem illam Pij V. quæ incipit, *Romani pontificis* eſſe revocatam ſimul cum cæteris ejuſdem pontificis ſimilibus conſtitutionibus, & reductam ad terminos juris communis, & Concilij Tridentini, *ac ſi non emanaſſet*, per Gregorium XIII. in conſtitutione quæ incipit: *In tanta rerum & negotiorum mole. Data anno* 1573. *Kalendis Martij pontificatus anno primò.* In qua pontifex advertens infinita dubia & difficultates ex conſtitutionibus Pij V. concernentibus privilegia, & facultates mendicantium, exurgere, ſic univerſaliter ſtatuit: *Nos* (inquit) *hac tanta varietate cognita, quæ etiam ex multiplici litterarum & conſtitutionum editione procedit, præſentibus & futuris diſcriminibus occurrere volentes, de nobis attributa poteſtatis plenitudine ſtatuimus & ordinamus, de prædictis, & aliis omnibus litteris, & conſtitutionibus quæ ab eodem prædeceſſore* (ſcilicet Pio V.) *eiſdem de rebus pro quorumcumque regularium, etiam mendicantium ordinibus, & congregationibus quomodolibet emanarunt, ac omnibus & quibuſcumque in eis contentis, eam deinceps diſpoſitionem atque deciſionem pro ſubjecta materia futuram eſſe, quæ ſive ex jure veteri, ſive alias legitimè ante dictarum literarum & conſtitutionum editionem erat, & ſi ipſa non emanaſſent, futura fuiſſet, ad quam diſpoſitionem & deciſionem, ſuumque priſtinum & integrum ſtatum, ac terminum illa omnia reducimus: quin etiam tollimus & abrogamus, omnia irritantia, & alia decreta*, &c. Hæc pontifex.

Gregor. XIII. in conſtit. *In tanta rerum, &c.*

Ex quibus conſtat dictam conſtitutionem, quæ incipit, *Romani pontificis*, maximè comprehendi ſub hac revocatoria; tum quia difficultates, & caſus pro regularibus emergentes, & controverſos comprehendit, tum quia caſus ſpecialiter in hac Gregorij XIII. conſtitutione relatos continet, qui in nulla alia ejuſdem Pij V. conſtitutione comprehenduntur, ut eſt ille: *Quod Lectores Theologiæ graduati ad examen juxta Concilii Tridentini decreta teneantur, ſi approbari ad confeſſiones velint.* Addo Gregorium XIII. in conſtitutione quæ incipit: *Ex benigna Sedis Apoſtolicæ proviſione. data* 21. *Martij anno* 1575 *pontificatus anno* 3. confirmaſſe & innovaſſe omnia privilegia Fratribus minoribus antiquitus conceſſa (quatenus non ſunt contra Concilium Tridentinum) derogando ſpecialiter conſtitutionibus Pij V. in omnibus, quæ dictis privilegijs adverſantur.

Ex conſtit. Pij V.

Gregor. XIII.

Confirmatio privilegiorum frat. min.

Reſponſio ad declarat. S. congreg.

Reſp. ſecundò. Ad citatam declarationem congregationis, illam non tantum eſſe dubiæ fidei, ſed etiam apparere ſuppoſititiã & falſam. Primò, quia à diverſis authoribus in diverſis, & contrariis terminis citatur: ut notat Arnoldus Paludanus citans Navarrum, & Farinacium in libello *de Foro Animæ Quæſt. 6. Concluſ.* 4.

Illius variatio. Arnold. Paludan.

Secundò, quia aperte continet falſum: dicit enim conſtitutionem Pij V. *de data* 8. *Idus Auguſti pontificatus anno* 6. non eſſe revocatam per Gregorium XIII. nec reductam ad terminos juris communis: cujus contrarium conſtat ex ipſis verbis conſtitutionis, & caſu ſingulariter ex illa relato, prout ſupra immediate oſtenſum eſt,

Falſitates contenta in illa declarat.

Tertiò, alteram falſitatem continet, dum ait Gregorium XIII. per ſuam conſtitutionem reduxiſſe privilegia ad terminos juris communis, præter iſtam conſtitutionem Pij V. Cum contrarium ſit manifeſtum; non enim privilegia omnia ordinum mendicantium per conſtitutionem Gregorij XIII. quæ incipit, *in tanta*, &c. ſunt ad jus commune reducta, ſed ſimpliciter conſtitutiones Pij V. de hujuſmodi privilegijs & cauſis tractantes ſunt revocatæ, & ſpecialiter illa, prout ex caſu allegato probavimus.

Ex quibus omnibus patet nil ſupra repetitione, ſivè reiteratione examinis innovari, aut fieri poſſe, niſi quod jure antiquo & Concilij Tridentini fiebat: ex Concilio autem Tridentino non niſi unum examen colligi poteſt, ſicut nec ex jure antiquo, maximè ex clementina *dudum de ſepulturis* in Concilio Viennenſi edita, & in Conci-

Unum tantum examen ex Conc. Trident. & jure antiquo.

Concilio Lateranensi confirmata *Sess.* 11. per Bullam Leonis X. quæ incipit: *Dum intra.*

Objectio 2. Dices Secundò, Quomodò ergo satisfaciet Episcopus successor conscientiæ suæ, dum contingit illum dubitare de idoneitate prædicatorum & confessariorum à suis prædecessoribus admissorum?

Qui Episcopus satisfaciat conscientiæ. Resp. Ubi non est quærimonia, vel realis causa dubitandi, debet deponere dubium, non enim tam urgetur conscientiâ, quàm superfluo & parum charitativo timore, tenetur enim benè opinari de diligentia, & vigilantia prædecessorum, ac idoneitate personarum, quamdiù ei aliter non constat. Si verò quærimoniæ reales fiant, aut occurrat legitima ratio dubitandi de alicujus approbati idoneitate, potest cum ejus superiore agere, ut prudenter ab illo, vel ab aliis, ejus commissione, idoneitas personæ tentetur, & inquiratur, ac de competenti remedio provideatur.

Responsio ad Quartam.

Non potest prohibere conciones intra septa convent. Episcopus non potest prohibere regularem à proprio superiore admissum ne in Ecclesia sui ordinis, sive intra septa sui conventus prædicet, nisi in casibus quibus errores, scandala, vel hæreses disseminaret, &c. vel horâ quâ Episcopus prædicaret, aut coram se specialiter prædicari *Casus excepti. Clement. Dudum.* faceret, ut in Clementina *dudum de sepulturis*, exprimitur. Ita declaravit Pius V. in declaratione quadam factâ 23. *Septembris* 1571. *Pontificatus Anno 6. Declaramus* *Pius V. in quadam declaratione.* (ait) *Canonem Sess.* 24. *cap.* 4. *Concilij Tridentini per quem omnibus regularibus etiam in suorum ordinum Ecclesiis, contradicente Episcopo, prædicationis officium interdicitur, fratres hujusmodi* (id est, prædicatores) *quando à suis Generalibus, vel eorum Ministris Provincialibus ad id deputati fuerint, non comprehendere, neque eos afficere, imò volumus quod in earum Ecclesiis quando eis placeret, licitè absque ullo impedimento, vel contradictione, etiam Episcopi, nisi ipse prædicaret, licet in Ecclesia Cathedrali tunc prædicare possent.*

Illa declaratio quòdo fuerit in vigore. Et ne de valore declarationis altercatio fiat, illam in vigore fuisse Anno 1584. Pontif. Greg. XIII. Anno 12. constat ex litteris executorialibus litterarum Apostolicarum & privilegiorum ordinibus mendicantium concessorum Hieronymi Matthæi *Curia causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditoris, Romanæque curiæ judicis ordinarij*, in quibus dicta Pii V. declaratio executioni demandatur. Has refert Confestius *in collectione litterarum Apostolicarum sub Gregorio XIII. Constit.* 9. Confestius.

Qua approbatio requiratur in regulari ut in suis Ecclesiis prædicet. Et manendo in rigoroso jure Concilii Tridentini: Regulares ut in suorum ordinum Ecclesiis prædicent, tantùm debent esse examinati, & approbati à suis superioribus, & præsentati Episcopo, ut simpliciter *benedictionem accipiant*, ut *Sess.* 5. *cap.* 2. decernitur. Quod verò prohibetur *Sess.* 24. *cap.* 4. *ne contradicente Episcopo in Ecclesiis suorum ordinum prædicent*, hoc ad summum intelligendum est, quando legitimè & justè Episcopus contradiceret, in *In quibus casibus Episcopus justè contradicat.* casibus in ipso Concilio vel jure communi expressis, & non aliter: Nimirùm quando errores vel scandala disseminarent, *ut Sess.* 5. *cap.* 2. §. *Si verò*, continetur. Sic enim utraque Sessio concordari debet, juxta declarationem Pii V. supra allegatam, & juxta Clementinam *dudum*, sive decretum Concilii Viennensis, quod non est revocatum, nec in hoc aliquo modo immutatum.

Injusta contradictio, pro nulla habenda. Provisio Concil. Vien. Porrò voluntarias & minimè fundatas Episcoporum contradictiones pro nullis haberi, probat ipsius Concilii Viennensis provisio, in casu quo Episcopus sine justa causa regularem ad confessionis audiendæ munus præsentatum repelleret, *ut nimirùm ipsi recusati, hoc ipso à S. Sede censeantur approbati.* Quam provisionem etiam post Concilium Tridentinum in vigore permanere probat Navarrus *in summa cap.* 27. *Miscell.* 1. allegans multa exempla Navarrus. juris in simili: ut cap. *licet de regularibus.* Cap. licet de Regul. *Regularis petens licentiam transeundi ad strictiorem religionem, si ei sine justa causa negetur, habetur pro obtenta.* Et cap. 1. *de supplet. Prælatorum: Abbas qui petijt tertiò benedictionem ab Episcopo, si ei negetur, habetur pro benedicto. Vnde* (ait Navarrus) *Concilium Tridentinum non videtur voluisse derogare juri communi & conciliari D. Clementinæ dudum* §. *Si verò, neque Concilio Lateranensi Sess.* 11. *argumento dicti Solemnis Archidiaconi in cap.* 1. *de constit, lib.* 6. *quod requirit expressam derogationem Concilij ad hoc, ut ei censeatur derogatum. De quo latè Felinus in cap. Nonnulli de Rescript. Tum quia expedit jura concordare cap. Cum expediat de Elect. lib.* 6. *Et possumus hæc jura commodè concordare, dicendo quod Concilium Tridentinum limitetur per alia duo prædicta, ob rationem specialitatis, quæ colligitur ex eis: ad frænandam aliquorum Episcoporum duritiem, ut in dict. cap. de suppletione negligentiæ Prælatorum statuitur. Cum etiam posteriores leges limitentur per priores ff. de legibus.* Et sic contradictio Episcopi *Sess.* 24. *cap.* 5. expressa limitanda est juxta casus *Sess.* 5. *cap.* 2. Cap. 1. de Suppl. Prælat. Navarr. & alii citati ab ipso.

F 4 expres-

expressos: & juxta Concilium Viennense, & Lateranense suprà citata.

Resolutio Generalis.

Mendicantes debuerunt ab istis gravaminibus appellare.

EX dictis constat mandata Episcopi in superioribus omnibus casibus non subsistere, ideo mendicantes, non tantùm potuisse, sed etiam debuisse ab intentatis gravaminibus appellare.

CASUS XI.

De conventibus à quibus regulares mendicantes ab hæreticis oppida occupantibus fuerunt expulsi: & de eorum prædicationibus & stationibus in terminis & locis, in quibus ratione istorum conventuum solebant prædicare.

Proponitur Casus.

HOllandi hæretici oppida Belgii sub ditionibus Regis Catholici vi armorum occupantes, ut plurimùm ejecerunt ex illis, in odium fidei & religionis regulares mendicantes, specialiter Fratres minores. Corrigit autem ejectos ex uno oppido refugere in municipium quoddam, in quo prædicare solebant, ac ibidem, ad tempus hospitium sive refugii domum accipere, tum ut supellectilis reliquias quas ex suo conventu salvaverant, ibi conservarent; tum ut ibidem hospitarentur, donec aliter à superioribus de eis dispositum esset. Loci pastor timens ne hâc occasione conventum in illo municipio prætenderent, Primò, coegit illos per potestatem civilem loco cedere. Secundò, cum dicti regulares ad proximum sui ordinis conventum refugissent, & more consueto ad illud municipium, & loca antiquorum terminorum pro prædicationibus redirent; non tantùm eos à prædicationibus repulit, sed etiam à celebratione missarum in sua Ecclesia interdixit: quem secuti plures alii pastores, à prædicationibus eos pariter excluserunt.

Fundamentum eorum fuit: Quia destructo vel occupato conventu, omnia jura & privilegia, quæ ratione conventus obtinent, cessant & extinguuntur.

Quæritur.

1. *An licuerit dictis regularibus mendicantibus, sic ab hæreticis ejectis, absque speciali Regis, vel Reverendissimi Episcopi Diœcesani facultate, hospitium sive domum Refugii accipere in aliquo loco terminorum sui conventus?*

2. *An conventus regularium mendicantium, ejectis religiosis, ab hæreticis occupatus, aut etiam funditùs dirutus, censeatur extinctus?*

3. *Quæ jura & privilegia remaneant regularibus mendicantibus à suis conventibus ejectis; sive ab hæreticis occupentur, sive funditùs destruantur: Et penes quem illa jura & privilegia remaneant?*

Quoad 1. Quæstionem.

RAtio dubitandi est: Quia non licet regularibus domum novam regularem erigere: Jure quidem civili, absque facultate Principis: Jure autem Ecclesiastico, absque Ordinarii facultate; ut Tridentinum Concilium, & Pontifices Clemens VIII. Gregorius XV. & Urbanus VIII. decreverunt. Circa quod

Domus regularis quæ dicatur.

Advertendum, aliud esse domum regularem novam erigere: Aliud hospitium & domum refugii accipere: Domus enim regularis dicitur, in qua regulares conventualirer & capitulariter habitant, ac divina officia celebrant, &c.

Domus refugii quæ.

Hospitium autem & domus refugii dicitur: In qua ob necessitatem, vel causas aliquas legitimas regulares ad tempus, vel certis temporibus se subducunt.

Quæstionis 1. Resolutio prima.

Absque alia Regis vel Episc. licentia potuerunt sibi accipere domum refugii.

LIcuit regularibus mendicantibus, sic, ut dictum est, ab hæreticis ejectis, accipere hospitium, sive locum refugii ad tempus, in quocumque antiquorum suorum terminorum municipio vel pago, absque alia Regis, vel Reverendissimi Episcopi facultate. Ratio sumenda est ex jure primario naturali, ac jure gentium, quibus hucusque consensit omnis civilitas, ut nimirum qui sua domo absque culpa, magis si injuriâ expellitur, hospitium & alienum tectum quærere possit, & se, suaque salvare. Quod præclara similitudine explicat Franciscus Zypæus *l. 5. Consult. Canonicarum Consult. 5. Tit. de Privilegiis.* Ubi ad rem hanc loquens de Fratribus minoribus expulsis ab oppidis, in quibus conventus habebant. *In quibus* (inquit) *si quid violentum patiantur, cùm illis agendum est, sicut cum iis, qui in ruina, incendio, naufragio, res suas nolunt habere pro derelictu: ut dissiliente per tempestatem navi, unà etiam tabulis adhærere, ad littus tendere, ac in arena consistere possint, & quantùm ex rebus suis saltem possint colligere: Quos ne qui impediant, aut suis fru-*

Zypæus Consult. 5. ante finē.

frustrentur , gravibus pœnis est sancitum l.1.& toto titulo. D. de Incend. Ruin. & Naufrag. Quod jus habet Fiscus (inquit Constantinus l. 1. C. de Naufragio l. 11.) in aliena calamitate, ut in re tam luctuosa compendium sectetur , &c. Cur igitur negabitur viris Religiosis, quod cuicumque personæ miserabili in simili casu omni jure concessum est ? Nempe quærere hospitium, & alieno saltem recipi tecto?

Salgado, Clerici sunt pars populi, &c.

Huc accedit : quod (ut benè notat Salgado *Tract. de Regia protectione vi oppressorum Tom. 1. P. 1. Prælud. 2.*) Clerici tam regulares quam sæculares sint & reputari debeant , ut *Cives, pars populi , & membra reipublica temporalis* : eisque proportionaliter juxta suum statum deberi, & permitti quod civibus & membris reipublicæ debetur & permittitur: hoc autem communi sensu & consensu jure gentium permissum est , ut in violentia belli ad loca tutiora quisque se recipere possit, & expulsus injustè hospitium sibi quærere possit.

Ius gentiū in violentia belli.

De quibus novis locis agat ius Canoni. & Angelus.

Nec jus Canonicum aliquid in simili casu in contrarium decernit: unde expressè advertit Angelus *V. Loca* : Prohibitionem Ecclesiasticam de non capiendis novis locis à regularibus absque Episcoporum consensu, non intelligi de hospitiis & refugiis , sed de conventibus formatis capitulum constituentibus. Verba sunt ejus: *Et sic (ait) patet quod captio Casetarum , vel mutatio, quas mendicantes capiunt , ad habitandum ex transitu, vel pro infirmaria, & hujusmodi, non cadit sub ista prohibitione, sed solùm quando pro novo conventu, vel capitulo capiunt.* Hæc ille.

Ex his patet responsio ad rationem dubitandi : Neque enim hospitalia illa & domicilla , quæ accipiuntur in talibus eventibus, reputantur domus regulares, aut loca regularia, adeoque nec sub prohibitionem cadunt : sed ut dictum est omni homini jure poli & soli permittuntur.

Resolutio 2.

Qui procuravit ejectionem peccavit mort.
Matth. 25. v. 41 43 45
Ejus suspicio nō fuit fundata.

QUicumque ejectionem regularium in casu expositam procuravit , peccavit mortaliter. Res clara est ex sententia Christi : *Discedite à me maledicti in ignem æternum,* &c. *Hospes eram , & non collegistis me.* Quantò magis , hospes eram & ejecistis me ? & sequitur : *Quamdiu non fecistis uni de minoribus his , nec mihi fecistis.* Nec potuit , quisquis fuit , eum excusare phantasia, vel suspicio erigendæ in futurum domus regularis , cum enim hæc non possit fieri absque facultatibus debitis , & examine eorum quos res contingit , larvata fuit suspicio absque fundamento : & in calamitosis illis eventibus benignè sunt interpretandæ leges etiam contrariæ; si tales forent , axiomate generali : *Quodcumque pro charitate & bono communi sancitum est , contra charitatem & bonum commune non censetur militare.* Militat autem contra Christianam , imò humanam charitatem & bonum commune negatio hospitii , & multò magis ejectio ab hospitio in hoc casu.

Militat talis ejectio cōtra charitatem humanam.

Quoad 2. Quæstionem.

An conventus regularium mendicantium , ejectis religiosis , ab hæreticis occupatus , aut etiam funditus dirutus, censeatur extinctus?

Duplex destructio domus regularis.

ADvertendum est duplicem à doctoribus assignari conventus , sive domus regularis dissolutionem , sive etiam distroctionem : Alia enim est *juris* : Alia est tantummodò *facti*. *Dissolutio juris dicitur* : Quando auctoritate Principis, sive superiorum quorum interest, ob crimen, vel aliam gravem & justam causam per sententiam juridicam conventus sive domus regularis destruitur, supprimitur, aut omnino aboletur , sublatis juribus & privilegiis illi competentibus. Et ita (inquit Bartholus *L. Aut facta §. fin. ff. de pœnis*) *fecit Bonifacius de Templariis , quia propter delicta quorundam Templariorum , totum Collegium Templariorum fuit destructum, quia erant heretici.* Et nuper SS. D. Innocentius X. multas domos regulares suppressit.

Iuris Quæstio.

Bartholus.

Destructio Templariorum.

Destructio facti, quæ?

Dissolutio *facti* vocatur : Quando eventu aliquo fortuito, vel violentiâ, ut hæreticorum aliorumve hostium , domus regularis destruitur, vel ad usus merè sæculares transfertur ; ut si incendio pereat, aut bello evertatur, aut ab hæreticis occupetur, &c. ut factum est de domibus regularibus in Germania, Hollandia, Anglia, &c.

2. Quæstionis Resolutio 1.

Qui destruantur domus regulares ob delicta.

REsp. itaque ad 2. Quæst. conventus sive domos regulares quæ dissolvuntur vel supprimuntur auctoritate juris legitimâ per Principes aut superiores propter delicta, aut causas juridicas , juxta sententiæ tenorem censeri extinctas. Ratio est : quia & actu & habitu ordinibus suis pereunt, & velut desinunt esse, ita ut nullum amplius jus , aut actio remaneat :

Vndè

Abbas. Vndè ut notat Abbas *in C. Gratum de Elect. n.12.* Collegii sic destructi extinguuntur omnia jura & privilegia. Et idem ait Barthol. Bartholus in *C. Sodales ff. de Colleg. illici. num.24.*

Dixi (*juxta trutorem sententia*, &c.) cum enim talis extinctio auctoritate juris per sententiam fiat, tenor sententiæ quoad declarationem privationum, suppressionum, & pœnarum attendendus est.

Resolutio 2.

Aliter destructa non extinguuntur. Conventus aut domus regulares, quæ fortuito eventu, aut violentiâ hæreticorum destruuntur, dissolvuntur, aut ab alienis violenter occupantur, nullatenus extinguuntur, aut pereunt, sed tantùm Loca desolata vocantur. Vndè in Iuribus, Privilegijs & pertinentijs saltem in habitu & debito remanent, estque tantum in ijs quæ violentiam patiuntur actio mortificata, donec reviviscat. Ita Abbas & Bartholus supra, asserentes doctrinam esse communem. Quod præclarè explicat multis juribus allegatis Martinus Magerus *C. 16. de Advocat. armata num.29.* verbis sequentibus: *Quorum* (ait) *omnium ratio est : quod nimirum, ea quæ de facto, & vi majori, nullo commisso delicto fiunt, alteri nocumento esse non debent.* Et subjungit auctoritatem Baldi. *Pulchrè* (ait) *Baldus in margine in V. Civitas: dicens, civitatem à Tyranno vel Prædonibus destructam, intellectu quodam sine corpore materiali vivere, & ejus animam sine corpore extare : Proinde sua privilegia retinere : & si restauretur, jura quæ durabant habitu, ad actum ipsum reduci.* Et prosequitur : *Favet Textus in L. hæreditas ff. de petit. hæred. Vbi dicitur quod hæreditas etiam sine ullo corpore, juris intellectum habeat, sicut civitas extincta à Tyranno, vel hostibus, juris intellectu adhuc extare censetur*, &c. Hæc Magerus.

Loca desolata vocantur.

Abbas. Barthol.

Martinus Magerus.

Baldus.

Civitas à Tyranno destructa, quî censeatur vivere

Idem latè probat ex DD. & juribus Erasmus à Chokier *Tract. de jurisdictione Ordinarij in exemptos p.3.q.19.n.1. & 4.* Et clarissimè *q.20.n.6.* ubi factâ mentione de dissolutione juris, subjungit de dissolutione facti: *At verò* (inquit) *facti calamitas nec Jus, nec titulum aufert, nec nomen L. Servitutes §. Si sublatum ff. de servit. Vrb. Præd.* ubi DD. hæc Chokier.

Erasm. à Chokier.

Corollarium.

Qualiter conventus ille remaneat ordini. EX his dicendum Conventum, de quo in casu, minimè extinctum esse adeoque ordini, cujus erant religiosi ejecti in habitu remanere, quoad ea quæ actum sive actionem non permittunt : Actionem autem etiam remanere quoad ea, quæ per hanc ejectionem non omninò sublata sunt; si nimirum à Religiosis recuperari possint. Vnde benè Zypæus supra *in resolutione 1. q. 1.* allegatus, de Fratribus Minoribus ab hæreticis expulsis agens : *Respondendum est* (ait) *primævam regularium admissionem in aliqua oppida non esse affixam huic vel illi glebæ, ligno, aut tigno, sed ordini datam*, &c. Et in principio consultationis: *Non potest ulli* (ait) *dubium esse, quin jure suo quispiam privari, domicilio prohiberi, in exilium ejici sine ulla culpa nequeat.* Et infert : *Consectarium est igitur, eos regulares qui in aliquo loco fœderatarum Provinciarum conventus viri constitutos olim habuerunt, eorum locorum accessu prohiberi non posse, quò minus veteri domicilij jure ibidem uti pergant ; cum etiam juris communis sit, ut domicilium sibi quisque ubi lubet, constituere possit*, &c. Vbi iterum varia jura allegat. Zypæus.

Et super isto jure fundantur missiones Fratrum Minorum Provinciarum Coloniæ, & inferioris Germaniæ, quæ Fratres suos per Provincias unitas Hollandiæ, Frisiæ, Transi. &c. Vbi antiquitus conventus habuerunt, mittunt, ut fidelibus in verbo Dei & Sacramentorum administratione assistant. *Missiones aliquorum Fratrum Minorum super quo fundentur.*

Hæc etiam confirmantur praxi Ecclesiæ, quæ in Episcopatibus in terris infidelium desertis, Episcopos non purè titulares, sed habituales assignat ; qui etiam obligarentur reddita pace Ecclesiæ ad suos Episcopatus se transferre ; imò qui & actu potestatem & jurisdictionem habent in fideles, si qui adhuc in dictis terris infidelium remaneant : & Zelo fidei ardentes possent etiam dissipatos in illis terris recolligere : quâ eâdem ratione Episcopus Gandensis populo in Territorio Hulstensi sub jugo hæreticorum existenti, etsi religio Catholica quoad exercitia publica sit ibi suppressa, potest, & tenetur per aliquos subvenire. Quæ omnia verificantur in Ordinibus regularium mendicantium, qui cum ex professione teneantur populo servire tam in verbo Dei, quam administratione quorundam Sacramentorum, etsi à locis per hæreticos expellantur, semper remanet illis jus & potestas eamunia, modo possibili in illis locis exercendi, absque alia singulari facultate, solâ suorum superiorum obedientiâ ; estque praxis communis.

Praxis Ecclesiæ instituentis Episcopos pro terris infidelium.

Eorum obligatio & jurisdictio.

Ante Resolutiones Quæstionis 3.

Quæ jura & privilegia remaneant regularibus mendicantibus à suis conventibus ejectis, sive ab illis occupentur, sive funditus destruantur: & penes quem illa jura & privilegia remaneant?

Distinctio jurium & privilegiorum.

PRænotandum: Hic distinguendum esse de juribus & privilegiis: Alia enim sunt quæ locis, sive domibus velut affixa sunt: qualia sunt, *Possessio actualis, immunitates locorum, Consecrationes Ecclesiarum, Altarium, Cæmiteriorum*, &c.

Alia consequuntur & comitantur Ordinem Religiosorum, sive personas Religiosas, ratione habitâ conventus, sive domus regularis quam inhabitant, ut sunt *exercitia prædicatorum, administrationes Sacramentorum, Prælatura, ac tituli officiorum*, &c.

Dico (*habita ratione Conventus*) propter nonnulla, quæ merè personalia sunt, & ab omni loco abstrahunt; ut sunt privilegia universaliter prædicandi verbum Dei, vel confessiones audiendi absque respectu ad hunc vel illum locum.

Qualiter Ordines mendicantes sint copiæ auxiliares universalis Ecclesiæ.

Undè hic benè advertendum est: Ordines mendicantes esse universalis Ecclesiæ copias auxiliares, qui idcircò pro ratione locorum ad quæ mittuntur, vel ubi Conventus acquirunt, constituuntur ministri verbi Dei, & administratores aliquorum Sacramentorum; eò enim ipsò quo Conventum aliquem in aliqua civitate vel oppido acquirunt, auctoritate Apostolica constituuntur operarii coadjutores Ecclesiæ in locis illis; & sicut summi Pontifices ad evitandas confusiones, & ad pulchritudinem Ecclesiæ, quæ est velut *Castrorum acies ordinata*, distinxit Ordines in diversas Provincias; sic, velut pro stationibus militantibus, assignavit quibuslibet Provinciis certum numerum Conventuum: & ut singuli scirent limites suos, singulis Conventibus assignata est aliqua vicinia; in cujus locis, regulares in quolibet Conventu respectivè habitantes, sua munia exercerent, & ex suis laboribus viverent. Vnde mutua concordia cum Episcopis & Parochis super certis stationibus, & temporibus conventiones factæ sunt, ut ordinatè sua ministeria exhiberent.

Eorum distinctio in Provincias, &c.

Eorũ mutua concordia cum Episcopis & Parochis.

Et ista vocantur Privilegia, quæ potius spiritualia jura sunt & provisiones, ab Apostolica quidem auctoritate primariò provenientia, mutuis tamen concordatis stabilita: dum permissum est Episcopis judicium idoneitatis operariorum qui ad suas Diœceses missi sunt; & consultum ut inter operarios concordata fierent, ut quilibet sciret, quid, quantum, & qualiter ipsi incumberet.

Eorum stationes non omnes sunt precariæ.

Ex quibus similiter eruendum est, stationes certorum dierum quas mendicantes in locis terminorum suorum obtinent, non esse precarias, nec sequi naturam concessionum gratuitarum, sed naturam juris concordatorum: Mendicantes enim qui auctoritate Apostolicâ in universum mundum tanquam copiæ auxiliares universalis Ecclesiæ missi sunt, cum eis per Clementinam *Dudum* permitteretur universaliter, non tantùm in suis Ecclesiis & locis, sed etiam in communibus plateis, ac locis publicis populum congregare, & verbum Dei proponere: Ne inde confusio oriretur; cum Episcopis, Parochis & populis convenerunt & concordaverunt, ut in parochiis certis temporibus, vel diebus anni sua ministeria exercerent, & sibi invicem stabiliter cooperarentur. Duplici enim titulo in alienis Ecclesiis prædicant mendicantes: Aliquandò quia invitantur à Parochis, aut ipsorum rogatu Parochi hoc ipsis permittunt: Aliquandò ex concordato, quia inter illos conventum est, ut mendicantes certis diebus teneantur horâ assignatâ comparere, & prædicare: Priores prædicationes dicuntur precariæ: Posteriores ex concordato formam juris induunt, nec precariæ dici possunt. His sic pro majori claritate benè consideratis, fit

Clement. Dudum.

Duplici titulo prædicant in Ecclesiis Parochialibus.

Quæstionis 3. Resolutio prima.

Privilegia loca affixa pereunt.

EJectis Regularibus Mendicantibus à suis Conventibus, iisque ab hæreticis destructis vel occupatis, Privilegia quæ locis affixa censentur; simul destruuntur: Unde privantur actuali possessione; & si profanentur & destruantur Conventus, pereunt immunitates, consecrationes Ecclesiæ, Altarium, Cœmeterii, &c. donec restituantur. Resolutio ex ipsis terminis clara est, & huc facit, quod dicitur *L. Cum loca ff. de Relig. & sumpt. fund. loca sacra dicuntur desinere Religiosa vel sacra esse, id est, viduari sacris Ministeriis, sicut homines liberi in servitutem redacti. Quod si verò ab hac calamitate fuerint liberata, quasi quodam postliminio reversa, pristino statui restituuntur.*

L. Cum Loca.

Resolu-

Resolutio 2.

Remanent sub Ordini loca illa recuperanda. Ejectis Fratribus, & destructis Conventibus, sive ab alienis occupatis, tamenet semper jus Ordini cujus sunt, ad illos suo tempore recuperandos, quod omni occasione reviviscit. Et ità Canonistæ passim,& praxis probat. Illi enim Ordinibus restituuntur, & ad hoc ipsum Bullam nuper dedit specialem Urbanus VIII mandans ut omnes Conventus Fratrum Minorum in Germania ab hæreticis occupati, Ordini restituerentur. Bulla incipit, *Cum sicut Dilectus, data Romæ apud S. Mariam Majorem 12. Augusti 1628. Pontificatus Anno 6.* *Urbanus VIII.*

Resolutio 3.

Et omnia jura & privilegia, &c. eidem remanent. Ejectis Regularibus à suis Conventibus, iisque ab hæreticis,vel alienis, vià facti destructis, vel occupatis, remanent actu vel habitu omnia jura & privilegia, (quocumque nomine appellentur) quæ ordini, sive personis Religiosis competunt ratione Conventuum sic destructorum, vel occupatorum. Quod ab enumeratione partium manifeste declaratur. Unde quamdiu à superioribus aliter dispositum non est, remanent superioribus ejectis tituli Guardiani, Prioris, Vicarii, &c. Et quidem actu, si cum fratribus ejectis adhuc alicubi congregentur; habitu autem, quamdiu de illis per superiores,vel capitula aliter dispositum non est. Ratio est: quia etsi tituli illi occasione Conventus, sive domus regularis ipsis convenirent, & ab isto loco nomina sortirentur: nihilominus firmabantur intrinsecè in personis, & relativè ad personas subditorum terminantur: Unde quamdiu aliter dispositum non est, Personæ superstites titulum habent; & si consequenter aliqui adhuc subditi restent, actuales superiores sunt, & aliàs cum illis quovis tempore subditi dari possint, saltem habituales superiores habentur, & remanent. *Superiores sic ejecti retinent suum titulum.* *Si restent subditi sunt actuales superiores.* *Aliàs habituales.*

Donec de iis à jure vel aliter disponatur. Dixi (*quamdiu aliter de eis dispositum non est*) disponitur autem de illis vel à jure, ut de superioribus qui ex statuto Ordinis, triennales sunt tantum, vel sexennales; sexennio enim vel triennio transacto, tituli cessare censentur: aliàs si ad vitam, etiam subtractis subditis, tituli habitualiter remanere judicantur: vel de illis aliter disponitur, si nimirum superiores, ad quos spectat,illos amoveant, vel ad alia promoveant. Et hæc est iterum sententia communis Canonistarum. Sicut enim Episcopus manet Episcopus, etsi infideles & hæretici Episcopatum occupaverint, ejectis vel proscriptis fidelibus: & sicut Abbas destructo Monasterio manet Abbas. Imò ut Riccius in *sua praxi Eccles. Resol, 5.& 26.* loquitur: *Parochus adhuc manet Parochus, quamvis Parochiani discesserint*: Ita de titulis Prioris & Guardiani inferendum est: eoque argumento utitur Franciscus Zypæus citatâ nuper *Consult. 5. l. 5. Sicut* (inquit) *non fuit controversia inter partes quin ad Episcopum spectaret conferre pastoratus, constituere Pastores, ita neque quin ad Regulares spectaret constituere in suis Conventibus Priores, Guardianos, & alios in locis suorum Conventuum si recuperarentur, & interim qui eorum vices supplerent, & jura conservarent atque recuperarent.* Quo eodem argumento in superioribus intulerat: *Licere Regularibus in Oppidis, à quibus ejecti erant, secretas domos accipere, & ibidem latenter omnia exercere, quæ in suis Conventibus egissent etiam cum titulo Guardiani*, &c. Quo jure sub meo regimine Provincia Angliæ Fratrum Minorum restituta est, constitutis in præcipuis civitatibus Guardianis, qui super cæteris Fratribus Missionariis in locis circùm ad multa milliaria adjacentibus invigilarent,eisque præsiderent, qui etsi in domibus particularibus lateant, omni tamen jure Guardianis debito cum titulo, ex vi primævæ habitationis potiuntur. Quod & huc usque inviolabiliter observatur. Et super hoc jure fundatur breve Urbani VIII. quod incipit, *Exponi nobis fecit*, &c. *Datum Romæ die 27. Novembris Anno 1642. Pontificatus Anno 20.* quo Commissariis Generalibus Belgii Fratrum Minorum permittitur constituere Guardianos habituales pro locis ab alienis occupatis, & Constitutiones Fratrum Minorum Conventualium, quæ *Urbana* vocantur, idem illis permittunt. *Exempl. in Episc. Abbate & Parocho. Riccius.* *Zypæus.* *Restitutio Provinciæ Angliæ Fratrum Minorum.* *Concessio Urbani VIII. pro Guardianis habitualibus.* *Constitut. Urbana Frat. Min. Convent.*

Resolutio 4.

Remanent & Ordini omnia jura spiritualia. Omnia jura & privilegia spiritualia quæ competebant regularibus mendicantibus ratione Conventuum, sive domorum regularium, à quibus violenter ejecti sunt, etiam destructis Conventibus, remanent ordini, & personis quas ordo ad illa nominaverit: Unde jura spiritualia prædicationum,audiendarum confessionum, administrationis Sacramentorum, tam in Oppidis, quàm in terminis Conventui primum assignatis, pertinent ad Ordinem cujus erat Conventus, & Ordo pro sua libertate, & circumstantiis temporum potest providere. Ratio

tio fundamentalis est: *Quia nemo sine culpa potest privari jure, vel actione sua*; Et si quandoque violentia actione proxima privet, sempet tamen remanet jus in habitu, cum potestate, quovis modo licito, recupetandi actionem & juris actom. Et ita concludunt omnes Canonistæ. Singulariter autem quoad jura Prædicationum & administrationis Sacramentorum, de Fratribus Minoribus & Prædicatoribus probat Franciscus Zypæus sæpè citatâ *Consult. 5. l. 5. Consultationum Canonicarum. Tit. de Privilegiis*: Ubi cum docuisset Regulares, qui in aliquo loco Fœderatarum Provinciarum Conventus ritè constitutos habuerunt, eorum locorum accessu prohiberi non posse, quo minus veteris domicilii jure ibidem uti possint: Consequenter docet 1. posse in locis illis ut tales habitare. 2. ibidem officia exercere, ad quæ totus Ordo institutus est, ut Prædicatores & Minores prædicare, & Pœnitentiam ac Eucharistiam administrare (*juxta C. inter cunctas de Privilegiis in extrav. & Clement. Dudum: de Sepulturis.*

Zypæus specialiter de FF. Prædicatoribus & Minoribus id probat.

Cap. Inter cunctas.

Tertiò, nulla juris ratione prohiberi posse, quo minus iis muneribus fungantur, sicut in Provinciis Regi parentibus. Horum verò omnium aliam rationem non reddit Zypæus, quàm quod etsi Conventus destructi, vel ab hæreticis occupati sint: *Ea quæ per vim & rebellionem contingunt iis non prodesse, qui de jure disputant*: *Non minus* (inquit) *quam Rex qui animo jus & possessionem Rebellium Provinciarum retinuit, jure Majestatis in Rebelles agere non prohibetur, nec aliquid in ullo illius jure imminutum est, quatenus vi compesci aut pelli posit.* Et infert: *Itaque quatenùs per vim hæreticorum licet Regularibus in illis locis agere, jure ab Episcopis impediri non possunt, quin in locis suorum Conventuum habitare, & Privilegiis saltem quatenùs per Concilium Tridentinum sunt modificata, uti possint, & juxta institutum suum domicilium ibi habere, suam, proximorumque salutem operari.* Hæc Zypæus.

Zypæus.

Ex quibus manifestè concluditur Regulares Mendicantes, sicut possunt in locis in quibus Conventus habuerunt sua omnia (quantum violentia permittit) munia exercere; sic in locis terminorum, qui ratione Conventus eis assignati erant, & ab antiquo antè expulsionem deserviebant. Unde idem Zypæus ubi supra, distinguit duplices Missionarios: Alios qui *functione indeterminatâ Missionem & prædicationem Apostolicam imitantur*; & isti mittuntur dependenter in omnibus à Præfectis dictarum Missionum, sive Vicariis Apostolicis: Alii sunt Missionarii, qui virtute antiquarum Sedium & Conventuum, à quibus sunt expulsi, ad loca à quibus sunt expulsi, & quibus Ordo antiquitùs servivit, ex obedientia Superiorum primævo veluti jure mittuntur. Et quoad primos quidem Missionarios docet eos ad certa loca, & certas functiones posse determinari & restringi, juxta arbitrium Vicariorum Apostolicorum, sive Præfectorum Missionum: Alios autem Missionarios qui virtute antiquorum Conventuum vadunt, si terminos antiquos non excedant, non posse ab Episcopis aut Præfectis restringi quoad jura antiqua. Unde infert: Quod si in puris Missionariis qui ex libera voluntate à Vicariis Apostolicis vel Episcopis mittuntur, aliqua restringat Episcopus vel Vicarius Apostolicus, posse illis dicere, *Amice non facis tibi injuriam, tolle quod tuum est. Ubi autem* Regulares *antiquas Sedes habent*, *nec vult permittere* Episcopus *ut ibi tollant quod suum est, videtur facere injuriam.*

Idem.

Duplices Missionarii.

Resolutionis.

Priores possunt restringi per Episcopos, non sic posteriores.

Matth. 20. vers. 13.

Zypæus.

Ex quibus iterum infert: Concordata facta cum PP. Societatis & Vicariis Apostolicis in Hollandia, non obligare Fratres Minores, in locis ubi habuerunt Conventus antiquos; sive in iis quæ juris antiqui sunt, nisi per Summos Pontifices sit expressè derogatum. Et descendens ad particularia jura Regularium, maximè Fratrum Prædicatorum & Minorum, dicit omnia quæ in *Clementina Dudum. de Sepulturis*. Concessa fuerunt dictis Patribus, quæ non sunt per Concilium Tridentinum revocata, adhuc in dictis locis antiquorum Conventuum ipsis competere; ut quod possint semel ritè admissi & approbati ab Episcopis, in locis illis Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ ministrare: In plateis communibus & locis publicis Sæcularium absque licentia Diœcesanorum, vel aliorum Prælatorum verbum Dei prædicare, &c. Et hæc est praxis universalis in Belgio: Hoc enim jure Conventus Brugensis Fratrum Minorum prædicat in terminis Conventus Slusensis ab hæreticis destructi; hoc jure Conventus Antuerpiensis & Wertensis in terminis Conventus Bredani & Silvæducensis stationes observant.

Concordata PP. Societatis non obligent Fra. Minores.

Concessa per Clement. Dudum, ipsis competunt in illis locis.

Praxis universalis in Belgio.

Et quia interdum Episcopi ex mera sua libertate Regulares quantumvis idoneos recusant; docet Zypæus, Fratres (modo legitimè à Superioribus præsentati fuerint, & sint idonei) posse de plenitudine potestatis Apostolicæ, eis in hoc casu concessâ, & Confessiones audire, & Prædicationes facere. Et est textus clarus in Cle-

Idonei legitimè præsentati à Superioribus, si recusat Episc. consentire admissi.

Clement. Dudum. Clementina *Dudum*: *de Sepulturis*. Nec refert (Zypæo asserente) quod Concilium Tridentinum vetuit Confessiones audiri, & prædicationes fieri in diœcesibus, nisi de assensu Episcopi: quia (ut inquit Zypæus) *Concilium per hoc non instruxit Episcopos argumento aliquo elationis, ut fierent dominantes in Clero, sed ut Ecclesiæ consuleretur, & saluti animarum: qua ratio & anima legis sicubi cessat, non pro libitu Episcopis agere, &c, ut sit pro ratione voluntas, permissum est, neque ut auctoritate illa utantur in destructionem, sed ædificationem: uti ordinatium est, ut quæ arbitrio alicujus commissa sunt, ad boni viri judicium rejecta censeantur. L. 22. D. de Regulis juris. Et illud communiter tradi solet: ut si, cujus consensus necessarius est, sit irrationabiliter dissentiens, pro consentiente habeatur.* Et concludit: *Itaque non pro libitu Episcopi Confessiones & Prædicationes Regularibus interdicere possunt, sed pro ratione & causa qua Concilium moverunt.* Hæc Zypæus; quæ fundamentaliter ibidem prosequitur, ostendens Concilium *cap. 15. Sess. 23.* in hoc quod examen & approbationem Confessariorum non Parochorum commiserit Episcopis, habuisse tantùm rationem idoneitatis, ne scilicet inidonei & inepti à Superioribus exponerentur: Approbatio ergo Episcopi in Regularibus Mendicantibus, quoad Confessiones, est tantùm judicium publicum idoneitatis; Jurisdictio autem & auctoritas sic idoneo judicato advenit à S. Sede Apostolica.

Concil. Tridcnt. explicatur à Zypæo.

Approbatio Episc. pro M. ndicantibus, quid?

Et idem judicium infert Zypæus de admissione ad Prædicationes, ut Regularibus, pro libitu, Episcopi non contradicant. Ad quod probandum adfert verba *Sess. 5. cap. 2. Curent autem Episcopi ne quis Prædicator, vel ex falsis informationibus, vel aliàs calumniosè vexetur, justamve de iis conquerendi occasionem habeat. Iustam autem* (ut ait Zypæus) *haberet causam conquerendi Sacerdos probus & doctus, qui & in loco antiquo Conventuum sui Ordinis, jure communi & primævo Ordinis uti prohiberetur.*

Idem de Prædicationibus?

Concil. Trident.

Et idem judicium sicut de jure Prædicationum, sic de jure Eleëmosynas quærendi in locis & antiquis terminis Conventuum, eo enim ipso, quo jus prædicandi & sua munia exercendi habent in illis locis: hoc ipso jus habent mendicandi: *Dignus est enim operarius cibo suo, sive mercede sua.* Nec congrue *alligatur os bovi trituranti.* Et obvia sunt decreta Sixti 4. Leonis 10. prohibentia sub Censuris, Episcopis & Curatis, ne impediant Fratres Minores quærere eleëmosynas in locis & terminis suorum Conventuum: Extatque responsio absoluta sacræ Congregationis, Episcopos non posse ejusmodi mendicationes prohibere. *Data Anno* 1621. Signante Eminent. Cardinale Ubaldin. & Prospero S. Congreg. Conc. Secretario.

Idem de jure eleemosynas quærendi.

Sixtus IV. Leo X.

Responsio S. C. g. Cardin.

Jura itaque omnia quæ Regularibus ratione Conventuum desolatorum competebant, remanent penes Ordinem sive Religionem, cujus erant; ut pro circumstantiis & tempore iis uti possit & valeat, violentiâ cessante, aut modis certis declinatâ. Et ne de Fratribus Minoribus possessionum & jurium temporalium incapacibus quæstio sit: Omnia jura temporalia, sive possessiones eorum loca & Conventus concernentes, in summum Pontificem, ac ejus Syndicos qui auctoritate Apostolicâ illis juribus invigilant, devolvuntur: jura vero Spiritualia Prædicationum & Administrationis Pœnitentiæ, ut pretiosa S. Sedis deposita, Ordini remanent, ut de iis, ut dictum est, disponat.

Iura temporalia FF. Minorum ad summum Pontif. devolvuntur. Iura Spiritualia remanent Ordini.

Corollarium.

Ex his patet Primò, factum esse manifestam injuriam Fratribus Minoribus, dum à Stationibus & Prædicationibus, nec non mendicantibus ordinariis in terminis sibi jure Conventus Hulstensis residuis, violenter expulsi sunt.

Injuria manifesta facta FF. Minoribus.

Secundò, Graviorem injustitiam contra leges Ecclesiæ illatam, dum Missas celebrare in Ecclesiis sæcularibus prohibiti sunt, cum SS. Concilii Tridentini decreto *Sess. 22. Decret. de observandis & evitandis in celebratione Missæ. Soli Vagi & ignoti, aut publicè & notoriè criminosi*, ubivis terrarum in tota Ecclesia à celebratione Missarum arceantur.

Qui arcendi à celebrat. Missarum. Concil. Trident.

CASUS XII.

De legitima ædificatione novæ domus Regularis à Mendicantibus, & conditionibus ad eam requisitis.

Rex Catholicus informatus à personis gravibus, etiam in dignitate Ecclesiastica constitutis, de necessitate operariorum spiritualium in quodam Belgico districtu, Hæreticis vicino, &c. adeoque rogatus ut per erectionem alicujus domus novæ Regularis ex Ordinibus Mendicantium bono Catholicorum provideret, & Hæreticorum, quorum *sermo ut cancer serpit*, pravitati obviaret: Addixit Ordini A. hanc Provinciam: & permisit illi do-

Proponitur Casus.

2 Tim 2. vers. 17.

mum

mum Regularem ad hunc effectum erigere, absque tamen loci primùm designatione, quam Rex sibi reservaverat, donec de congruitate & commoditate locorum sibi constaret.

Tandem auditis per sua Concilia audiendis, & multâ deliberatione, cognitâ loci sufficientiâ ad sustentandos Fratres duodecim; maximè cum nec in loco, nec in vicinia plus quàm ad octo millia passuum essent alii Mendicantes, & Ordo A. posset ex antiquis terminis, quibus à ducentis annis, servierat, se sustentare absque ullius præjudicio. Rex Catholicus assignavit Ordini A. locum B. deinde oppositione factâ, locum C.

Ordo itaque A. pro sua obligatione, ut Concilii Tridentini decreto & summorum Pontificum Bullis satisfaceret: Supplicavit Reverendissimo Episcopo loci Ordinario, quatenùs suum consensum & facultatem præberet ad dictam domum Regularem erigendam, &c.

Renuit Episcopus, prætextu ut videtur. Primò, Quod locus à Rege non potuisset designari absque ejus consensu, atque adeò Episcopali & Ecclesiasticæ potestati, per hanc assignationem, derogatum esse. Secundò, Quod Bullis Pontificum non esset satisfactum: volebat autem Episcopus, non tantum Mendicantes ad quatuor millia passuum (ut præfigunt Bullæ) audiri; sed etiam ad quatuor & quinque, vel sex leucas horales, item omnes Pastores, Vicinos, Scabinos & incolas, &c.

Quæritur Primò.

Quid sit jus Regium, sive potestatis politicæ & civilis in erectione novæ domus regularis in ditionibus suis?

Triplex jus concurrens in erectione domus Regularis. Advertendum est: In erectione domus regularis, *triplex* jus reperiri: Primum est merè *temporale*: ut sunt acquisitio loci & fundi, jus habitationis sive etiam civilitatis in loco, Amortisatio fundi, ædificatio sive erectio domus, & hujusmodi antequam Ecclesiæ cedant: hæc enim ad meram temporalem politiam spectant.

Secundum est *spirituale*: uti: in domo sic erecta vel acquisita, divina celebrare, Oratoria dedicare, Ecclesias consecrare, immunitatem concedere: & quoad personas, in illis Sacramenta ministrare, prædicare, &c. quæ ad spiritualem potestatem pertinent.

Tertium est: *Mixtum*: quòd nimirùm, partim politiam civilem, partim Ecclesiasticam concernit: de quibus plurima in *Resolutionibus*.

Codice Iustiniani lib. 1. Tit. 2. de Sacrosanctis Ecclesiis, & Tit. de Episcopis & Clericis. &c. *C. Iustiniani.*

Resolutio

Dico itaque primò: In erectione novæ domus Regularis pertinet primò, & per se, ad jus regium & potestatem politicam, quidquid merè temporale est. *Merè temporale pertinet ad jus Regiū.* Ratio est ex terminis clara, & sententiâ Domini confirmatur: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* *Matth. 22. vers. 21.* Temporalia enim bona antequam Deo consecrata, vel Ecclesiæ plenè acquisita sunt, Cæsari sive potestati civili remanent: Dico (*antequam Ecclesiæ plenè acquisita sunt*) non sunt autem Ecclesiæ plenè acquisita, donec plenè Ecclesiæ, juxta leges civiles, cesserint & ab Ecclesia acceptata, & Ecclesiæ sint incorporata: *Quando censeatur Ecclesiæ plenè acquisitum.* unde Regii juris & politicæ potestatis est, concedere facultatem acquirendi locum in suis ditionibus, sive civitatibus, oppidis, & locis: ibidem habitandi, ædificandi, & id genus, sine qua id nullatenus licere praxis quotidiana docet; & hic omnium sensus communis est: quæ ut Ecclesiasticæ potestati sint subjecta, prius juxta leges Ecclesiasticas acceptari, & Ecclesiæ incorporari debent.

Duo porrò in domo Regulari distinguenda sunt: *Alterum materiale*, & sunt ædificia, ad habitandum, & ea quæ ædificia (ut sic) consequuntur: *Alterum formale*, secundum quod dicitur *domus Regularis*, ab eo quod in illa Regularia publicè exercentur, ut divina Officia, Missæ, &c. & ad illa domus jam institutæ sunt: *In domo regulari, aliud materiale, aliud formale.* quidquid itaque ad materiale domus pertinet, antequam ad Ecclesiæ jus transeat, & domus Regularis fiat, sive Regularia publicè in ea exerceantur, totum politicis legibus & juri Regio subjicitur.

Et hoc fatentur Pontifices: qui facultatem Regularibus maximè Mendicantibus, concedentes; supponunt primò, vel à Principibus & Respublicis accitos, vel admissos, quàm facultas Ecclesiastica eis concedatur: *Facultas civilis & Ecclesiastica, quò concurrant.* & si contingat facultatem Ecclesiasticam priùs concedi: illa debet facultatem civilem exspectare, antequam executioni demandetur. Extat insigne ad hoc Privilegium FF. Min. à Julio II. ad instantiam Ferdinandi Regis Catholici factum in Bulla quæ incipit: *Exponi nobis fecisti: Data Romæ 5. Ianuarij an. 1512. Pont. an. 6. estque 15. in Bullario Roderici* in qua Pontifex concedit: *Iulius II.* ut *Fratres* (inquit) *dicti Ordinis Regularis observantiæ non solùm vocati à populo, sed & à Principe, Duce, Marchione, vel*

 Comite,

Comitt domus, seu loca pro eorum usu & habitatione recipere possint. Vbi & mandat universis Prælatis; *Ne prohibeant quod Fratres ibi pro suis usibus ædificia, Ecclesias, seu Oratoria conservant*, &c. *Non obstante Bonifacij VIII. Decreto c. cum ex eo de excessibus Prælatorum in 6.* Ex quibus manifestè patet Pontifices ad quos solos (ut in sequenti quæstione dicetur) pertinebat jus concedendi facultatem ad domos regulares pro mendicantibus erigendas, supposuisse concessionem loci in civitatibus & villis, ad Principes & populos pertinuisse; & concessionem Ecclesiæ concessionem civilem in ditionibus civilibus præsupposuisse.

Ante inductam regularitatem illa loca ad politic. potestatem. Dico Secundò. Loca, fundi, domus, antequam regularitas in eis introducatur sive publica religionis exercitia actualiter in eis exercenda decernantur; sub politica potestate remanent, & à regi laribus, absque facultate Ecclesiasticæ potestatis, recipi possunt. Ita Angelus *V. Loca n. 1.* ubi sic loquitur: *Captio Cajetarum* (inquit) *vel mutatio, quas Mendicantes capiunt ad habitandum ex transitu, vel pro infirmaria & hujusmodi, non cadit sub prohibitione. c. cum ex eo. de excessibus Prælatorum in 6. sed solùm, quando pro novo Conventu seu Capitulo capiunt.* Et citat pro se Ancharanum *in c. Cum ex eo.* Er est sententia ferè communis Doctorum modernorum, qui passim docent, quod quando Pontifices in suis constitutionibus prohibent ædificari, vel accipi nova Monasteria, Collegia, Domus, Conventus, & alia hujusmodi loca Regularia: non comprehendi nec intelligi hospitia Religiosorum: ut tenet Riccius *in praxi. decis. 652. Bordonus Ref. 41. n. 6.* Bariola *V. Regularis. pag. 264.* Peyerinis *Tom. 3. Privil. Minimorum Constit. 3. aliàs 13.* Vrbani VIII. Tamburinus *de jure Abbatum tom. 3. disp. 5. qu. 1. n. 10.* & Ratio est: quia quamdiu ad regularia officia publica necdum sunt destinata, domus regulares non sunt.

Angelus. Ancharan.

Sub prohibitione conventuum, &c. non comprehenduntur hospitia religiosorum. Riccius. Bordon. Bariola. Peyerinis. Tambur.

Examen aliquorum spectat ad politic. potestatem. Dico Tertiò. Ad auctoritatem politicam etiam pertinet, pro futura regulari domo, examinare nonnulla quæ ad bonum commune Reipublicæ spectant: ut *de fundo, situ ejus, numero Religiosorum, vivendi mediis*, ac aliis nonnullis, quatenus temporalia sunt, & in temporalibus populo gravamini esse possunt. Ratio est: quia auctoritatis politicæ est gravamina à plebe propulsare, & omnia regulare quæ publicum & temporale regimen concernunt.

Quæritur Secundò.

Quæ pertineant ad Ecclesiasticam potestatem in erectione novorum Conventuum, ac domorum regularium.

Resolutio.

Facultas Papæ requiritur. Dico primò. Nulla domus regularis nova, in quantum regularis, antiquo jure pro mendicantibus potest erigi, aut ad regulariter inhabitandum recipi, absque facultate Papæ, secluso Privilegio. Ita apertè Bonifacius VIII. *tit. de excessibus Prælatorum cap. Cum ex eo. n. 6.* *Bonifac. VIII.*

Dixi (*in quantum regularis, seu ad regulariter inhabitandum*) quia ut supra dictum est, potest recipi ad simpliciter pro tempore hospitandum antequam ad publica exercitia regularia assumatur.

Privilegium FF. Minorum. Dixi (*secluso Privilegio*) propter Privilegium Fratribus Minoribus à Julio factum, & superiori quæsito relatum, non obstante Bonifacii VIII. Decreto: Cui, quantum ad facultatem Papæ, hactenùs derogatum non fuit, nisi singulari Privilegio Papa permitteret; ut fecit FF. Minoribus.

Facultas Episcopi quo requiritur. Concil. Trident. Dico Secundò. Nulla domus regularis nova, in quantum regularis, novo jure Concilii Tridentini erigi potest, nisi de licentia Episcopi in sua Diœcesi: Verba Concilii sunt clara *Sess. 25. de Regul. c. 3.* ubi de domibus regularibus loquens. *Nec de cætero* (inquit) *similia loca erigantur sine Episcopi in cujus Diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.*

Quando non petenda. In quibus verbis apertè constat, non debere peti licentiam Episcopi, nisi quando domus regularis est erigenda, sive quando in regularem erigitur.

Prius petenda facultas à potestate civili. Vnde (ut bene supra probatum est) licet, imò convenit, & velut necessarium est in ditione sæculari, priùs à Principe vel potestate civili petere facultatem ad locum vel habitationem pro futuro Conventu acquirendam, quàm ab Episcopo; quia ex natura rei acquisitio loci, vel juris habitationis præcedit etiam tempore, erectionem domus regularis: quinimò nec Pontifices Clemens VIII. Gregorius XV. Prohibuerunt loca ad erigenda Monasteria absque licentia Episcoporum acquiri: sed prohibuerunt Episcopis, *Ne permitterent domos novas Regulares*, &c. *erigi*, aut ne darent licentiam *ad erigendum illas*, nisi constaret eas sine aliorum Regularium in civitatibus vel vicis existentium, aut ad quatuor millia passuum circumvicinorum (illis auditis) detrimento erigi posse. Et similiter auditis (si opus fuerit) Incolis, appareat, duodecim saltem numero Fratres ex consuetis eleemosynis ibidem

Quid prohibuerunt Clemens VIII. & Greg. XV.

ibidem commodè ali & sustentari posse.

Quæritur Tertiò.

An Episcopi (stantibus conditionibus ex decreto Pontificum requisitis) possint suo libitu & beneplacito recusare facultatem pro ædificatione novorum Conventuum?

Quæ investigatio cõmissa Episcop. à summis Pontificibus. Advertendum Primò. Pontifices unam tantùm conditionem requirere ab Episcopis, ut facultatem ad erigendam novam domum Regularem concedant; nimirùm: *ut investigent: an in loco ubi erigenda est domus Regularis duodecim saltem Fratres aut Monachi seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, vel ex consueta Eleemosyna ali, & sustentari commode valeant absque aliorum Conventuum in illo loco existentium detrimento.*

Duo media ad investigationem. Advertendum Secundò. Ad investigationem, duo tantùm ab illis statui media: Alterum à Clemente VIII. *Declaramus* (inquit) *locorum ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus cujuscumque Mendicantium Ordinis, &c. erigendos, impertiri nisi vocatis & auditis aliorum in iisdem civitatibus & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causâ servatis servandis cognitâ, constiterit in iisdem civitatibus & locis, novos hujusmodi Conventus erigendos, sine aliorum detrimento commodè sustentari posse.* Ne verò sub his verbis: *& aliis interesse habentibus* occasio daretur incongruè ad libitum quoscumque evocandi: Greg. XV. explicavit, primò quoad Regulares non debere vocari, *nisi Priores sive Procuratores aliorum Monasteriorum, Conventuum, sive domorum aliarum Religionum, vel Congregationum seu Societatum aut institutorum hujusmodi, non solum in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, &c.* & demum (ne pro suo captu illi vocati suum consensum negarent) additum est: *vel aliàs Ordinario locorum constiterit Religiosos Monastery, Conventus, seu domus Regularis, sic erigendi seu erigendæ, absque detrimento Religiosorum in Monasteriis seu domibus antea in civitatibus seu locis hujusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè & congruè manu teneri & ali posse.*

Clemens VIII.

Greg. XV.

Tandem ne sub titulo *interesse habentium*, alii audirentur: voluit ad illud ipsum alterum adjicere, nimirum, ut *incolæ & habitatores loci audirentur, vel audiri possent.*

Resolutiones.

Resolutio.

Dico itaque Primò. Ubi constiterit Episcopis, per viam examinis in Bullis Pontificum expressi, aut aliàs quàvis via; Regulares saltem numero duodecim, posse in domibus noviter erigendis ex consuetis Eleemosynis commodè sine aliorum Religiosorum (si ibi sint) detrimento vivere, non potest Episcopus suam licentiam seu facultatem dictas domos erigendi recusare. Ratio est: Quia cum licentia Episcopi, ad erigendas novas domos, sit tantum commissaria (cum primaria sit Papæ) & suis terminis per Bullas Pontificum constricta: positis conditionibus requisitis à Pontificibus, censebitur injustè licentia præfata negari. Nec fraus & dolus alicui patrocinari debet. *Facta investigatione, &c. non possunt Episcopi licentiam negare.* *Eorum licentia est tantum commissaria.*

Et hoc manifestè declarant ambo Pontifices Clemens VIII. & Gregorius XV. qui uterque permittit *in hujusmodi causis ad Sedem Apostolicam provocari & appellari. Ita ut* (luquente Gregorio XV.) *si à decreto seu decretis per ordinarios prædictos in causis hujusmodi ferendis, legitimè appellari contigerit, ex tunc, prout ex ea die quâ appellatio interponetur, ea ad eandem sacram congregationem, unà cum toto negotio principali, devoluta censeatur,* &c. & hanc resolutionem confirmat declaratio expressa Pii V. Bullâ quæ incipit, *Etsi Mendicantium Ordines. Data Romæ anno 1567. Kalend. Iunii Pontif. anno 2.* quæ est 41. ipsius in Bullario Romano in qua *num.* 23. sic habetur. *Licentias verò pro construendis domibus Regularibus (qua cap. 4. sess. 25.) nisi de licentia ordinarii construi prohibentur, gratis omninò dari, & non nisi legitimâ subsistente causâ superioribus explicanda, illa recusari posse.* *Greg. XV.* *Pius V.*

Unde clarè infertur, Episcopos non pro beneplacito, sed tantùm ex causa legitima, posse recusare licentiam erigendi domos Regulares; & quidem illam causam legitimam teneri explicare Superioribus Regularium, pro quibus domus Regularis erigi petitur: nec hoc Privilegium est, fed mera declaratio Concilii Tridentini & juris communis. *Tenentur causam recusationis indicare Superioribus.*

Corollarium.

Ad Casus propositi elucidationem.

Ex dictis manifestum est Primò. Regem jure suo ordinario dedisse facultatem ordinis A. erigendi domum Regularem in terris suis, eisque servatâ omni justitiâ, & æquitate; imò congruitate

 designasse

designasse locum, sive singularem Parochiam in qua Conventus erigeretur.

Secundò. Regulares Ordinis A. satisfecisse decreris Pontificum & obedientiæ, ac reverentiæ debitæ cum Reverendissimo Episcopo supplicavit pro facultate Spirituali erigendi domum regularem in loco sibi à Rege assignato.

Tertiò. Tria tantùm imponi à Pontificibus, ut Episcopi suum assensum præbeant: nimirùm, Primò. Ut si in loco, vel ad quatuor millia passuum, sicut aliqui Regulares, illi citentur sive conveniantur; & si quod opponendum habeant, audiantur. Secundò. Vt examinent, an locus cum sua vicinia possit alere saltem duodecim Fratres, absque detrimento Regularium vicinorum. Tertiò. Vt incolæ loci etiam audiantur, si quod fortè detrimentum prætendant. Vnde si plura requirat Episcopus, excedit suam potestatem, quæ in hoc casu est tantùm à Pontificibus ipsi delegata. Quartò. Cum nulli sint Regulares mendicantes, non solum ad quatuor millia passuum, sed ne quidem ad octo, & ex Regio examine ac certâ experientiâ constet de commoditate ad nutriendos Fratres duodecim: Episcopum non posse absque manifesto peccato, & injuria, suum consensum negare Ordini A. ad Conventum ædificandum: Et ubi in negatione persisteret, causam devolvi ad Apostolicam Sedem prout decreta Pontificum expressè decernunt.

CASUS XIII.

De oppositione quorumdam Regularium contra Fratres Minores Recollectos conservantes in quodam oppido Monasterium Clarissarum Vrbanistarum, tempore belli, quo Moniales Monasterio relicto ad aliud oppidum se receperant.

Proponitur Casus. Moniales S. Claræ Vrbanistæ in oppido. N. Monasterium habentes, ratione bellorum refugerunt ab aliquot annis ad oppidum alterius diæcesis. Tempore absentiæ illarum Superiores Ordinis in loco confessionalis ubi confessarii monialium, & concionatores terminarii solebant habitare & hospitari, posuerunt aliquot Fratres Sacerdotes & Concionatores, qui Monasterium conservarent, in Capella Missas celebrarent, & fundationes ac Indulgentias Capellæ concessas, & alia Capellæ Privilegia observare possent, & qui Stationibus, ab antiquo, Ordini competentibus, tam in oppido, quàm in pagis vicinis nomine Conventus illius oppidi N. cujus erant & remanebant Conventuales, deservirent.

Quinimò Pastor & Magistratus charitate & diligentia Fratrum allecti, subsidia à dictis Fratribus pro Pestiferis, pro Catechismo, & aliis functionibus petierunt, & à superioribus impetrarunt magno cum fructu.

Porro quidam Regulares ibidem commorantes suspicati quod Fratres Minores Recollecti ibidem domum Conventualem figere vellent, recurrerunt ad Regem in concilio suo privato, & Flandriæ, requirentes, ut non tantùm impediretur domus Conventualis, sed etiam instantes, ut Fratres Minores Recollecti quovis titulo, etiam conservationis domus, & concionum ibi hospitantes, ejicerentur, Capella sive Ecclesia Monialium clauderetur, omnis Missarum celebratio, indulgentiarum promulgatio, conciones, & alia munia penitùs interdicerentur, &c. Super his

Quæritur.

1. *An Moniales ratione bellorum potuerint à loco recedere?*

2. *An possint Superiores Ordinis (ut est Commissarius Generalis vel Minister Provincialis) ibidem in loco Fratres qui domum, sive monasterium custodiant, constituere?*

3. *An Fratres domum custodientes possint in Capella sive Ecclesia Missas celebrare, concionari, indulgentias proclamare?*

4. *An Moniales possint cum tempore locum deserere?*

5. *An posito quod Moniales locum deserant, possint Superiores ibi Fratres conventualiter habitantes collocare, aut Monasterium Sororum in Conventum Fratrum erigere?*

Resolutiones.

Ad primum Respondeo: Licuit monialibus ratione periculi bellorum à Monasterio suo recedere, & se in tutiorem locum recipere. Est expressus textus in Regula S. Claræ per Vrbanum IV. Vrbanistis Clarissis accommodata, *Rubrica* 2. *in Princ.* Vbi cum ipsis monialibus clausuram perpetuam præfixisset Regula, & mandasset ut perpetuò *intra Murorum ambitum ad intrinsecam clausuram Monastery deputatum firmiter manere tenereutur*; Exceptionem hanc addit, *nisi forsan, quod absit, superveniret inevitabilis, & periculosa necessitas, sicut exustionis ignis, vel incursus hostilis, seu alicujus hujusmodi, qua dilationem* *Potuerunt Moniales ab illo monasterio se ad aliud recipere.* *Regula Clarissarum per Vrban. 4. Cap. 2.*

lationem nullo modo caperet ad egrediendi licentiam postulandam. In quibus casibus transferant se sorores ad locum alium competentem, in quo, quantum commode fieri poterit, clausa moren-tur, &c. Hæc ibi.

Causa fugæ illarum.

Et hanc quidem provisionem Apostolicam in sua regula contentam Clarissæ Urbanistæ dicti Oppidi. N. secutæ sunt, dum omnes cives actu fugerent, & se ad alias civitates reciperent ob periculum exercitus gallorum, qui instare ab omnibus credebatur, quod & facere coactæ fuerant ante aliquot annos dum ad aliud Oppidum, omnibus simili timore perculsis, iterum fugerunt.

Et antea debuerant fugere.

Superiores tenentur conservare monasteria.

Ad secundum respondeo: primo. Superiores ordinis tenere ex vi officij sui, & in conscientia conservare non tantum personas, sed etiam monasteria, Ecclesias, oratoria, & ordinis sibi commissi privilegia. Hæc responsio ex terminis manifesta est: præcipua enim pars regiminis prælatorum est, personarum, & monasteriorum conservatio, cum suis rebus, juribus, & privilegijs, juxta illud Calcedonensis Conc.C.24. Et refertur à Gratiano 19.Q.3. C. *Qua semel* (inquit) *sunt dedicata monasteria consilio Episcoporum, manent perpetuo monasteria; & res qua ad ea pertinent, monasterijs reservari oportet, nec posse ea ultra fieri sæcularia habitacula. Qui verò permiserint hoc fieri, subjaceant his condemnationibus qua per canones constituta sunt.* Hæc ibi.

Conc. Calcedon. apud Gratian. &c. cap. qua semel.

Sicut tenentur Episcopi, ita & prælati exempti.

Igitur cum in exemptis ordinibus prælati proportionaliter succedant in locum Episcoporum, respectu monasteriorum sibi subjectorum; sicut Episcoporum est Ecclesias & monasteria sibi subdita conservare in personis, Ecclesijs, in juribus, &c. Ita & prælatorum religionum. Unde licuit sine dubio commissario generali ac provinciali, mittere fratres suos ad locum confessionalis, & domum sive monasterium Clarissarum Urbanistarum oppidi N. ut monialibus absentibus, monasterium, Ecclesiam, sive Capellam earum cum suis juribus & privilegijs, ac pertinentijs conservarent. Et ad hoc tenebantur, eo magis quod conservatio similium per sæculares vix fieri possit. Et ut ad singula descendamus.

Similia loca non poterunt conservari à sæcularibus ob indecentiam.

Domus confessionalis, monasterium, sive capella non potuerunt bene per sæculares conservari, nisi per habitationem sæcularium: quia ut supra ex 19.q.3. allegatum est, *Qua semel dedicata sunt monasteria, &c. non possunt ultra fieri sæcularia habitacula*: Non possunt autem à sæcularibus conservari nisi per habitationem

cap. qua semel.

sæcularium; habitatio autem sæcularium in monasterijs non tantum incongrua est, sed etiam ex multis capitibus illicita; cum enim in domibus illis multa sint loca sacris actionibus addicta, illa exponuntur per habitationem sæcularium profanis actionibus & profanationibus illorum, ut ambitus sacri, cæmiteria, oratoria, &c.

Item ob obligationes, jura, & privilegia eorum.

Secundò. Nec Capella, sive Ecclesia congrue conservari possunt à sæcularibus ob obligationes, jura, & privilegia eorum; nam cum missæ, fundationes, & id genus, quæ sunt capellæ velut annexa, debeant in capella quamdiu integra manet, persolvi, ut ea multis probat Riccius *in praxi capell. resol.* 342. *Voluntas enim fundatoris, sicut & Testatoris censetur regina, & dominatur verbis, L. in condit. ff. de condit.* adeoque debet observari: quomodo autem à sæcularibus observabitur, & quare non potius à fratribus ordinis?

Riccius.

L. in condit. ff. de condit.

Similia loca non possunt deseri à superioribus, &c.

Quinimò jure communi prohibentur monasteria à superioribus ordinis deseri absque licentia Papæ, *C. cum ex eo: de excess. prælat. in 6.* ob hujusmodi sine dubio obligationes, & locorum conservationem, immunitatem, & jura talia loca concernentia.

Cap. cum ex eo.

Tenentur fratres min. ibid missas celebrare.

Ad tertium respondeo: primò non tantum licere fratribus ad conservationem monasterij in capella missas celebrare, sed etiam teneri. Ita expresse habetur in bullario Roderig. *Orac.* 34. Leonis X. sub instrumento authentico Gabrielis Merini Archiep. Barrensis, & Episcopi Legionensis; directo ad omnes ministros provinciales, & Fratres ordinis minorum regularis Observantiæ, nec non ad moniales Ordinis S. Claræ, conceptionis B. Mariæ, ac tertij ordinis: in quo instrumento Leo X. decernit; quod ministri provinciales (*si contingat loca aliqua ordinis pro sua devotione tenere sine fratribus illa inhabitantibus*) *quamdiu non sunt omnino ab eis derelicta, teneantur ea aliquando visitare; cum tempus opportunum fuerit, & in Ecclesijs illis aliquando celebrare.*

Ministri provinciarum obligatio ad ista loca.

Leo X. in bullar. Roderig.

Ex quo clare infero, ministri provinciales, mandante Leone X. tenentur in locis necdum omnino derelictis, quæ adhuc retinent, absque tamen fratribus inhabitantibus, aliquando missas celebrare, eaque visitare; ergo multo magis si ibi fratres aliqui ad locorum conservationem ponantur, tenebuntur in istis locis celebrare. Ergo in casu posito, etiam fratres positi in sæpe dicto oppido N. ut monasterium S. Claræ conservent, celebrare in Ecclesia tenentur. Sed & ex jure communi, & totius

Totius Ecclesiæ observatio circa Ecclesias derelictas.

& totius Ecclesiæ observatione constat, inquibusvis capellis, oratorijs, Ecclesiis omni habitatione desertis, quamdiu profanara non sunt, aut interdicto non subjacent, licet Sacerdoti approbato missas celebrare, & fidelibus ibi missam audire; cur non in Capella S. Claræ oppidi N. monasterio aliquo tempore monialibus destituto?

Monasteria S. Claræ monialibus destituta debent applicari usui Fratrum min. &c.

Clara est enim declaratio Sixti IV. quam refert Emanuel Roderig. Tomo 1. QQ. Reg. Q. 38. art. 6. Qui postquam statuit, ut cum contingeret monasteria monialium S. Claræ, monialibus destitui, adeò ut nulla sit spes ea restituendi; illa ac eorum bona usibus fratrum conventuum propinquiorum, sub quorum cura degunt, applicentur, & in illorum utilitatem de ipsis disponatur. Subdit de Ecclesiis & oratoriis: *proviso tamen, quod eorum Ecclesia & oratoria ad profanos usus non redigantur, sed in illis quandoque divina celebrentur officia.* Quam clausulam poni in Mari magno Carmelitarum, Prædicatorum, & Augustiniensium in simili casu auctor ostendit, docetque *clausulam esse sacris canonibus conformem*, citans Sylvest. *V. Ecclesia* 2. *n.* 7. ita ut quovis monasterio deserto, imo destructo, remaneat semper locus sacer, & remanente Ecclesia vel oratorio debeant aliquando divina officia in eo fieri; cur autem non semper liceat?

Sixtus 4.
Roderig.
Sylvest.

Licet ibidem fratribus semper concionari.

Resp. secundo. Licere etiam fratribus quovis tempore in capella monialium clarissarum concionari. Est expressus textus *in cap. dudum de sepult. l.* 3. *Clement. Tit.* 7. Ubi ordinatur Apostolica auctoritate quod Fratres minores, in Ecclesiis suorum ordinum, & locis eorum, ac in plateis communibus libere valeant clero & populo prædicare, ac proponere verbum Dei, hota illa dumtaxat excepta, in qua locorum prælati prædicare voluerint, &c. Ex quo infero: capella monialium S. Claræ oppidi N. est capella ordinis, ergo fratres ibi possunt prædicare, quando volunt.

Clement. *dudum.*

Licet & indulgentias ordinarias promulgare.

Respondeo tertiò. Licere etiam indulgentias ordinarias in festis ordinis promulgare: ratio est, quia illæ sunt concessæ non personis ibi habitantibus, sed locis, Ecclesiis, & Capellis, sive visitantibus loca oratoria, capellas altaria, &c. Ut ex omnibus omnino bullis pontificum constat, ita ut non sit opus ullam citare in particulari; ponuntur enim semper hæ particulæ, *omnibus* utriusque sexus fidelibus (tali die) Ecclesiam, oratorium, sive capellam visitantibus. Igitur sicut in quocumque loco ubi est concessa indulgentia, licet eam promulgare, & fidelibus illam lucrari, cur non in capella clarissarum quamdiu stat, & non profanara vel interdicta.

Indulgentiæ quibus censeantur concessa.

Fuerunt ibidem semper in usu.

Quod autem in nonnullis festis ordinis sint in illa capella indulgentiæ, non est in populo qui ignoret. ex antiquo usu usque in hunc diem. Et Clemens VII. in bulla quæ incipit, *dum fructus uberes. data Romæ 30. May 1525. motu proprio concedit Ecclesiis & Capellis monasteriorum S. Claræ pro personis utriusque sexus omnes indulgentias concessas aut concedendas Ecclesiis Fratrum minorum.* Habetur in bullario Roderig. Bulla 2.

Clemens VII.

Non possunt moniales deserere locum sine licentia Papæ.

Ad quartum respondeo: moniales non posse locum deserere absque licentia Papæ, ut constat cap. *Cum ex eo de excess. prælat. in* 6. Quamdiu itaque talem licentiam à Papa non demonstrabunt, nemo de desertione loci causam movere potest, nec movenda est.

Cap. cum ex eo.

Nec superiores ibi conventum Fratrum erigere absque consensu, &c.

Ad quintum respondeo: non posse superiores ordinis, etiam supposita loci desertione à monialibus, ibi conventum figere, aut fratres conventualiter ibi constituere, absque facultate regis, & reverendissimi Episcopi diœcesani concessione. Hæc etiam responsio ex communi usu & jure patet.

Corollarium.

Ex his constat inconsiderate, ac non sine injuria, & scandalo motam quæstionem illam inter memoratos regulares ibi commorantes contra Fratres minores recollectos super ejectione illorum qui constituti sunt ad domus conservationem, & munia loco & ordini ab antiquo competentia peragenda.

Ex responsione enim ad secundum patet, superioribus non tantum licere, sed etiam ipsos teneri monasterium conservare per personas idoneas, quales sunt Fratres ordinis.

Ex responsione ad tertium: fratres teneri missas fundatas, in capella sive Ecclesia peragere, & aliquando divina celebrare; posse etiam concionari, & indulgentias ibidem loco concessas promulgare.

Ex responsione ad quartum: monasterium necdum desertum censeri, sed tantum ad tempus derelictum, donec revertantur moniales.

Ex responsione ad quintum: fratres non posse ibi conventualiter habitare, seu conventum erigere, absque facultate regis & diœcesani: quam cum Fratres minores recollecti necdum postularint, in-

utiliter

utiliter turbantur PP. illi regulares, injuriose magis petunt illos à conservatione monasterii expelli, contra jura & canones Ecclesiæ, Ecclesiam, sive capellam claudi, & velut interdicto subjici, ac juribus suis & privilegiis omni capellæ consecratæ concessis, profanè spoliari.

Quod juris remaneat regularibus se opponentibus Remanet ergo unicum jus PP. istis regularibus, quo juxta decreta pontificia, in casu quo Fratres minores recollecti ibi attentarent conventum, sive domum conventualem figere, debeant audiri, & possint se juridicè opponere. Sed hoc præmaturum est, & (ut confiditur) non movebitur ista causa, ut sæpius protestatus est, qui has resolutiones ad enucleationem difficultatum, concordiam & pacem inter religiosos, jurium, sui ordinis conservationem, ac securitatem, opponentium scribit, & subscribit, absque ullius præiudicio.

CASUS XIV.

CASUS CONSCIENTIÆ gravissimus.

De regularibus mutuos conventus invadentibus & occupantibus tempore & velut iure belli.

Proponitur casus. Horum bellorum calamitatibus inter Regem Catholicum & Christianissimum, contigit: occupatis oppidis & Civitatibus Regi Catholico subjectis, per Regem Galliæ; Fratres Gallos ordinis S. Francisci Provinciarum Regni Galliæ occupasse plures conventus ordinis in dictis Civitatibus Regis Catholici existentes: ibidem Guardianos constituisse; Fratres nativos non suæ jurisdictionis, vel ejecisse, vel si quos velut sibi utiles retinuerint pro tempore & beneplacito suæ jurisdictioni spirituali (nulla alia superiorum ordinariorum facultate requisita) subjecisse: imò integros conventus monialium absque ordinariorum consensu in suam curam spiritualem & temporalem transtulisse. Conventuum supellectilem sacram, ut sacra vasa, calices, vestimenta, & ornamenta Ecclesiastica, & Bibliothecarum libros in Galliam ad suos conventus transmisisse: idque ut fingebant, quasi jure belli. Indoluerunt plurimi timoratæ & integræ conscientiæ Patres, utriusque nationis tam Gallicæ quam Belgicæ, & infrascripta proposuerunt.

Quæritur.

1. *An tempore belli liceat Fratribus minoribus unius provinciæ externæ, conventus alterius provinciæ occupare, absque licentia speciali Sedis Apostolicæ, & Generalis Ministri, sive capituli generalis?*

2. *An Fratribus minoribus externæ provinciæ, licuerit occasione belli, supellectilem domesticam conventus alterius provinciæ sibi accipere, & appropriare, & velut in prædam in externæ suæ provinciæ conventus transmittere, absque similiter speciali indulto Apostolico, & ministri generalis? &c.*

3. *An potuerint externæ provinciæ Fratres Guardianos in conventibus perperam occupatis Guardianos & superiores instituere veris Guardianis ejectis?*

4. *An, & quam jurisdictionem potuerint exercere in Fratres alienæ provinciæ ibidem remanentes.*

5. *Quid Rex Galliæ potuerit, in conventus oppidorum sic jure belli occupatorum?*

Prænotanda ante Resolutiones.

Pro resolutione accurata harum quæstionum, plura sunt animadvertenda. *Duplex consideratio conventus*

Primò. Conventus Fratrum minorum duplicitet considerari posse: primò, *Materialiter* pro fundis, muris, ædificijs, Ecclesia, & supellectili temporali, ex quibus conventus constituitur, & ad congruam habitationem religiosam aptatur. *Materium Fratrum minorum.*

Secundò. *formaliter*, pro congregatione & personis ibidem sub obedientia legitimi superioris, juxta morem ordinis Deo famulantibus.

Advertendum secundò. Conventum *materialiter* sumptum pro fundis, ædificiis, &c. non pertinere ad ordinem, nisi penes simplicem facti usum: sed si fundatores, sive sint principes, sive alij, aut donatores sibi retinuerint dominium in fundo, ædificio, &c. aut aliqua re, dominium ipsis remanere, (excepta Ecclesia & oratorio ad Ecclesiam pertinente ac Cæmiterio:) sin vero fundatores vel donantes, nil sibi retinuerint, conventus cum omni sua supellectili, in dominium Romanæ Ecclesiæ vel pontificum transire. Ita expresse Nicolaus III. *in cap. Exijt qui seminat, art. 3. §. Ad hæc & §. Præterea loca empta, & §. Loca verò seu domos. Præterea* (inquit) *loca empta de eleemosynis diversis, & oblata seu concessa fratribus, sub quacumque forma verborum, ac à diversis* *Materialiter sumpti qui pertineant ad ordinem.* *Nicolaus III. Cap. Exijt.*

versis, seu pro indiviso possidentibus, seu certas partes in ipsis locis habentibus, in quibus ipsi possidentes pro indiviso, seu certas partes habentes, nihil sibi in obligatione seu confessione huiusmodi reservarint, similiter in ius & dominium ac proprietatem nostram, & Ecclesia predicta eadem auctoritate suscipimus. Loca verò seu domos pro habitatione fratrum à singulari persona vel collegio ex integro ipsis fratribus concedenda, seu etiam offerenda (si talia de voluntate conferentis fratres inhabitare contigerit) perseverante tantum concedentis voluntate inhabitent: ac illa libere (præter Ecclesiam & oratoria ad Ecclesiam destinata & cæmiterium, quæ tam præsentia quam futura in ius & proprietatem nostram & prædicta Romana Ecclesia simili modo & auctoritate recipimus) mutata concedentis voluntate ac ipsis fratribus patefacta dimittant. In quorum locorum dominio seu proprietate nihil nobis, vel prafata Romana Ecclesia retinemus omnino: nisi ea specialiter de nostro, seu ipsius Romana Ecclesia recipiantur assensu. Hæc ibi. Et superius in §. *Ad hæc* de mobilibus dixerat: *Omnium utensilium & librorum, ac eorum mobilium præsentium & futurorum quæ & quorum usum, (facti scilicet) ordini vel fratribus ipsis licet habere proprietatem & dominium*, &c. *in nos & Romanam Ecclesiam Apostolica auctoritate recipimus, & ad nos ipsam Ecclesiam plene & libere pertinere hac præsenti constitutione in perpetuum valitura sancimus.* Hæc ibi.

Idem.

Administratorerum, &c. qui sit demandata Ministris & custodibus. Advertendum tertiò. Administrationem rerum quarum usum fratribus licet habere, & quæ pertinent ad ius Romanæ Ecclesiæ, ab eadem Romana Ecclesia demandatam esse ministris & custodibus respectu suarum provinciarum & custodiarum, ita ut distrahi, & quovis modo alienari nequeant, nequidem per Syndicos & Oeconomos S. Romanæ Ecclesiæ, absque iudicio, voluntate, & dispositione ministrorum. Ita expresse idem Nicolaus in decretali. *Exijt qui seminat. Art. 6.* §. *Quia verò.* *Quia vero* (inquit) *libros & alia mobilia, quibus tam ordo, quam fratres utuntur, quorum dominium (cum non sint domini aliorum) ad prafatam Ecclesiam specialiter spectare dignoscitur, interdum contingit, seu expedit vendi, vel etiam commutari*, &c. *eadem auctoritate concedimus ut commutatio talium rerum, & ad eas res quarum usum fratribus licet habere, de generalium & provincialium ministrorum in suis administrationibus coniunctim & divisim auctoritate procedat. Quibus etiam de dispositione usus talium rerum concedimus ordinare.* Hæc ibi.

Nicolaus III. *eodem Cap.*

Advertendum quartò. Tria in personis Fratrum qui conventus habitant, debent considerari. Primum est: *obedientia ordo* ex vi voti religiosi procedens, quo subijcitur religiosus ordinate superioribus, utpote Guardiano certi conventus; Provinciali determinatæ provinciæ, & generali ministro ordinis, & per illum summo pontifici, qui quidem obedientiæ ordo, ex ipsius religionis & regulæ visceribus nascitur.

Ordo obedientiæ Fratrum minorum.

In primis enim obedientia administrum generalem & summum pontificem in cap. 1. exprimitur. *Frater Franciscus promittit obedientiam & reverentiam Domino Papa Honorio; ac successoribus eius canonice intrantibus, & Ecclesia Romanæ, & alij fratres teneantur Fratri Francisco, & eius successoribus obedire.*

Cap. 1 regulæ.

Deinde obedientia ad Provincialem provinciarum distinctarum exprimitur cap. 2. Ubi fratres recipiendos monentur mittere respective ad *suos ministros provinciales.* Ubi nota, poni particulam *suos* ut distincta provincialium auctoritas designetur. Et in cap. 8. præter ministrum generalem insinuatur, fratres pro singulis provincijs habere distinctos ministros & custodes, qui *in suis custodijs fratres ad capitulum convocent.* Et cap. 10. demandatur visitatio facienda provincialibus circa fratres *suos* non alienos; *fratres* (inquit) *qui sunt ministri & servi aliorum fratrum, visitent, & moneant fratres suos.* Idem de fratribus. *Unde* (inquit) *firmiter præcipio eis, ut obediant suis ministris in omnibus quæ promiserunt Domino observare, & non sunt contraria animæ suæ, & regulæ nostræ.* Iterum: *ubicumque sunt fratres, qui scirent & cognoscerent se non posse regulam spiritualiter observare, ad suos ministros debeant & possint recurrere.* Et cap. 12. Præcipitur fratribus volentibus ire inter Saracenos & alios infideles, *petant inde licentiam à suis ministris provincialibus.* Et in testamento, fratres non volentes facere officium secundum regulam, vel, qui non essent Catholici, ita præcipiuntur tradi viciniori custodi, ut custos teneatur illum custodire, &c. *donec in propria persona ipsum repræsentet in manibus sui ministri.* Ex quibus constat, fratres ex obedientia ordinata, & statu religionis à principio habuisse provincias, & custodias distinctas, & in illis provinciales distinctos, quibus fratres ordinate tenebantur obedire, ne confusio obedientiæ & superiorum oriretur, & religio confunderetur.

Cap. 2. 8. 10. 12.

Secundum. Quod in personis fratrum notatur, est *Ordo iurisdictionis spiritualis*: ex institutione enim, & vi regulæ, spiritualis iuris-

Ordo iurisdictionis

jurisdictio à summo pontifice derivata est in superiores ordinis respective ad suos subditos, ita ut Minister generalis in totum ordinem, provinciales in fratres suæ provinciæ tantum, Guardiani in suos subditos jurisdictionem spiritualem obtineant, quam quisque ordinate in sibi subditos exerceant, in administratione Sacramentorum, absolutione peccatorum, dispensatione, & alijs quæ ad jurisdictionem spiritualem pertinent.

Participatio civilitatu politica. Tertium. In personis fratrum, consideranda est *participatio quadam civilitatu politica*; sunt enim velut pars populi, & in ijs quæ non repugnant suæ vocationi, & statui religioso, de civium privilegiis participant, tenenturque ex natura civilitatis hujus, obedire & servare fidelitatem regibus & principibus in quorum territorio vivunt, quibus & reges tenentur ad protectionem & defensionem. Hæc passim scriptura insinuat, ad Rom. 13. 1. Pet. 2. &c. Unde in capitulationibus communibus civitatum ordinarie continentur religiosi habitantes, si positive non excludantur, vel si de eis mentio specialis non fiat

Eadem provincia in ordine S. Francisci interdum transfunditur per diversa regna. Advertendum quintò. Provincias in ordine S. Francisci non comprehendere solum naturales terræ, nec terminari regum aut principum ditionibus, sed eandem provinciam interdum per diversa regna, & principum diversorum ditiones transfundi; sicut *provincia S. Bonaventura in Gallus*, quæ non solum in ditionibus *Regu Galli a*, sed etiam ad *Comitatum Burgundiæ & Sabaudiam* se extendit. Sic antiquitus provincia Franciæ, & Franciæ Parisiensis habebat sub se custodiam Arthesiæ & custodiam Flandriæ, imò & Leodiensem tractum, ex quibus superiores æqualiter eligebantur, pro utraque parte respectivè: sicut cum in Ecclesia non est distinctio Judæi & Græci, sic minus in religione, quibus non solum *unus Deus*, *una fides*, *unum baptisma*, sed etiam *una regula*, & *professio una* est.

His sic animadversis & prænotatis, pono sequentes resolutiones.

Resolutio 1. Quæstionis.

Absque licentia summi pontificis, &c. non licet sub mort. simile conventus occupare. AD quæstionem itaque primam, Respondeo non licere unius provinciæ Fratribus minoribus, alterius provinciæ conventus occupare absque licentia summi pontificis, & generalis ministri, sive Capituli Generalis, audito ministro Provinciali, & ijs ad quos spectat: peccatque mortaliter qui id attentat, teneturque ad restitutionem. Conclusionem probant quæ secundò prænotato relata sunt. Cum enim conventus (si dominium fundatores non retinuerint) pertineant ad summum pontificē, & Ecclesiam Romanā, cujus auctoritate per capitula generalia conventus sunt adscripti certis provinciis, sub administratione provincialium ministrorum, & legitimorum superiorum, eonvincuntur furti & rapinæ, qui inconsulto summo pontifice, inconsulto ministro seu capitulo generali, renitente ministro Provinciali provinciæ & conventuum commisso à S. Sede administratore, hujusmodi conventus occupant, sive directè, & per se, sive injustè, emendicata principum manu.

Hanc conclusionem etiam infert Decretum Nicolai IV. in Bulla quæ incipit: *Quia provinciarum ordinis vestri distinctio*, &c. *data Reate 3. Idus Maij pontificatus Anno 1.* Qui approbat distinctionem provinciarum factam in Capitolo generali, in præsentia Gregorii X. prædecessoris sui, & districtè prohibet ne in Ordine S. Francisci fiat divisio alicujus provinciæ, absque licentia speciali summi pontificis, per ejus patentes litteras concedenda, facientes plenam & expressam de hujusmodi statuto, & ordinatione, ac inhibitione mentionem; ut habetur in bullario Roderigues: *Bulla 3.* & in compend. privileg. *V. Provincia.* Quid est autem aliud occupatio conventuum alterius Provinciæ, nisi ejus divisio? *Nicolaus IV.*

Similiter Julius secundus prohibet fratribus Minoribus, qui in una provincia secundum morem ordinis vivunt, ædificare domos in alia provincia quæ sub aliena obedientia existunt, ut habetur in comp. *V. ædificare n. 12. & 13.* prohibet recipere domos, etiam ab alijs ædificatas in territorio alterius provinciæ; ergo multo magis prohibuit domos alienæ provinciæ occupare, & vult sibi rapere, invitis habitatoribus legitimis. *Iulius II.*

Hanc iterum conclusionem *probat Bulla Sixti V.* quæ incipit: *Cum sicut nobis, &c. data Romæ apud S. Marcum die tertia Septemb. 1586.* Ubi beatæ memoriæ Reverendissimus P. Franciscus Gonzaga, tunc Minister generalis Observantiæ, deprehendens in suis visitationibus multos conventus habitari à fratribus de cujus habitationis legitimæ titulo, per concessionem Apostolicam non constabat; petit à Sede Apostolica hujusmodi possessionis, seu habitationis pacificæ, & quietæ confirmationem, quam pontifex concessit, pro illis solis domibus quas à decem annis pacificè fratres inhabitabant. In qua Bulla apparet sinceritas conscientiæ Ministri generalis, qua *Concessio Sixti V. ad instantiam Reverendissimi P. Francisci Gonzaga.*

retineri

retineri à fratribus nolebat domos absque justo titulo inhabitationis à S. Sede approbatæ, & consequenter ostenditur necessitas Apostolicæ auctoritatis.

Pæna contra procurantes divisiones conventuum. In Capitulo etiam generali Salmanticensi 1553. Excommunicationis pæna feriuntur, & actibus legitimis privantur ipso facto, qui hujusmodi divisiones conventuum per personas extra ordinem procurant, ut refert Portell. *V. provincia.*

Videant itaque patres alienarum provinciarum, qui absque scrupulo, domos à fratribus actu inhabitatos invadunt, & occupant, & sibi, suæque provinciæ fratribus, absque ullo indulto Apostolico, vel justo titulo adscribunt.

Resolutio 2. Quæstionis.

Similiter non licet arripere aut retinere libros, paramenta AD secundam quæstionem respondeo non licere fratribus alienæ provinciæ libros, paramenta utensilia, conventus alterius provinciæ sibi accipere, aut retinere, absque indulto Apostolico, & dispositione Ministri generalis in toto ordine, vel provincialium in sua administratione, estque mortale peccatum, talia sibi, sive præfatis accipere, aut retinere.

Resolutionem probant quæ in prænotato 2. & 3. sunt dicta. Cum enim illa pertineant ad jus Romanæ Ecclesiæ, & dispositio ac administratio eorum commissa sit Ministro generali in toto ordine, & provincialibus in sua quaque provincia, furtum committere convincitur qui absque Romani pontificis, veri Domini, facultate illa capit, invitis etiam ministris, quibus dispositio & administratio est demandata.

Clement. IV. Quinimo Clemens IV. ita voluit ædificia & utensilia in conventibus ad usum fratrum illos legitimè inhabitantium pertinere, ut si contingeret illos debere deserere loca illa, possint materiam locorum, libros, calices & paramenta secum ad alia loca transferre; imò ædificia præter Ecclesias, per Syndicos Romanæ Ecclesiæ vendere. *Compend. privileg.* Vide compend. privileg V. *ædificare.* Ex qua concessione patet, ita provincialibus commissam administrationem, usum, & dispositionem rerum suæ provinciæ, ut si pontifex, vel generalis Minister, aliter non disponat, non teneantur ulla utensilia suorum conventuum relinquere, quando locum aut deserere violenter cogitur, aut in alium locum suos fratres debeat ex alia occasione transferre.

Resolutio 3. Quæstionis.

Duplex institutio superioris in illis locis AD tertiam quæstionem respondeo: dupliciter superiorem in locis occupatis posse constitui; primò, per modum jurisdictionis delegatæ, & ad actus determinatos in proprios subditos. Ex. g. Si à Provinciali S. Dionysij in Gallijs constituatur Heldinij aliquis pater, qui per interim fratres suæ provinciæ ibi existentes regat, communicata & delegata ipsi potestate sufficienti & necessaria ad transitorium illud regimen, quamdiu ibi sunt, sive quamdiu superioribus placet. Secundo, Constitui dicitur superior, cum potestate ordinaria Guardiani, ita ut talis pro Guardiano illius conventus vere habeatur, & juribus verorum Guardianorum fruatur, votumque habeat in capitulis tam activum quam passivum ex vi hujusmodi guardianatus, &c.

Priori modo possunt ibidem institui superiores à provinciali externæ provinciæ. Dico itaque primò. Licet Provinciali externæ provinciæ, fratribus suis in loco externæ provinciæ legitimè agentibus, pro tempore quo ibi existunt constituere aliquem superiorem delegatum, cui suam auctoritatem in legitimis actionibus utriusq; fori per meram delegationem committat ad necessarium illorum regimen. Ratio clara est: quia hujusmodi superioratus & jurisdictio est mere personalis, & solas afficit personas sibi subjectas: cum enim personæ de quibus agitur, ubicumque sint ad suum provincialem pertineant, jurisdictioni ejus in personalibus quæ à territorio non dependent, subjacent. Quomodo pluribus fratribus ad infideles missis provincialis unum ex illis superiorem constituere potest, & pluribus pro administratione Sacramentorum castra sequentibus, de uno superiore delegato ad libitum revocabili providere. Qualiter autem talis superioratus differat à guardianatu ex infra dicendis patebit.

Non autē posteriori modo. Dico secundò. Non licet Provinciali externæ provinciæ constituere aliquem Guardianum qui verè secundum morem & leges ordinis sit Guardianus in conventibus alienæ provinciæ armis occupatis, absque S. Sedis & ordinis legitima facultate, vel singulari consensu provinciæ ad quem spectat. Hæc iterum resolutio manifesta est: quia Guardianatus est officium & prælatura minor, jurisdictionem utriusque fori habens officio annexam, non tantum in personas, sed etiam in territorium, cujus provisio dependet à conventu, provincia, & capitulis propriæ provinciæ, juxta ordinis constitutiones & Apo-

& Apostolicas sanctiones, ergo ab illis constitui non potest, qui ad provinciam illam non spectat. Vide quæ dicta sunt in prænotatis & responsione ad primam quæstionem. Unde Urbanus VIII. in Bulla quæ incipit: *Exponi nuper fecit: data Romæ die 27. Novembris Anno 1642. Pontific. Anno 20.* Volens sarta tecta conservare jura provinciarum in conventus sic ab exteris occupatos, concessit Provinciis Germanicæ & Belgicæ nationis nominandi, subrogandi & restituendi Guardianos *Titulares*, sive potius (ut loquitur) *habituales*, pro conventibus sic ab exteris occupatis, per proprium Capitulum Provinciale, donec Conventus Provinciæ propriæ restituti essent, & declaravit irritum & inane quidquid in hujusmodi institutionibus à Patribus Provinciarum externarum sub prætextu occupationis prætensæ attentatum foret. Unde miratus sum P. M. Eximium D. Silvium aliquando in his consultum, tam firmiter contrarium sustinuisse, volens Guardianos per Gallos in conventibus Belgij jure belli occupatis constitutos verè esse illorum conventuum Guardianos, nec belgicas provincias alios nominare potuisse, assumpto quodam axiomate, *Quod una sponsa non possit habere simul duos sponsos.* Intelligens per *unam sponsam*, *unum conventum.* Advertere sane debuit; & non decipi, sponsum intrusum à Gallis, non fuisse verum sponsum sed adulterum, quippe qui ad alienam, non viduam, sed violenter separatam, intravit. Institutus eius Guardianus, vel instituendus à propria Provincia semper verus maritus habendus fuit; qui autem ab extera Provincia, sive Provinciali positus est, etsi superioritatem aliquam delegatam in aliquos quasi subditos, habeat, illa tamen superioritas nil habet commune cum officio Guardiani, quòd ordinarium est, quod à capitulo sine diffinitorio instituitur, quod non modo personas, sed & conventum, & territorium eius respicit; quod provinciam sequitur, cujus membrum est conventus sive locus cui præficitur.

Urbanus VIII.

Opinio eximij D. Silvij improbatur.

Resolutio 4. Quæstionis.

AD quartam quæstionem, respondeo primò. Fratres unius provinciæ in propriis suæ provinciæ conventibus habitantes, non tenentur ullo unquam tempore, obedire provincialibus, & superioribus alterius provinciæ, nisi legitima Papæ, vel Generalium, aut Provincialium suorum auctoritate, illis vel in totum, vel in aliquibus legitime subijciantur: unde *Resolutiones*,

Invitis propriis Superioribus non tenentur, nec possunt fratres ibidem habitantes obedire, superioribus alterius Provinciæ.

qui tentant illis præcipere, falcem in alienam messem injustè immittunt, & obedientes illis actu, invitis propriis Prælatis, contra animam & regulam suam peccant.

Hæc etiam resolutio clara est, ex dictis de obedientiæ religiosæ ordine in quarto prænotato, & probatur ex variis juribus & privilegijs, quæ non nisi limitatam potestatem ad certos casus concedunt, provincialibus, & superioribus provinciarum in fratres alterius provinciæ per illos transeuntes; quos nec ad ordines nec ad munus Confessorum vel Prædicatorum promovere possunt, nec in suis provinciis aut retinere, aut incorporare absque licentia Generalis Ministri, vel suorum Provincialium, ut ex statutis generalibus constat: quod signum est, fratres alterius provinciæ in obedientia non dependere ab illis; nec provinciales alienæ provinciæ in illorum regimine se posse intromittere, nisi casibus in jure vel constitutionibus ordinis expressis.

Respondeo secundò. Provinciales qui jurisdictionem spiritualem in fratres alienæ provinciæ exercere tentant, extra casus in jure vel constitutionibus expressos, gravissimis sacrilegiorum, & æternæ damnationis periculis, se, & fratres exponunt. Ratio est, quia actus ut plurimum nulli sunt, & si circa materiam salutis, & Sacramentorum versantur, sacrilege exercentur. Et hæc resolutio patet ex dictis de jurisdictione spirituali in prænotato quartò. Unde (ut supra dixi) notare debent Provinciales externi, invito proprio Provinciali, extra casus in jure vel constitutionibus ordinis permissos, seclusa etiam singulari auctoritate Papæ, vel Generalis, nec per se, nec per suos, posse fratres alienæ provinciæ absolvere, illis Sacramenta ministrare illos ad officium confessarij præsentare, illos ad officia ordinis, quibus annexa est jurisdictio spiritualis, promovere; cum enim in præfatis casibus, & seclusa auctoritate Apostolica, ac superiorum ordinariorum beneplacito non sint subditi, nec alienæ provinciæ superiores extra casus dictos habent in illos jurisdictionem; nec illis, cum subditi non sint, legitimè jurisdictionem conferre possunt: & eodem modo concludendum est de jurisdictione in conventus monialium perperam assumpta.

Qualiter provinciales perperam tentantes exercere jurisdictionem spiritualem in alios fratres.

Resolutio 5 Quæstionis.

Non potest Rex immutare ordinem jurisdictionis spiritualis in Fratribus Ordinis S. Francisci.

AD quintam quæstionem respondeo. Primò Rex jure belli occupans civitatem, etsi possit immutare obedientiam & jurisdictionem civilem circa subditos, non potest tamen immutare ordinem obedientiæ religiosæ, aut jurisdictionis spiritualis in Fratribus Ordinis S. Francisci, sine interventione auctoritatis Apostolicæ, vel Ministri, sive Capituli Generalis. Ratio hujus resolutionis est, quia ordo obedientiæ religiosæ, sicut & jurisdictio spiritualis, sunt juris divini, & jurisdictio spiritualis, ab Ecclesiastico Hierarcha necessariò dimanat; obedientia vero religiosa oritur ex vivoti, quod (ut supra diximus) prænotato quatto, ex natura sua, & vi Regulæ determinatum est ad Guardianos, & Ministros, sive custodes Provinciæ, in quo quis vovit, vel cui legitimè juxta Decreta Ecclesiæ & Ordinis est adscriptus; & demum ad Generalem Ministrum; & ad Papam, quem quidem ordinem nemo alterare potest, nisi summus pontifex, aut qui ex regula, vel legibus ordinis hanc potestatem habet, quam non habent Ministri alienarum Provinciarum, nisi per commissariam aliquam potestatem à Generali Ministro, vel Provincialibus illis communicetur: nihil vero Rex in illa obedientia, quæ est juris divini, immutare potest, sicut nec in jurisdictione spirituali, quæ (ut dixi supra) ab Ecclesiastico Hierarcha dimanat, cujus Rex, vel potestas sæcularis (ut talis) est incapax. Unde si quid interdum potestas Regia super immutatione obedientiæ Fratrum decernat, de temporali & civili aliqua in fratribus dispositione interpretandus est disponete. Quod reliquum est obedientiæ religiosæ, & jurisdictioni spirituali relinquens, quam provincialis alienæ provinciæ usurpare non potest in non suos. Sed (ut sæpe dictum est) superiorem potestatem Papæ, vel superiorum legitimorum requirit. Dixi verò (*etsi possit immutare obedientiam & jurisdictionem civilem*) illi enim se accommodare tenentur Fratres Minores ex participatione civilitatis, si in loco remanere velint, & volentes habitare, cujuscumque tandem Provinciæ sint, potest Rex compellere ad obedientiam, & jurisdictionem civilem & juramentum fidelitatis sibi præstandum, tenenturque volentes remanere Regi in supradictis jure civilitatis obedire.

Potest immutare obedientiam & jurisdictionem civilem.

Respondeo secundò. Rex jure belli occupans civitatem, aut oppidum, capitulatione facta de conservandis civibus, & religiosis in juribus & privilegiis suis (quæ licet civilitati & statui politico non adversantur) tenetur non tantum sæculares, sed etiam religiosos favore in conditionibus capitulationum factarum. Ratio petenda est ex fide Regia: unde si in capitulationibus, jura & privilegia, & jurisdictiones religiosorum intacta servare Rex paciscatur, illa servare tenebitur. Quinimò si religiosi à communi capitulatione facta cum civibus, specialiter non excludantur, censebuntur comprehensi ex participatione civilitatis.

Tenetur servare religiosis in capitulationibus factis.

Hoc iterum constat ex dicto prænotato quatrò, religiosi enim in civitatibus degentes non sunt peioris conditionis quam cives, cum civibus in omnibus quæ suæ vocationi & statui religioso non adversantur, ut pars populi, communicant.

Respondeo tertiò. Obedientia religiosa ordinata Fratrum Minorum sub regimine cujuscumque Provinciæ ordinariæ, ac provincialium & superiorum ordinariorum nihil officit civilitati & obedientiæ politicæ, ac fidelitati debitæ Regibus; nec interest Regibus, si Fratres ab ordinarijs superioribus regantur, modo sibi obedientiam politicam, & civilitatem juxta status religiosi conditionem observent. Ratio resolutionis est; quia hæc obedientia, hocque regimen, cum sit spirituale & alterius ordinis, ex se nihil habet commune cum statu politico, nihilque ei adversatur. Sunt enim religiosi velut Cunei Prophetarum, in separatis à sæcularibus Monasteriis velut solitudinibus, & excelsis laudantium Deum. *Computantur cum sexaginta fortibus, lectulum Salomonis Regis pacifici ambientibus, & cum custodibus qui constituti sunt super muros Ierusalem, qui tota die & nocte, non cessant laudare nomen Domini*; habentes pro gladiis Cytharas *carminum Domini*; pro arcu, *phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Si enim conserventur à Regibus in exercitijs vocationis suæ, nec permittantur se immiscere politicis, sed solum sub obedientia pulitica, ipsorum statui accommodata contineantur, quid interest, cujus regimini tandem in sua vocatione subdantur?

Ordinata obedientia Fratrum Minorum non officit civilitati & obedientiæ civili.

1 Reg. 10. vers. 10. Cantic. 3. vers. 7. Isaiæ 62. vers. 6. Apoc. 5. vers. 8.

Sanè 2. Machabæorum 3. commendantur Reges & Principes quod templum Jerusalem summo honore dignum ducerent, & maximis muneribus illustrarent.

Vers. 2. 3.

rent. Laudatur Seleucus Asiæ Rex, quod præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes, civitas tamen jam in alienam potestatem devenerat; externo Regi subjiciebatur, Sacerdotes interim nativi reliquerant, & in honore etiam ab infidelibus habebantur, qui non obstante infidelitate, in eorum sacrificiis publicæ utilitati bene sperabant. Quid igitur interest regibus, si à nativis religiosis conventus inhabitentur, modo (ut dixi) obedientiam civilem & fidelitatem Regi exhibeant?

Per naturales melius populus in spiritualibus fovetur

Imò plurimum interest Regi, ut populus per naturales instruatur, & in spiritualibus foveatur: à nativis enim velut uberibus, dulcius lac sugitur. Hoc vero quodam naturæ ductu apprehenderat Rex Assyriorum 4. Reg. 17. cum ducto in captivitatem populo, & novis colonis in terram Israël, voluit ut Sacerdos nativus provideretur, qui (ait scripti.) *vadat, & habitet cum eis, & doceat eos legitima Dei terræ.*

Vers. 17.

Objectio Notabilis.

Dices, religiosi terræ naturalis in nativos Reges nativam propensionem habent; unde minus Regi, jure belli, civitates occupanti, inclinantur. Provinciales etiam, cum in ditione alterius Principis vel habirent, vel converserentur, alicujus suspicionis, vel saltem incertitudinis notas omninò evadere non possunt.

Hæc est petra scandali sine dubio, & mutationum fundamenta.

Respondeo itaq; primò. Hoc modo nec esset civibus aut incolis prioribus fidendum, & ideò in colonias & captivitatem omnes dispergendi. Hoc magnanimitas & clementia Regia non concludet, quæ similibus terminis angustari nequit.

Respondeo secundò. Plus religiosis fidendum, quam communi plebeculæ, quibus pro religiosa perfectione conscientia purior, scientia & virtus amplior est.

Ex praxi antiqua & moderna evelluntur omnia temeraria judicia & suspiciones

Respondeo tertiò. Praxis communis, antiqua & moderna, omnia temeraria judicia & suspiciones evellit. Ante enim divisionem Provinciarum, Provincia Franciæ, & demum Franciæ Parisiensis sub se habuit, Custodiam Flandriæ, Custodiam Arthesiæ, & tractum Leodiensem; & pro ratione electionum aliquando Provincialis ex Francia, aliquando ex Flandria eligebatur, electus verò totam Provinciam gubernabat, absque delectu nationis, ut modo Provincia S. Bonaventuræ Galliis adhuc sub se, habet custodiam Comitatus Burgundiæ, & Sabaudiam totam. Numquid defuerunt bella inter Principes & Reges, ditiones illas sub una Ordinis Provincia possidentes? Numquid oportuit occupantibus mutuas civitates Regibus sive Principibus Fratres nativos à conventibus eijcere, aut provinciarum regimen immutare & perturbare? majoris certe animi sunt Reges, qui nati sunt, non tantum indigenis, sed barbaris imperare, quanto magis viris religiosis, & Deum timentibus, quibus clementia Principum plus confert quam imperium. Quid igitur? tempore pacis omnes sub vita sua quieti manserunt: tempore belli provisum est publicæ, & civili securitati, non mutatione jurisdictionis, aut obedientiæ, sed militari prudentia & æquitate, ut nimirum durante bello religiosi passim non admitterentur, aut dimitterentur, nisi de scientia, & conscientia ministrorum Regis quorum intererat. Nec provinciales ad partes hostiles irent, aut à partibus hostilibus ad subditas principum terras intrarent, nisi facultate Regum & Principum respective obtenta, & conditionibus ab illis requisitis, juxta necessitatem suarum functionum.

CASUS XV.

Resolutorius quorumdam dubiorum circa nonnullas indulgentias concessas Ecclesiis Fratrum Minorum

Dubium primum.

An in festo sacrorum Stigmatum die 17. Septembris concessa sit indulgentia plenaria sacularibus, visitantibus Ecclesias Fratrum Minorum, ubique terrarum existentes.

Concessio indulgentia Portiuncula pro Ecclesia montis Alverna in festo S. Stigmatu.

Advertendum primò. Bonifacium nonum (aliis octavum) concessisse & communicasse indulgentiam Portiunculæ, de die 2. Augusti, visitantibus Ecclesiam montis Alvernæ 17. Septembris in die Stigmatum S. Francisci: ut habetur in Bulla relata à Joanne Baptista Confettio Protonotario Apostolico, & S. Theologiæ, & juris Canonici Doctore, in collectione privilegiorum præfati Bonifacii Bulla 4. quæ incipit: *splendor paternæ gloriæ, Data Perusii calendis Decembris pontif. anno 4.* Quam indulgentiam confirmavit postea Sixtus IV. additis magnis privilegijs pro abso-

Eiusdem confirmatio & ampliatio.

absolutione à casibus reservatis, per Bullam quæ incipit: *Pastoris æterni. Datam Romæ apud S. Petrum. Anno Dominicæ incarnationis* 1473. *Nonis Aprilis pontif. anno* 3. & aliam quæ incipit: *Ex iniuncto nobis officio. Datam* similiter *Romæ apud S. Petrum anno* 1478. *quarto Kal. Feb. pontif. anno* 5. quas refert idem Confettius *Bulla* 15. & 17. *eiusdem pontificis.*

Indulgentia concessa uni Ecclesiæ frat. Min. extenditur ad omnes alias eorū Ecclesias.

Advertendum secundò. Leonem X. In Bulla quæ incipit: *Dudum per nos accepto.* &c. *Data Romæ apud S. Petrum die* 10. *Decembris. Anno* 1519. *pontificatus anno* 7. Omnes indulgentias, & peccatorum remissiones quæ uni Ecclesiæ aut oratorio Ordinis Minorum intuitu religionis ipsius concessæ, vel in posterum essent concedendæ, ad omnes ejusdem Ordinis Ecclesias, & oratoria ac personas eas visitantes, ac si nominanter exprimerentur, extendisse, & motu proprio, ac ex certa scientia communicasse: ut habetur apud supradictum Confettium ejusdem pontificis *Bulla* 28. & apud Emanuelem Roderiguez *in Bullario Bulla* 36. Cui similem, & ampliorem Bullam refert in eodem Bullario, datam à Clemente VII. Bulla 2. quæ incipit: *Dum fructus uberes*: ubi iterum asserit Roderiguez eandem communicationem approbatam & innovatam à Paulo IV. Pio V. Gregorio XIII. Sixto V. His sic prænotatis, ad dubium propositum sic respondetur.

Resolutio.

Visitantes Ecclesias Fratrum Minor. in festo S. Stigmatū, lucrantur indulg. plenar. qualē in festo Portiunculæ. Leo X.

IN Festo Stigmatum Sacrorum S. Francisci, quod incidit in 17. Septembris, est indulgentia plenaria (qualis in festo Portiunculæ) pro omnibus utriusque sexus fidelibus Ecclesias, sive oratoria Fratrum Minorum, ubivis existentium visitantibus: ideoque ex extensione facta per Leonem X. *Bulla allegata in* 2. *notabili.* Resolutio patet ex terminis Bullæ, in qua pontifex: *Omnes* (ait) *& singulas gratias & concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, privilegia*, &c. *à dictis prædecessoribus, aut à nobis, ipsisque successoribus, aut alias auctoritatem habentibus: coniunctim vel divisim in genere vel in specie concessa, vel concedenda*, Fratrum Minorum, & aliorum ordinum ibidem expressorum, domibus, & illorum Ecclesijs oratoriis, *ac Ecclesias ipsas, & oratoria ipsa, pro tempore visitantibus, cuiuscumque status aut sexus* existerent &c. *Illa* (inquit) *omnia & singula ac si nominatim exprimerentur, pro sufficienter expressis, tunc habentes singulis ordinibus prædictis, illorumque singulis Ecclesiis, oratoriis, & Ecclesias ac oratoria visitantibus cuiuscumque status aut sexus existerent*, &c. *motu proprio & ex mera nostra scientia* (inquit) *& liberalitate, & de Apostolicæ auctoritatis plenitudine communicavimus.*

Ex quo infero: ergo & indulgentia plenaria eadem, quæ in festo Portiunculæ à Bonifacio IX. visitantibus Ecclesiam montis Alvernæ 17. Septembris in die SS. Stigmatum concessa fuit, ad omnes alias Ecclesias, & oratoria Fratrum Minorum eâdem die visitantibus communicata est.

Ioan. Bapt. Confettius.

Et hanc sententiam expressis terminis tenet idem Joannes Baptista Confettius *in indice collectionis privilegiorum*, &c. Impressionis Venetæ anno 1607. sub ligno Italiæ: his verbis *Indulgentia portiunculæ pro die festivitatis sacrorum Stigmatum B. Francisci, conceditur cum facultate absolvendi à reservatis. p.* 25. 79. 81. *& per communicationem extenditur p.* 132. & in impressione Coloniensi Joannis Kinchii sub monocerote anno 1619. eadem verba in Indice ponuntur citatis pro concessione præfatæ indulgentiæ *pag.* 19. 64. & 65. & pro extensione illius *pag.* 107. ex quo constat praxim illam, de indulgentia præfata omnibus Ecclesiis eiusdem ordinis communicata, fuisse ex tunc in Italia communem, cum & librum suum Clementi octavo dedicaverit, & absolutè absque disputatione illam agnoscat.

In Italia praxis illa communis.

Ioan. de la Cruz.

Eandem sententiam docet Joannes de la Cruz lib. 2. de statu religionis, & privilegiis cap. 44. §. 3. *num. ex dictis*: ubi allegat Pium IV. ad instantiam Philippi II. Hispaniarum Regis simili modo privilegia spiritualia, sive indulgentias uni domui Ordinis S. Hieronymi concessas ad omnes domos extendisse. Similiter Clementem octavum, & alios pontifices idem aliis ordinibus concessisse. Ex quibus latissimam concludit pro ordinibus communicationem.

Indulgentia concessa uni domui Ordinis S. Hieron. similiter extensa ad alienas domos.

Clarissimè & expressè in simili idem tenet Roderiguez qq. regularium. tom 1. qu. 55. art. 8. ubi relata communicatione facta per Pium IV. Ordini S. Hieronymi sic de indulgentia Portiunculæ infert. *Ex quo* (ait) *infertur quod indultum portiunculæ concessum S. P. N. Francisco*, &c. *Infertur* (inquam) *quod dictum privilegium omnibus utriusque sexus Monasteriis Ordinis sic commune: sic contriti & confessi visitantes Ecclesiam monasteriorum Ordinis S. P. N. Francisci tam virorum, quam mulierum, hanc eandemmet indulgentiam consequantur, sine eo quod confraternitati Chordæ S. P. N. Francisci sint conscripti. Nam per communicationem omnia indulta concessa uni Monasterio dicti ordinis, omnibus aliis eius-*

Roderig.

dem

dem ordinis monasterii, tam virorum quam mulierum sunt communia. Hæc Roderiguez. Unde infertur à majori ratione indulgentiam concessam montis Aluernæ in die stigmatum, alijs Ecclesiis ordinis communicatam esse virtute dictorum privilegiorum.

De quibus indulgentiis fit illa extensio intelligenda.

Duo tamen hic notanda sunt. Primum: indulgentias hic communicatas, & extensas debere intelligi de illis, quæ intuitu ordinis, seu festorum ordinis alicujus, uni domui concessæ sunt: si enim alia externa ratione concessæ fuerint, illæ non censentur extendi, ut de confratriis & aliquibus alijs constat, Unde Leo X, citata Bulla expressè declarat, quod indulgentiæ stationum, & aliæ particulares concessæ Ecclesiæ S. Mariæ de populo Romæ, ubi sunt Augustiniani; non censeantur concessæ, pro sæcularibus, alijs domibus, quia non sunt præcisè concessæ ratione ordinis.

Non potest intelligi de indulgentiis Ecclesiæ S. Maria de populo.

Duplex respectus in illa extensione.

Secundum est: quo in communicatione, & extensione præfatarum indulgentiarum, servetur duplex respectus, *unus est*: ut indulgentiæ concessæ uni Ecclesiæ (ut præfertur) extendantur ad omnes ejusdem ordinis Ecclesias; *Alter* ut indulgentiæ concessæ uni ordini in festis ejus, communicentur proportionaliter alteri ordini in festis suis, de quo in sequenti Dubio.

Dubium 2.

An in festis Martyrum Ordinis S. Francisci visitantibus eiusdem Ecclesias indulgentia plenaria concedatur?

Communicatio indulgentiarum inter Ordinem Minorum & Prædicatorum.

NOtanda est Julij II. concessio sive communicatio facta inter Ordinem Minorem & Prædicatorum, ad supplicationem Ferdinandi Regis, quæ habetur apud Joannem Baptistam Confettium data Romæ apud S. Petrum die 1. Junij 1509. pontif. anno 6. in qua omnes indulgentias concessas Fratribus Prædicatoribus in festivitatibus Sanctorum ordinis sui; communicat Ordini Minorum in festivitatibus ordinis illius: & proportionatè & è converso concessas in festivitatibus Ordinis Minorum, communicat festivitatibus Ordinis prædicatorum: *Ita quod* (inquit pontifex) *ea qua in honorem Sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, Catharina de Senis Fratribus, vel locis Prædicatorum sunt concessa, omnia illa fratribus Minoribus præfatis, eorumque locis, in festivitatibus Sanctorum, Francisci, Antonij, Ludovici, Bernardini, Bonaventuræ, quinque Martyrum dicti ordinis qui apud Marochium Martyrij coronam adepti sunt, & S. Clara, & in alijs festivitatibus dicti Ordinis Minorum (licet sint in maiori numero quàm festa ipsorum Fratrum Prædicatorum) sint & intelligantur concessa, ad tollendam quamcumque hæsitationem, & inde forte ortum scrupulum, auctoritate & tenore præfatis declaramus*

Julius. II.

Eadem declaratio habetur apud Bullarium Roderig. *Bulla* 19. dicti pontificis, & iterum *tomo* 1. *qq. Reg. qu.* 55. *art.* 20. Notandum vero mendum Typographorum irrepsisse in exemplaria collectionis privilegiorum impressionis Venetæ, Coloniensis ad finem declarationis Julij, quæ habent ista verba (*licet sint minori numero*) in Bullario enim Roderiguez & loco allegato *qq. regularium* ponitur (*licet sint in maiori numero*) & ita correxi ne aliquis hallucinaretur.

Mendum Typographorum in aliquibus exemplaribus.

Resolutio prima.

IN festo quinque Martyrum qui apud Marochium, tamquam primitiæ ordinis, passi sunt, visitantes Ecclesias Fratrum Minorum lucrantur indulgentiam plenariam. Ratio est; quia talis indulgentia jam concessa est, visitantibus Ecclesiam Fratrum Prædicatorum in festo S. Petri Martyris: constat autem ex concessione Julij II. omnes indulgentias concessas in festis Sanctorum Ordinis Prædicatorum, proportionatè concedi visitantibus Ecclesias Fratrum Minorum in festis eorum proportionatè inquam, ita ut festis Martyrum, correspondeant festa Martyrum; & festis Confessorum, ac Virginum, festa Confessorum & Virginum, in utroque ordine respectivè. Ut ita expressè Roderiguez supra allegato loco. Non refert quod tempore Julij II. necdum plenaria indulgentia esset concessa festo S. Petri Martyris, aut alijs festis Martyrum Ordinis Prædicatorum, solæ autem indulgentiæ tunc concessæ, videantur à Julio II. communicari: quia ut bene notat Emanuel Roderiguez *tom.* 2. *qq. Reg. qu.* 88. *a.* 5. Leo X. proprio motu post Julium II. concessit ordinibus Prædicatorum, & Minorum respective, & communicavit omnia concessa, & concedenda in futurum; ut idē Roderiguez demonstrat, & refert *tom.* 1. *q.* 55. *a.* 1. ubi & recenset Bullam amplissimam Clementis VII, ad eandem comunicationem probandam, quas extensionum Bullas ibidem asserit confirmatas per Paulum IV, Pium V. Greg. XIII. & Sixtum V. Addo ego per Clementem VIII. & Paulum V.

Indulgentia plenar. in festo quinque Martyrum

Roderig.

In festo S. Hyacinthi indulg. plenar. apud Prædicatores.

lum V. unde nulla amplius dubitatio modo subsistere potest: ex quo Roderiguez loco immediatè allegato art. 20. probat in festo S. Hyacinthi, cujus canonizatio postrema est, sæculares visitantes Ecclesias Fratrum Prædicatorum lucrari indulgentiam, quam visitantes Ecclesias Minorum in festo S. Didaci, quæ à Clemente VIII. concessa est, virtute illarum communicationum inter ordines factarum. *Hoc enim* (inquit) operatur communicatio privilegiorum, etiam in posterum concedendorum.

Resolutio secunda.

In festo septem Martyrum indulgent. plenar. apud Minores.

IN festo septem Martyrum 13. octobris, sæculares visitantes Ecclesias Fratrum minorum lucrantur indulgentiam plenariam. Ratio iterum sumenda est ex communicationibus supracitatis, quæ nulla festa ab hac communicatione excipiunt. Et quidem Julius II. Solum expressit festum quinque Martyrum, quia alij septem adhuc ab Ecclesia non erant canonizati: ne autem excluderentur festa futura addidit (*licet in maiori numero sint*) cæteri ergo pontifices generaliter illam communicationem extendentes omnia festa, & ad omnia in gratiam festorum in futurum concedenda, nullum festum excludunt, nisi eorum qui necdum ab Ecclesia canonizati sunt, sed tantùm beatificati; quia propriè de istis festum non fit, sed tantum officium permittitur, Quod notandum est pro Martyribus Japoniensibus, & Officio B. Joannis Capisttani, & aliorum beatificorum tantùm, in istis enim diebus non est indulgentia plenaria Ecclesias Ordinis Minorum visitantibus.

Pro festis beatificatorum tantū, non est illa communicatio.

CASUS XVI.

De reconciliatione Ecclesiarum pollutarum per Guardianos Ordinis S. Francisci.

Quæritur.

Proponitur Quæstio.

1. *An Guardiani Conventuum Ordinis Sancti Francisci ex concessione Leonis X. possint reconciliare Ecclesias pollutas sui ordinis cum aqua per Episcopum benedictâ; & an id sit in usu? de quo affirmativam tenere videtur Barbosa* Tit. de offic. & pot. Episcopi alle. 28. numer. 64. *& cum privilegium supradictum Leonis X. non solum loqui videatur de Ecclesiis ordinis sancti Francisci.*

Barbosa Tit. de officio, &c.

2. *An non exstet ampliatio illius per aliam Bullam, aut doceri possit esse in usu, quod Guardiani dicti ordinis Fratrum Minorum (& consequenter alij privilegiati) possint rogatu Episcopi vel ex eius commissione Ecclesias non suas reconciliare aqua per Episcopum benedicta.*

Ad 1. Quæstionem.

RESp. primò. affirmativè, & est praxis communis in Ordine S. Francisci, & Bulla clara Leonis X. *apud Bullarium* Roderiguez. *Bulla 6.*

Praxis communis in ordine S. Francisci.

Resp. secundò, Verba Bullæ determinativa esse ad Ecclesias ordinis, & privilegium ita practicari.

Ad 2. Quæstionem.

REspondeo per sequentes Resolutiones.

Resolutio prima.

NOn possunt Episcopi dare auctoritatem simplici Sacerdoti reconciliandi Ecclesias, etiam aquâ per Episcopum benedicta. Est textus expressus *de consecratione Ecclesiæ vel altaris. Cap. aqua*, ubi sic dicitur: *Aquâ per Episcopum benedictâ Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum, non negamus; per simplices Sacerdotes hoc fieri, de cætero prohibentes, non obstante consuetudine,* &c. cujus rationem addit pontifex ibidem: *Quia licet Episcopus committere valeat quæ jurisdictionis existunt: Quæ ordinis Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus clericis demandare,* Hæc ibi: & hanc doctrinam sequuntur omnes Canonistæ, & Theologi communiter.

Simpl. ei Sacerd. non potest ab Episc. dari hæc auctoritas.

Cap. aqua de consec. Eccl. &c.

Resolutio secunda.

SUmmi pontifices pluries dederunt Episcopis facultatem demandandi simplicibus Sacerdotibus reconciliationes Ecclesiarum. Ita testatur Angelus *V. consecratio* Ecclesiæ, & alij passiim.

Angelus.

Resolutio tertia.

PRobabilissimum est, Episcopum posse committere Guardianis Fratrum Minorum, sivè aliis privilegiatis reconciliationem Ecclesiæ sæcularis per aquam ab Episcopo benedictam: ratio est. Quia jam potestas reconciliandi Ecclesias est Guardianis præfatis, sive privilegiatis concessa à Papa: & quamvis quoad objectum sit determinata & specifica, non est tamen

men per aliquam prohibitionem restricta: non enim Bulla Leonis dicit Prælatos Regulares Fratrum Minorum posse *Ecclesias tantum suas reconciliare*; Sed simpliciter absque exclusiva, suas; ita ut non prohibeat alienas, si accedat Ordinarii Episcopi commissio. Explico: Solus proprius Episcopus ordinariè potest Ecclesias suæ Diœcesis consecrare vel reconciliare, prohibeturque alieno Episcopo Ecclesiam alterius Diœcesis consecrare, nisi ex commissione Episcopi proprii: similiter: Abbas sui Ordinis tantum Ecclesias ordinario jure reconciliat; non est dubium tamen quin ex commissione Episcopi possit etiam alienas, maximè ubi Episcopus per se commodè non potest. A pari: Quod habet Episcopus ex ordine, hoc habet Privilegiatus, sicut & Abbas ex Privilegio S. Sedis: & sicut Episcopus ex ordine habet potestatem, per jurisdictionis terminos limitatam, & determinatam ad suas Ecclesias; ita Privilegiatus ad suas: ergo sicut per commissionem Episcopi jurisdictionis, actu potestas alieni Episcopi potest extendi ad Consecrationem, & Reconciliationem alienarum Ecclesiarum: ita potestas facta Privilegiato pro Ecclesiis suis, poterit per commissionem (quæ tantum fit per modum extensionis actualis usus jurisdictionis) etiam rogante Episcopo Ecclesiam sæcularem reconciliare. Nec *c. Aqua* supra-citatum huic contrariatur: Quia potestas reconciliandi non censetur data vel demandata ab Episcopo, sed à Papa, qui cum non prohibeat alienas Ecclesias ex ordinarii voluntate reconciliari, censetur permittere. Et hanc sententiam indicat Lugo *de Sacramento Eucharistiæ disp.* 20. *Sect.* 2. *num.* 61. ubi dicit Ecclesiam oportere reconciliari ab Episcopo, *vel etiam* (inquit) *ab habentibus Privilegium à Sede Apostolica, quale datum fuit à Leone X. Minoribus*, &c. *absque Privilegio tamen non potest, etiam ex commissione Episcopi*, &c. Ex quo

Simile de Episc. consecrante Ecclesias alterius Diœcesis.

Item de Abbate.

Potestas illa, à quo censeatur tunc data Privilegiato.

Infero: ergo cum Privilegio, sive supposito Privilegio, potest reconciliari Ecclesia à privilegiato ex commissione Episcopi.

Victoria. Sa. Sylvius.

Citat porrò Lugo ibidem Victoriam *in Summa q.* 99. & Emanuelem Sa *V. Ecclesianum.* 20. necnon Sylvium *q.* 83. *a.* 3. (ut puto in 3. *P. de Sacramento Eucharistiæ*) quasi doceant ex praxi Episcopum posse committere simpliciter reconciliationem Ecclesiæ inferiori Sacerdoti: sed quia istos auctores ad manum non habeo ut illos videre possim: ideo poterunt ab alio consuli. Stet autem mea sententia quam in praxi tutam arbitror, quod Privilegiato ad reconciliandas suas Ecclesias, possit Episcopus committere proprias, aquâ tamen per se benedictâ.

Sententia tuta in praxi.

CASUS XVII.

De appellatione contra Visitatorem Regularem.

Regularis quidam in Ordine Mendicantium deputatus est Visitator propriæ Provinciæ à suo Superiore Generali: Provincialis Provinciæ appellat ad S. Sanctitatem contra Visitatorem hujusmodi, eumque mediante appellatione hujusmodi, vult à visitationibus impedire, prætextu gravaminis & causarum quas putat, & credit esse justas.

Propositus Casus.

Quæritur.

An hujusmodi appellatio suspendat Visitationis executionem, sive ipsam visitationem.

Ratio dubitandi est: Quia in Concilio Tridentino *Sess.* 13. *cap.* 1. *de Reformatione.* decernitur his verbis: *In causis visitationis & correctionis, sive habilitatis, sive inhabilitatis, nec non criminalibus, ab Episcopo seu illius in Spiritualibus Vicario Generali, ante definitivam sententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine non appelletur*, &c. Hic autem in casu agitur de causis visitationis, & correctionis; de Superiore Generali: de habilitate vel inhabilitate, &c. Ergo in hoc casu non datur appellatio nisi fortè quoad effectum devolutivum non suspensivum.

Concil. Trident.

Prænotanda ante Resolutionem.

Ad pleniorem Casus Resolutionem advertendum est Primò. Dupliciter appellari à Visitatione seu Visitatore: & quidem Primò. Ab ipsius persona, utpotè quod lege, vel statuto sit inhabilis, incapax, suspecta, partialis, &c. Secundò. Ab ejus actibus in progressu visitationis, ut à correctionibus, pœnis, gravaminibus, &c.

Duplex appellatio à visitatore.

Advertendum Secundò. duplicem etiam dari Visitatorem: Alius enim est Ordinarius cui competit ex officio suo, in cujus pacifica possessione est, visitare: Alius est delegatus cui ex officio visitatio non competit, sed ex commissione & delegatione transitiva Superioris. His sic prænotatis ad responsiones distinctas procedo.

Visitator alius ordinarius, alius delegatus.

Resolutio Casus.

Non licet appellare à visitatore ordinario, si sit in pacifica possessione officij.

RESpondeo itaque Primò. Non licet appellare à persona Visitatoris Ordinarii, cui ex officio competit auctoritas visitandi, si sit in pacifica possessione officii: & si appelletur, appellatio non suspendit. Ratio est: quia quamdiu in pacifica possessione officii est, reputandus est officio dignus: & ex natura officii, non tantum potest sed & tenetur visitare. Et hoc concludit decretum Concilii Tridentini allegatum dum dicit: *In causis visitationis & correctionis ab Episcopo, seu ejus in Spiritualibus Vicario, non appelletur:* Sub Episcopo enim intelliguntur, qui quasi Episcopalem potestatem ordinariam habent in Subditos, ut sunt Generales & Provinciales Ordinum: & Vicarius Episcopi in Spiritualibus Ordinarius est, penes quem Ordinaria Episcopi potestas residet ex vi officii.

Concil. Trident.

A delegato quando liceat appellare.

Respondeo Secundò. Licet appellare à visitatore delegato, ubi causa incapacitatis, inhabilitatis, suspicionis gravis partialitatis subest, & ista appellatio si realibus nitatur fundamentis suspendit executionem: Ratio est, quia non appellatur in causa visitationis, vel correctionis: Sed appellatur in causa commissionis & delegationis, in personam ob aliquam legem, vel statutum, inhabilem, vel incapacem, &c. Censeturque fieri antequam in pacifica possessione visitationis sit. Unde si admissus fuerit legitimè visitator ad visitationem, visitatione inchoatâ non appellatur appellatione suspensiva ab eo: Si autem ante, ante legitimam admissionem, vel in ipsa admissione appelletur legitimè, appellatio suspendit. Et ita tenet Emanuel Roderiguez *qq. Regul. tom. 2. q. 4. art. 2.* Ubi potestatem datam Generalibus vel Capitulis assignandi visitatores, interpretandam censet *Civili* (ut ait) *modo, dummodo scilicet non sint suspecti: Princeps enim dando judicem, non videtur permittere nisi debito modo agatur,* &c. Quæ latius multâ legum allegatione prosequitur, & concludit: *Visitatores autem* (inquit) *suspecti justè inhabiles ad visitandum censentur: Si enim Privilegium concessum ad eos eligendum ad justè suspectos extenderetur, injustum profectò judicaretur,* &c. Propter hanc causam in Ordine S. P. Francisci prohibetur ne visitator ex eâdem Provincia, quam visitare debet, extra casum necessitatis, belli, vel alterius impedimenti gravis assumatur: Ad vitandas utique appellationes, & prætextus suspicionum, & recusationum ob aliquam partialitatem, cum visitator (utique Judex Provinciæ & Syndicator Provincialis) debeat esse neutralis & indifferens. Prohibetur etiam ne assumantur nisi ex gravioribus Patribus qui fuerunt Ministri Provinciales vel Diffinitores Provinciarum; ne prætextus assumatur de inidoneitate & in omnibus Religionibus, ejusmodi Casibus, per Constitutiones & leges, provideri solet.

Roderig.

Visitatores in Ordine S. Francisci quales esse debeant.

Provincialis potuit appellare à persona visitatoris.

Respondeo igitur Tertiò. Et principaliter subsistente causâ probabili notabilis gravaminis, suspicionis, partialitatis, aut similis impedimenti juridici: Potuit Provincialis appellare à persona visitatoris, & modò facta sit ante captam possessionem juridicam, per actus, vel modos jure requisitos, appellatio suspendit, donec causa sit diffinita. Hæc responsio patet ex præcedente responsione: Censetur enim hujusmodi persona ad officium visitationis inhabilis, & ad Provincialem specialiter spectat ad hoc attendere, quia ejus Syndicatio per visitationem exercetur: & sicut liberum est Reo prætenso appellare à judice ante causam contestatam ob prævisum aliquod grave periculum injusti gravaminis: sic & Provinciali in hujusmodi causa à Syndicatore & visitatore. Caveat tamen ne fictè, vel quæsito colore, aut calumniosè id faciat, quia censuras, & pœnas non evaderet.

CASUS XVIII.

De Statu Canonissarum in Belgio.

Proponitur Casus.

EST quoddam Collegium Nobilium Virginum in Belgio, sub instituto Canonissarum viventium; in quo juxta antiquissimam Fundationem Nobilissimæ. N. Stirpis Regiæ, Nobiles Virgines ad hæcusque tempora vivunt, cœlibem vitam agentes sub obedientia, & regimine unius Abbatissæ amictu Ecclesiastico, à Sæcularibus distincto, officia divina persolventes; quæ antiquitùs in communi vivebant; successu autem temporis, ex communibus bonis præbendæ in singulas assignatæ & distributæ sunt. Ex antiquæ autem fundationis traditionibus, & variis monimentis, & ex nonnullis eventibus ingestus est major scrupulus, & suspicio non modica, de statu Religioso: Unde & mihi sequentes Quæstiones moverunt.

Quæstiones.

1. *An primæ fundationis virgines fuerint verè Moniales, tribus Religionis votis essentialibus solemniter adstrictæ?*

2. *An moderna, in vim prima fundationis, debeant censeri Regulari & Religiosæ vita adstricta?*

3. *An ad vitam Religiosam sive Monasticam, saltem qua succedent, possint cogi?*

Rationes dubitandi fuerunt sequentes.

PRima. Quia Collegium illud passim vocatur nomine *Monasterii* in antiquis chartis; & Virgines ibi viventes nomine *Monialium*, sive *Sancti-Monialium* appellatæ sunt; & interdùm modò adhuc apud Vulgum nominantur.

Secunda. Quia Collegium ad modum Monasterii ædificatum fuit; ut apparet ex Claustri ambitu, Dormitorio, Refectorio, & aliis Monasticis Officinis, quarum adhuc vestigia visuntur.

Tertia. Quia habitum ad similitudinem Monialium, à communi veste sæcularium distinctum habent; Velo, dum ad Ecclesiam procedunt, utentes.

Quarta. Quia certis cæremoniis, dum habitum (quem vulgo *Pelisse* nuncupant) accipiunt, utuntur non absimilibus à Monialium vestitione. Primò enim petunt sibi panem concedi. Secundò per verbum *Exuat te*, sæculari habitu exuuntur; & demum per adprecationem *Induat te*, Ecclesiastico habitu induuntur. Tertiò velum sic indutæ datur. Quartò imponitur ei probatio, velut annus probationis an poterit observare, quæ aliæ observant.

Quinta. Quia quando post probationem installantur, petit Abbatissa *An velit esse Religiosa, & bene vivere, sicut aliæ vivunt?* Et instillanda respondet. *Ita.* Quod videtur innuere implicitam quandam illius status professionem; quoad obedientiam, quia imponitur ei ut Abbatissæ & Senioribus obediat; quod absque licentia domo exire non possit: Cœlibem etiam vitam, dum ibi est, servare debere intelligitur. Et ex communibus bonis sua præstatio ei communicatur. Denique de obligationibus ad divinum officium admonetur. Quæ omnia Monasticam vitam sapiunt.

Advertenda ante Resolutiones.

PRo vero & sincero intellectu status Collegii, sive Congregationis hujusmodi; & ut accuratè Quæstiones propositæ resolvantur,

Nomina Monasterii & Moniales olim analoga. Advertendum Primò. Nomen *Monasterii*, sicut & nomen *Monialis* sive *Sanctimonialis*, apud antiquos fuisse multum Analoga: nec *Monasterii* nomen, pro habitatione tantùm Monachorum; nec nomen *Monialis* pro vera & propriè dicta Religiosa fuisse assumptum, sicut nec nomen Monachi pro vero & propriè dicto Religioso: sed universaliter *Monasteria* dicebantur *domus, in quibus personæ à communi sæcularium conversatione separata Deo & pietati vacabant, Collegialiter viventes; etsi frequentius nullo voto essent adstricta*: Et consequenter fœminæ sic viventes *Moniales*, sive *Sanctimoniales* solebant nuncupari: & hæc omnia similitudine sumptâ ab ædificiis Cœnobiorum apud Monachos, & Moniales, & eorum vivendi modis. *Origo ejus rei.*

Hujus porrò totius rei originem deducit Dionysius Carthusianus l. de vita & Reformatione Canonicorum art. primò à primæva & antiqua conversatione Christianorum, de quâ Act. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat*: De quorum vita, teste S. Hieronymo *l. de Viris illustribus*, scripsit Philo Judæus; ubi docet, in Prima Marci Evangelistæ Ecclesia apud Alexandriam, tantam fuisse Christianorum pietatem & continentiam, ut in communi viverent, *& habitacula eorum Monasteria* (ait Dionysius) *nuncuparentur.* Subjungit: *Ex quo factum est, ut multiplicatâ jam nimis Ecclesiâ, Qui modo* (ait) *prætacto se subtraxerunt à turba fidelium, propria possidentium in duo genera sint divisi.* Prosequitur: *Quidam enim vitam & professionem assumpserunt Monasticam; Alii inter homines sæculares permanserunt, & deservierunt Ecclesiis sub Sanctorum Episcoporum viventes regimine*, &c. Quæ exemplificat de Canonicis: *Sancti* namque (ait) *Episcopi, qui illis temporibus fuerunt, conjunxerunt sibi fideles devotos & litteratos, qui erant Episcoporum domestici, aut prope domum Præsulum commorantes, ac inter se vitam communem ac sanctam ducentes, juxta præinductam Apostolicam institutionem, cum additionibus devotis, quas eis tradiderunt Episcopi*, &c. *Laudibus Dei vacantes, ac mediâ nocte surgentes, aut paulò post, ad persolvendum nocturnum ac matutinale officium.* Hæc Dionysius.

Act. 4. vers. 32.

S. Hieron. Philo Judæus.

Dionysius Carthusia.

Modus vivendi antiquorum Canonicorum.

Qualiter autem illi à Monachis distinguerentur docet verbis sequentibus. *Verumtamen* (ait) *instar Monachorum non fecerunt vota solemnia omni Religioni Monasticæ Substantialia.* Infradictorum Canonicorum, ad nostram rem, vitam prosequens: *Quorum* (ait) *loca, Monasteria dicebantur, habebantque Refectorium unum, & Dor-*

Qui fuerunt distincti à Monachis.

& Dormitorium idem divinis obsequiis diligenter intenti, omnesque incontinentiam vitantes, &c.

Conc. Turonens. 3.

His conformia habentur in Concilio Turonensi 3. *cap.* 23. ubi de Clericis & Canonicis scribitur: *Quod in claustris habitantes, simul omnes in uno Dormitorio dormirent, simulque in uno reficerentur Refectorio*, &c.

Concil. Aquisgr. 1.

Hos autem veros Monachos, aut Religiosos non fuisse, docet Concilium Aquisgranense 1. *cap.* 115. *Quia licebat illis linum induere, carnibus vesci, dare & accipere proprias res*, &c. *Quod* (inquit) *Monachis qui secundum Regularem institutionem, arctiorem ducunt vitam, penitùs inhibitum est: Tamen in cavendis vitiis & amplectendis virtutibus, eorum & Monachorum distare non debet vita.* Hæc Concilium. In quo plurima exercitia Clericorum Religiosis similia deducuntur à *cap.* 121. *usque ad* 124.

Id etiam inter fœminas factum fuit.

Quod si in Sexu virili hæc divisio eorum, qui Domino vacare volebant, facta est, ut alii Monasticam, alii Canonicam vitam sectarentur absque votis: id ipsum actum esse in Sexu Fœmineo, ex Canonibus, & historiis sacris satis legenti constare potest. Ita enim notatur in *Clementina. Attendentes. De statu Monachorum in* 6. in qua fit mentio quarundam *Mulierum quæ vulgo dicuntur* (inquit) *Canonicæ sæculares, & quæ ut sæculares Canonici vitam ducunt non renuntiantes proprio, nec professionem aliquam facientes.* Et has mandat Pontifex per Episcopos visitari, auctoritate quidem Ordinariâ, si exemptæ non sunt, auctoritate autem Apostolica, si sint exemptæ.

Clement. *Attendentes.*

Cap. *Indemnitatibus.*

Et de his etiam agitur in Cap. *Indemnitatibus tit. de electione & elect. Potest.* §. *Supradicta in* 6. Ubi sic habetur: *Sunt* (ait) *juxta quarundam Provinciarum consuetudinem Mulieres, quæ nec propriis renuntiant, nec Professionem faciunt Regularem, sed vivunt, ut in sæcularibus Ecclesiis Canonici sæculares*, &c. Et has quidem vixisse velut in *Monasterio*, & nomine *Monialium* aliquandò nuncupatas testatur Concilium Rhemense *sub Eugenio* 3. *Can.* 4. ubi de Reformatione earum agens Pontifex: *Ad majorem* (ait) *domus Dei decorem adjicientes, Statuimus, ut Sancti-Moniales & Mulieres, quæ Canonicæ nominantur, & irregulariter vivunt juxta beatorum Benedicti & Augustini rationem vitam suam in melius corrigant, & emendent.* Ut autem constet in quo illa Reformatio fieri deberet, subjungitur: *Superfluitatem & inhonestatem vestium recidant, & in Claustro sint assiduè permanentes, Choro, Refectorio, & Dormitorio sint contenta, & relictis præbendis, & aliis propriis, earum necessitatibus de communi provideant*: In quibus verbis antiqua facies Canonissarum exprimitur; non enim voto aliquo astringebantur, nec aliquam Regulam in speciali vovebant: sed rationem aliquam vivendi sibi accommodam ex Regulis antiquorum Monachorum habebant; sub qua ex bonis communibus Ecclesiæ, in eodem Choro, Claustro, Refectorio, Dormitorio, communiter sustentabantur ad modum Sancti-Monialium.

Concil. Rhemēse.

Antiqua norma vivendi Canonissarū.

Non erant adstrictæ alicui voto solemni.
Synod. Diœcesan. August.

Nulli autem, ne quidem continentiæ voto ob id adstrictas fuisse, constat ex Synodo Diœcesana Augustensi *cap.* 12. ubi eadem reformatio proponitur: *Canonissæ* (inquit Synodus) *Continentiæ studium, nullâ voti solemnitate obstrictum sectantes; commune habeant Dormitorium, Habitu modesto, mundo, & Castitatis indice utantur.* Et exhortans illas ad vitam communem subdit: *Magna quoque instituti sui commoda ex mensa communione perciperent, si contrà inveteratum apud eas morem adduci ad hoc possent: quod ut faciant eas in Domino hortamur.* Ex quibus verbis manifestum evadit, quod etsi velut in Monasterio ad modum Regularium sive Sancti-Monialium viverent, & aliquando Sancti Monialium nomine vocarentur, nullo tamen voto per se obstrictas fuisse; quod bene notandum est.

Multas vero fuisse Congregationes Virginum sic Collegialiter viventium, etsi nullis adstrictæ votis essent, probant historiæ antiquissimæ: Sic enim in vita S. Marthæ legitur: Quod *in locum à viris remotum, cum aliquot honestissimis Fœminis se receperit, ubi summâ cum laude pietatis & prudentiæ diu vixit*, Breviarium Romanum in vita ejusdem.

Breviar. Roman. in vita S. Marthæ.

Quadam Virginitatem solemniter profitebantur.

Advertendum Secundò, in hujusmodi Congregationibus & Collegiis fuisse interdum quasdam, quæ virginitatem solemniter profitebantur, & virginitatis velum solemniter accipiebant ab Episcopis, solemni pompâ; ut de S. Gertrude, Aldegonde, & aliis legitur: Sicut & de nonnullis Viduis, quæ similiter Velum Viduitatis accipiebant. Quinimò refert Tamburinus *de jure Abbatissarum & Monialium, Disp.* 7. *Quæstio* 4. *num.* 1. *ex Glossa in Cap. Dilecta verb. Canonissas Extr. de Majorit. & Obed.* Consuevisse in illis Congregationibus Abbatissam, Priorissam, & Sacristam virginitatem perpetuam vovere.

Tambur.

Non tamen erant veræ Religiosæ.

Unde per errorem aliqui, & non pauci voluerunt probare, vel ex hoc colligere, illas fuisse veras Religiosas, ratione Veli & Voti Virginitatis. In quo decipiuntur arbi-

arbitrantes Veli susceptionem fuisse Monasterii susceptionem.

Triplex velum quod in dabatur. Distinguendum igitur fuit inter *Velum Monasticæ Professionis*, *Velum Virginitatis*, & *Velum Viduitatis*, quæ solemniter conferebantur.

Distinctio duplicis velationis ususu. *Velum* enim *Monasticæ Professionis* conferebatur simpliciter omni mulieri professionem Religiosam emittenti, etiamsi corrupta fuisset, vel etiam vidua esset; imò & Bigama, idque ab eo qui professionem jure suscipiebat.

Velum autem *Virginitatis* non nisi Virgini integerrimæ, cujus multo tempore integritas probata esset, vel quæ Virginitatem Deo voveret, idque magnâ & solemni pompâ à solis Episcopis, exclusis Chorepiscopis & Sacerdotibus aliis: nullatenùs autem ab Abbatissis, ut videre est in Concilio antiquissimo Regiensi *sub Sixto III. c.* 40. Carthaginensi 2. & 3. sub *Syricio* 1. c. 36. apud Gratianum 26. *qu.* 6. *c. Presbyter* Clarissimè in Concilio Parisiensi 3. *sub Lothario & Ludovico Imperator. Sub Cælestin. Papa cap.* 3. & in alterâ edit. *cap.* 6.

Qui & quando ea vela solerent dare. *Concilia.*

Nec fiebat nisi diebus solemnioribus *Epiphaniæ, Paschæ sive Dominicæ in Albis, natalitiis Apostolorum*, ut videre est apud Gratianum 20. *q.* 1. *c. devotis*; & apud S. Ambrosium *cap.* 5. *ad Virginem lapsam*.

Velum Viduitatis quibus conferrebatur. *Velum* denique *Viduitatis* conferebatur non passim omnibus Viduis, sed iis quæ diutissimè jam probatæ, Professionem castitatis Vidualis solemniter in manu Episcopi emitterent. Unde Clemens Romanus lib. 3. Apostolicarum Constit. *cap.* 1. *Viduas constituite non minores annis sexaginta, ut quodammodo propter illarum ætatem fixis certi, eas Bigamiæ suspicione carere.* Et Concilium Arausicanum primum sub Leone I. *c.* 27. ut videre est apud Gratianum 27. *q.* 1. *c. Viduitatis: Viduitatis servandæ Professionem coram Episcopo in Secretario habitam, impositâ coram Episcopo veste Viduali dicimus non esse violandam.* Et in Concilio Parisiensi supra *cap.* 40. *Presbyteri* (ait) *inconsultis Episcopis suis, velum Viduarum consecrare non præsumant, prorsus interdicimus*, &c. Et infra *cap.* 43. prohibet in Abbatissis & cæteris omnibus Sancti-Monialibus *ne Viduam, aut Puellam Virginem velare præsumant.* Idque sub pœna gravis correctionis, &c.

Clemens Rom. *Cap. Viduitatis.* *Conc Parisiens.*

Vidua Moniales non velabantur velo. Ita vero hæc vestis & velum conveniebant Viduæ ab Episcopo ad viduitatis statum in sæculo admissæ, ut etiam Concilia prohibuerint velare Viduas Moniales, Velo scilicet Viduali: ut videre est in Gelasii 1. *Epistolâ* 1. *ad Episcopos Lucaniæ*, & in Synodo Arelatensi 2. *cap.* 27. Turonensi 3. *cap.* 27. Parisiensi supra *cap.* 40. Quæ omnia bene advertenda sunt, ne ex ratione velationis decipiamur.

Gelas. 1.

Religiosæ in strictâ acceptione tria constituunt. Advertendum Tertiò, & ultimatè. Ad Religiosam sive Monialem in vera & rigorosa acceptatione constituendam, tria maximè requiri. Primùm, ut tria vota Religionis essentialia emittat & profiteatur. Secundùm, ut in statu & ordine Religioso, ab Ecclesia ut tali approbato, fiat Tertium, ut fiat secundùm Regulam ab Ecclesia approbatam.

Concilia. Hæc est sententia communis totius Ecclesiæ, prout in Concilio Lateranensi *sub Innocentio III. cap.* 13. & in Lugdunensi *sub Gregorio X.* §. 23. *de Religiosis domibus*, &c. cautum est. Et Extra: *Cum ad Monasterium de statu Monachorum*, suppositâ obedientiâ, quæ est vinculum omnis Congregationis & vitæ Monasticæ. Idem Innocentius III. post multa quæ de Religionis statu disseruit: *Abdicatio* (ait) *Proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa Regulæ Monachali, ut contra eam, nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.* *Innocent. III.*

Resolutio ad Quæstionem primam.

Non fuerunt veræ Religiosæ. NObiles Virgines in Collegio. N. viventes non fuerunt veræ Religiosæ, sive Moniales in rigorosâ significatione acceptæ.

Ratio fundamentalis & manifesta est: Quia illis defuerunt omnes conditiones requisitæ ad veram & propriè dictam Religionem. Quod sic declaratur.

Primò. Quia tribus votis Religionis essentialibus professæ non fuerunt: Nec potest horum votorum signum aliquod certum in antiquis historiis reperiri. Etsi enim quamdiu ibi in Collegio vivebant, obedire Abbatissæ, in Cœlibatu vivere, & aliquam communem vitam ducere debebant: Obedientia nihilominùs domestica, & Cœlibatus nullo voto firmabantur; & quamvis communi Refectorio uterentur, propriis tamen non renuntiabant: Similes in hac re Canonicis, de quibus egimus notabili primò. Undè in cap. *Attendentes. Non renuntiantes propriò nec Professionem aliquam facientes*: Et in Cap. *Indemnitatibus* supra citat. *Dicuntur Mulieres, quæ nec propriis renuntiant; nec Professionem faciunt Regularem*: & quamvis eodem Choro, Dormitorio, Refectorio uterentur, & ut plurimùm perpetuam Virginitatem in eodem loco servarent, non emittebant tamen vota, nisi fortè aliquæ votum Virginitatis ratione cujus ab Episcopis velabantur, ut S. Gertrudis à S. Amando; sed illud velum *Cap. Attendentes.*

Monas-

Monasticæ professionis non erat, ut supra annotatum latiùs fuit.

Cap. Quicumque. Quod autem nec propriis renuntiarent constat ex Concilio Tributiensi apud Gratianum 12. *qu.* 5. *cap. Quicumque.* Ubi, sicut Clericis in gradu Ecclesiastico permissum erat *testari*, *& cognatu in hæreditatem succedere*: *Similiter* (ait) *de Sancti-Monialibus assignatur.* Ubi nomine *Sancti-Monialium* intelliguntur Virgines illæ, quæ Deo in locis illis vacabant more Religiosarum.

Non sunt in eis signa sufficientia veræ Religionis. Dices: Signa Religionis videntur sufficientia, Monasterium, Cœlibatus, Vita communis, Velum, Habitus, & aliæ cæremoniæ, &c. de quibus in rationibus dubitandi: Signum autem professionis implicitæ certum videtur: Quod ante installationem interrogarentur ab Abbatissa his verbis: *An velint esse Religiosæ, & bene vivere sicut aliæ?* Cui interrogationi respond. *Ita*: Quæ interrogatio, sicut & responsio videntur innuère implicitam Religionis professionem.

Respondeo nihilominùs neg. assumptum. Et ad prima quidem signa dico esse merè analoga, Monasterium enim, Cœlibatus, vita communis, velum & habitus, cæteræque cœremoniæ nullatenùs concludunt de Religione strictè accepta; sed tantùm de modis piè Deo vacandi Religioni strictæ acceptæ similibus, prout satis ostensum & declaratum est toto notabili primò & secundò. Unde & apud antiquos

Domus Asceticæ antiquitus pro Puellis. erant *domus illa Ascetica* seu exercitatoriæ, in quibus Puellæ Virgines in pietate exercebantur, quæ dicebantur *Monasteria*: & quibus Virgines Velatæ, seu quæ Virginitatem profitebantur, Primiceriæ erant, cæteræ tamen ordinàriè nullo voto adstringebantur: de quibus videri po-

Palladius. test Palladius *l.* 8. *de vitis Patrum cap.* 135: de magnâ; ubi inter decem millia Virginum, quæ erant Ancquæ, duo millia in Asceticis exercebantur: & *cap.* 137. refert in civitate Antinoi fuisse duodecim Monasteria sive Ascetica hujusmodi Puellarum, & inter cætera Talidam Virginem, quæ in exercitatione fuerat octoginta annis, habuisse secum habitantes sexaginta Adolescentulas, quæ ibidem solo ipsius amore detinebantur; ita ut Monasterii aula, nec clave quidem obfirmaretur. Igitur Monasterium, cœlibatus, vita communis, velum, habitus, à communi sæcularium modo distincta, signa fuerunt vitæ piæ & exercitationis virtutum in illis locis; non autem veræ Religionis: Quod de velo maximè constat, quod ab Abbatissa in hunc diem datur; cum tamen velum virginitatis non nisi ab Episcopis; & Monasticæ professionis, non nisi à Sacerdotibus benedictum conferatur. Cæteræ cæremoniæ communes sunt, non tantùm Congregationibus, sed etiam Tertiariis Religionum, quæ in propriis domibus vivunt.

Interrogatio Abbatissæ & responsio candidatæ non sunt etiam signum sufficiens. Urgentiur fortè videbitur alicui ratio super interrogatione & responsione, assumpta pro probatione professionis implicitæ: Verum illa seipsam dissolvit: Interrogat enim Abbatissa: *An velint esse Religiosæ, & bene vivere sicut illa*: id est eodem modo, quo *illæ sunt Religiosæ, & sub eodem modo vivendi*: Nec responsio aliud concludit. Atqui illæ, ut dictum est, non sunt veræ Religiosæ sumpto vocabulo in rigore suo, nec vivunt sub votis tribus Religioni essentialibus, nisi secundum aliquam Analogiam: ergo quæ aggregantur, non se mancipant aliter observantiis loci, nec fiunt aliter Religiosæ, quam sub illâ Analogia, qua aliæ interdum sic nuncupantur. Sed ad aliam conditionem procedamus.

Status illarum nunquam fuit approbatus ut verè religiosus. Cap. Attendentes. Secunda igitur conditio veræ Religionis, Canonissis illis defuit à principio: Quià status illarum, ut Religiosus, sive in essentiali ratione Religionis nunquam ab Ecclesia approbatus fuit. Hoc constat particulariter & expressè ex *Cap. Attendentes.* supra: ubi quamvis Pontifex statum illarum non reprobet in qualitate sua (ut benè adnotat Azorius *Instit. Moral. l.* 13. *c.* 9. *versu* 5. *Quaritur*) declarat tamen, *se non approbare* in qualitate status Religiosi; unde, cum mandaret illas visitari per Episcopos, sive ordinariâ sive Apostolicâ auctoritate, subdit; *Per hoc tamen non intendentes earum statum, Regulam, seu Ordinem approbare.* *Azorius.* Quod etiam repetitur in *cap. Indemnitatibus.* Suprà: ubi cum qualitatem seu laudabilem modum vivendi illarum Virginum ad modum Canonicorum retulisset, subdit: *Per hoc tamen earum statum, Ordinem, seu Regulam noluimus nec intendimus approbare.* *Cap. Indemnitatibus.*

Non habet Regulam approbatam. Nec Tertia conditio dictis Collegiatis convenit: Nullam enim Regulam approbatam habent: sed si quas ordinationes sive constitutiones habeant pro suo regimine & exercitiis, illæ non sunt nisi leges accommodæ, & ex modis quibusdam Regulæ S. Benedicti, aut aliis antiquiorum Religiosorum deductis, & voluntariè assumptis absque ulla Ecclesiæ approbatione, ut ex *cap. Attendentes, & Indemnitatibus* supra expressè ostendimus, & in notabili primò latiùs demonstratum est.

Resolutio

Resolutio ad Quæstionem 2.

Nullo voto explicito vel implicito vera Religiosas adstringuntur.

NObiles Virgines modernæ in Collegio. N. hactenus receptæ, non sunt veræ Religiosæ, nec ullo voto, sive explicito, sive implicito adstringuntur.

Hæc Conclusio ex superioribus probarionibus satis constat: tam quoad vota, quàm quoad statum & Regulam. Posito enim quod antiquiores etiam à principio non fuerint Religiosæ, multo minus hæ, inter quas nulla vitæ communis ratio, sed omnia particularia & propria eis sunt; & præter habitationem Collegialem, & Officium divinum, vix à sæculari vita distare videntur.

Esto olim fuissent verè Religiosæ, modò tamen non sunt.

Addo, quod quamvis primitivi status Virgines veræ Religiosæ fuissent, modernas tamen nullo Religionis propriæ dictæ vinculo teneri; sed tum longâ temporis præscriptione, tum sensu & consensu Ecclesiæ à primis jam obligationibus absolutæ forent: tum quia professionem trium votorum non emittunt: tum quia sub una ex Regulis quatuor approbatis, aut singulari Regulâ confirmatâ non militant: tum quia Novitiatum propriè dictum nullum habuerunt: tum denique quia & ante annos à Conciliis positos in infima ætate suscipiuntur, & in gradum Canonissarum ante decimum sextum annum frequentius promoventur, qui gradus professioni correspondet. Quæ omnia ex decretis Conciliorum nullam professionem reddunt, &c.

Resolutio ad Quæstionem 3.

Ordinario jure non possunt cogi ad vitam Religiosam Monasticã.

QVæ deinceps huic Collegio adscribentur, ad Religiosam vitam Monasticam jure ordinario cogi nequeunt. Ratio est prima, quia Collegium ad vitam Monasticam à prima sui fundatione institutum non fuit, sed solum ad Puellas Nobiles in pietatis exercitiis educandas & sustentandas.

Secunda, Quia Congregatio illa (etsi non in qualitate Religionis) in qualitate tamen laudabilis Congregationis à S. Sede approbata est, & usque ad hæc tempora legibus sanctis conservata. Vnde etsi, intra terminos legum pristinarum, reformari possit, ad perfectiora tamen non tenetur: *Nemo* enim *invitus cogitur crescere*, teste S. Bernardo *l. de Præcepto & Dispensatione.* Vnde sicut Collegium Canonicorum, in Monasterium jure ordinario nequit mutari; sic nec Collegia Canonissarum, in Monasteria Monialium. (S. Bernar.)

Dixi semper (*jure ordinario*) causis enim justis exigentibus interdum suprema auctoritate fieri potest, quod ordinario jure fieri nequit.

Dices. Pius V. in Bulla *circa pastoralis officij*, Omnes Congregationes Fœminarum mandat ad solemnia vota emittenda & clausuram induci; & casu quo noluerint, prohibet, ne ullæ deinceps in Congregationibus hujusmodi recipiantur, inhabilitans quaslibet professiones & receptiones hujusmodi pro futuro: ergo similiter in Congregationibus Canonissarum eodem jure procedi potest.

Responsio ad decretum Py V.

Respondeo negando consequentiam. Ad assumptum dico: Pontificem tantùm agere de Congregationibus Religiosis, sive Religionis nomen assumentibus, & in ultimo puncto loqui tantùm de quibusdam Tertiariis, ut ex textu Bullæ clarum est. Quo eodem sensu Innocentius 2. c. *Perniciosam* 18. *q.* 2. aboleri jubet *Perniciosam & detestabilem consuetudinem quarumdam Mulierum, quæ licet* (inquit) *neque secundum Regulam B. Benedicti, neque Basilii aut Augustini, vivant: Sancti-Moniales tamen vulgo censeri desiderant.* Igitur Pontifices non simpliciter omnes Virginum Congregationes, quæ trium votorum Professionem non emittebant, abolere voluerunt; sed tantùm eas quæ sub nomine Religioso, irregulariter vivebant, aut nomen sine re portare volebant. Textus sunt clari. (*Cap. Perniciosam.*) (*Quas congregationes Virginum voluerint Pontifices abolere.*)

Aliud porrò est de Canonissis quæ nec Sancti-Monialium nomen unquam ambierunt, sed more primævorum Canonicorum vitam piam in divinis officiis & exercitiis, collegialiter vivendo sub Ecclesiasticis legibus (etsi absque obligatione voti) hactenus duxerunt.

Qui super prædictis omnibus auctoritatem Doctorum habere desiderat, legat Tamburinum de jure Abbatissarum & Monialium *Disp.* 7. *Quæsito* 4. Qui plures citat; inter alios Azorium *Instit. Moral. tom.* 1. *l.* 13. *c.* 9. Barbosam *in Collect. Doct. l.* 3. *Clement. Tit.* 10. &c. Qui etiam docet illas Matrimonium contrahere posse, quia nullis votis aut legibus ab eo arcentur; & ad Cœlibatum dumtaxat, pro tempore quo ibi sunt, obligantur: ad quod allegat binas Resolutiones Rotæ: & alia ibidem tractat hanc materiam concernentia. (Tambur.) (Barbosa. *Iuxta illã possunt contrahere Matrimonium.*)

Resolutiones. I CASUS

CASUS XIX.

Super receptione Novitiarum tam ad habitum, quàm ad professionem, in quodam Monasterio Canonissarum Regularium.

Proponitur casus. IN quodam Monasterio N. Nobilium Virginum, sub Regula S. Benedicti militantium, orto schismate & dissidio inter Abbatissam, & sex illi adhærentes; ac Priorissam, octo illius partes sequentibus: Superveniente causâ Puellas ad habitum Religionis, sive etiam Professionem admittendi: Abbatissa (ut moris est) induendas primò; deinde post annum probationis, professuras proposuit suo Capitulo, ut communibus votis admitterentur. Omnibus itaque quæ à parte Abbatissæ stabant eas admittentibus: Priorissa cum suis, recusat eas admittere quomodocumque habiles & capaces, nullâ allegatâ causâ recusationis, etiamsi ab Abbatissa urgerentur rationem suæ recusationis allegare.

Quæritur.

1. *An, supposito quod nulla causa rationabilis recusationis hujusmodi à parte adversa allegetur, Abbatissa non possit de jure puellas (aliàs idoneas) ad habitum Religionis & Professionem admittere, non obstante recusatione majoris partis factâ, sine allegatione, ut dicitur, causa sufficientis?*

2. *An, in casu quo Abbatissa (ut prafertur) puellas sic recusatas ad Professionem admiserit, ita teneat Professio, ut à judice non possit annullari?*

Pro Resolutione accurata & clara hujus difficultatis, & duplicis quæstionis motæ, tria primò examinanda sunt, & resolvenda, ex quibus præfatæ quæstiones dependent.

Primum. Quid jus antiquum primarium & commune circa receptionem Novitiarum & earum Professionem decernat?

Secundùm. An aliquod jus novum sive secundarium, aliquid antiquo primario addiderit, & quid?

Tertium. An in Monasterio N. prater jus commune, sive primarium, aliquod jus privatum & singulare, sive ex instituto, sive ex Privilegio reperiatur circa receptionem Virginum tum ad probationem, tum ad Professionem?

EXAMEN PRIMI ANTE-QUÆSITI.

Quid jus antiquum & primarium commune circa receptionem Novitiarum & earum Professionem decernat?

Resolutio.

IUre antiquo & primario communi tam Canonum, quam Regulæ sancti Benedicti tota potestas auctoritativa recipiendi fugientes à seculo & incorporandi statui Religionis semper fuit penes Abbatem, sive Superiorem Regularem, cui Congregatio ex vi Regulæ & Religionis subjiciebatur. Resolutio patet ex antiquo Canone Pelagii Papæ relato à Gratiano 18. *quest. 2. cap. Nullam potestatem*: Vbi subortâ quæstione inter Monachos de potestate Abbatum, conclusum fuit: Vt de cætero, *fideliter & studiosè universa quæ vel ad divini cultus reverentiam, vel ad utilitatem ejusdem Monastery pertinent, Abbatis sollicitudo ad quem* (ait) *potestas tota pertinere convenit, debeat adimplere.* Rationem porrò præmiserat Pontifex in eodem Canone: quia (inquit) *nulla auctoritas remanebit Abbati, si Monachorum potestati caperit subjacere*: Vnde & glossa *V. Tota* ibidem. *Tota* (inquit) *excludit ab hac potestate Monachos.* Constat verò ex iis quæ ad utilitatem Monasterii pertinent, unum ex primariis esse, receptionem Novitiorum & eorum Professionem.

Iure antiquo totaliter potestas fuit penes Abbatem.

Pelagius Papa. cap. nullam potestatem.

Specialiter autem hanc potestatem recipiendi Novitios & eos Religioni incorporandi resedisse in Abbatibus & Religionis Superioribus probat Cap. *ad Apostolicam. Tit. de Regularibus* (quod est Innocentii III. ad Episcopum Pisanum) Vbi mota quæstione, de quodam, qui ante finitum tempus probationis, desiderio conversionis, Professionem in manu Abbatis emiserat: Respondet Pontifex Professionem validam esse: quia *Abbate* (inquit) *per se vel per alium professionem recipiente Monasticam, & Monachalem habitum concedente, uterque renuntiare videtur ei quod pro se noscitur introductum,* (id est) *anno probationis*: Quibus verbis indicat Pontifex, totam potestatem habitum concedendi & Professionem recipiendi, nec non & renuntiandi ex parte Monasterii anno probationis, tunc temporis fuisse penes Abbatem, cum nullam in tanto casu Pontifex de Monachorum consensu vel suffragio faciat mentionem;

Innocent. III. cap. Ad Apostolicam.

Con-

Regula S. Francisci, id confirmat. Confirmat hoc jus commune Regula S. Francisci sub Innocentio III. primùm approbata, & sub Honorio III. ejus successore demùm confirmata, quæ receptionem Novitiorum, cum eorum examine committit Ministris Provincialibus nulla de consensu Fratrum factâ mentione, quod non omisisset, si de jure communi in praxi apud cæteras Religiones necessarius fuisset.

Dixi in Resolutione: *Iure antiquo*, &c. *tam Canonum quàm Regula S. Benedicti*: in tota enim Regula S. Benedicti nulla fit mentio alicujus consensus Monachorum requisiti ad receptionem & professionem Novitiorum, sed supponitur esse penes Abbatem: quamvis enim c. 3. universaliter ordinetur: *Quoties aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio, convocet Abbas omnem congregationem & dicat unde agitur*: Ex quo (cum Novitiorum receptio inter præcipua numerari debeat) bene inferri potest, quod Monachis communicari debeat: nihil tamen ibi de consensu Monachorum tangitur, sed tantum de simplici in rebus præcipuis determinandis eorum consilio, absque ulla obligatione sequendi consilium, vel vota Monachorum: quinimò contrarium expressis verbis innuitur. *Et audiens* (inquit Textus) *consilium fratrum, tractet apud se, & quod utilius judicaverit faciat*. Infra: *Sic autem dent Fratres Consilium cum omni humilitatis subjectione, ut non præsumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit, sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, ut quod salubrius esse judicaverit, ei cuncti obediant*. Ex quibus manifestum evadit ex Regula S. Benedicti totam potestatem in Regimine Monasterii (cujus magna pars est receptio Novitiorum) semper penes Abbatem fuisse, & si Monachi intervenerint, non nisi Consilio intervenerunt, quod non tenebatur Abbas sequi, sed arbitrio & judicio Abbatis omnes cedere tenebantur: & ita tenet, & Regulam S. Benedicti explicat Tamburinus *de jure Abbatum Tom. 3. Disp. 6. q. 1. n. 5.* & 6. ex Sylvestro V. Religio 3. n. 13. Ubi sic loquitur: *Non tenetur Abbas sequi consilium, sed satis est requirere & expectare responsum*: Sequitur & Navarr. coment. 3. de Reg. n. 5. & hanc esse genuinam Regulæ S. Benedicti interpretationem, etiam *S. Bernardi* sensu, & *viginti duorum Abbatum* in Generali Capitulo congregatorum refert Caramuel in Comment: suo super Regula S. Benedicti *Disp. 41. Dub. 2. n. 483.* & de his plura inferius.

(Marginalia: Cap. 3. Regula S. Benedicti. — Idem. — Tambur. Sylvest. — Navar. — Sensus S. Bernardi & 22. Abbatum. Caramuel)

Resolutiones,

EXAMEN II. ANTE-QUÆSITI.

An aliquod jus novum sive secundarium aliquid antiquo primario addiderit, & quid?

Resolutio 1.

Nullo jure communi potestas illa conceditur Religiosis. NVllum reperitur jus commune & universale, quantumvis secundarium quo universaliter concedatur Religiosis sive Conventibus Religiosorum & Monialium potestas juridica admittendi Novitios ad habitum vel professionem alicujus Ordinis. Sed potestas illa juridica & auctoritativa semper mansit penes aliquem Prælatum. Ratio sumenda est ex auctoritate negativa: nullus enim talis Textus in toto jure reperitur: quod enim quidam allegant *Tit. 10. l. 3. Decret. de his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli*: In illo de admissione Novitiorum ad probationem vel professionem nil penitus agitur, *sed tantum de donationibus, venditionibus, alienationibus rerum Ecclesiæ, vel Monasteriorum*: Item, *de institutione Abbatum, Abbatissarum*: &c. Ad quæ in nonnullis consilium tantum, in aliis etiam consensus majoris partis requiritur, tamquam conditiones sine quibus non: sed nec ibi aliqua potestas Capitulo ad præfata conceditur, sed tantum ut Capituli consilium, aut etiam consensus interveniat.

Resolutio 2.

Unde, & cur sit id permissum. PRo utilitate & securitate Religionum ex communi consensu, & constitutionibus conformiter ad regulas & instituta ac etiam Sacros Canones: ne Religiones gravarentur ineptis & inidoneis suppositis, introductum est in variis Ordinibus, ut receptiones, maximè ad Professionem, fierent cum Consilio & Consultatione Religiosorum, sub diversis tamen modis & conditionibus, quæ juxta diversas Ordines & Congregationes diversificantur: ita ut quot ferè Congregationes, tot diversi modi in receptionibus sint introducti: in nonnullis enim tantum requiruntur Consilia, in aliis requiruntur suffragia publica: in aliis secreta: in aliis major Numerus suffragiorum prævaleat: in aliis sanior: in aliis tres partes suffragiorum requiruntur. In nonnullis, ut in Ordine S. Francisci admissio ad habitum fit per Provincialem, nullo ex- Quam diversimodè id introductum.

I 2 pectato

pectato Consilio Fratrum : in Societate Jesu admissio tam ad probationem, quam ad Professionem soli Provinciali est reservata; super his igitur, nil doctrinaliter resolvi potest, sed leges & constitutiones unius cujusque Ordinis & Congregationis in occurrentibus difficultatibus consulendæ sunt.

Resolutio 3.

Non dicit in religiosis suffragantibus, nisi judicium morale idoneitatis, &c.

JUs consultandi & suffragiorum introductum in Congregationibus vel Ordinibus aliquibus, nullam dicit potestatem aut jurisdictionem in Religiosis consultoribus aut suffragantibus ad admissionem, aut rejectionem, sed tantum judicium morale, idoneitatis vel incapacitatis personæ ad Religionem quam prætendit. Hoc clare indicat Pontifex *cap. ad Apost.* Cit. Ubi sic loquitur : *Tempus*, inquit, *probationis à Patribus indultum, non solum in favorem conversi, sed etiam Monasterij, ut nimirum, ille, austeritates istius, & istud mores illius experiri valeat : quod utrumque* (ait) *diligenter observandum est, præsertim cum ab utroque de reliquo certa notitia non habetur.*

Cap. Ad Apostolicam.

Finis illius consultationis.

Ex quibus verbis infertur. Primò, finem consultationis & suffragiorum alium non esse, nisi, ut constet de sufficientia vel insufficientia, idoneitate, vel incapacitate ad Religionem aspirantis : ut, siquidem ante probationem fiat, eâ ratione fit, ut si aliqua incapacitas noscatur inesse, honori aspirantis consulatur, turpius namque ejicitur, quam non admittitur hospes: si vero post probationem fiat, eâ ratione fit, ut si quis incapacitatem aliquam notaverit, Religio ab incapaci supposito se expediat.

Obligatio consultorii & suffragantium.

Infertur Secundò, Non esse liberum consultoribus & suffragantibus actiones Candidati sive Novitii pro libitu interpretari, aut suffragium pro libitu, dare vel negare : sed teneri sub peccato mortali diligentiam, & deliberationem moralem adhibere super cognoscenda capacitate vel incapacitate Candidati vel Novitii, & secundum judicium, quod putat rectum, dare suffragium, vel negare, juxta quod scientia & conscientia dictant : aliàs juxta communem omnium Doctorum sententiam, mortaliter, non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam peccant, qui ad Professionem capaci & idoneo suffragium negant, aut indignum & incapacem suo suffragio scienter admittunt : cujus ratio est : *Prioris* quidem, quia qui ad probationem admissus est, si se idoneum, & capacem probaverit, jus ad professionem emittendam accepit, nec absque injuria repelli potest : *Posterioru* autem : quia qui pro incapaci suffragatur, quantum in se est Religionem gravat & Religioni detrimentum infert. Videri possunt ex modernis Lezana *tom. 1. cap. 24. n.* 28. qui citat Scotum *in 4. dist.* 14. Sylv. *V. Resp. 3. q. 1.* Cajet. 22. *q. ult. art. 4. dub. 3.* Pacatellum *in privil: Minimorum cap.* 43. singularissimè & doctissimè noster Sanctorius Melphii *Comment. Morali instat : & Constit. Minorum cap. 2. stat.* 18 & nos hæc deduximus in *cap. 2. Regula Fratrum Min. in expositione nostra litterali tit. 2. q. 3.* Ubi probavi nihil juris propriè competere Fratribus ad receptionem sed tantum ad judicium idoneitatis.

Lezana. Scotus Sylvest. Cajet. Sanctor.

Marchant in expositione regulæ S. Francisci.

Resolutio 4.

Per suffragia concessa capitulo, non est diminuta potestas prælatorum.

POtestas Prælatorum non censetur in aliquo diminuta per consultationem & suffragia concessa capitulo vel subditis in admissione Novitiorum, sed corroborata & adjuta fuit : tantum ut per diligentiorem inquisitionem, & cognitionem idoneitatis vel capacitatis præveniantur pericula indignos admittendi, vel dignos rejiciendi : hæc infertur ex supradictis & ex fundamento *cap. ad Apostolicam* supra cit. Unde infero Primò Abbatem sive Prælatum non teneri sequi suffragia consultantium in receptione Novitiorum, ubi constaret clarè de iniquitate vel passione, quod vel indigni admitterentur, vel digni repellerentur : sed teneri injuriam omni modo possibili & legitimo avertere, tum à Religione ne gravetur, tum à Novitio vel Religionis candidato ne post probationem injuriose dimittatur.

Cap: *Ad Apostol.*

Ratio ex dictis clara est : quia tota potestas recipiendi ad habitum & professionem jure communi primario & antiquo est penes Superiorem : Jus autem consultandi & suffragandi de consensu Superiorum, est dumtaxat subditis communicatum tamquam medium juris & remedium ad consulendum Religionis bono, & (ut dictum est) ad avertenda mala ex admissione indignorum, & rejectione dignorum. Eò ergo ipso quo Superiori constat suffragantes hoc suo jure abuti per passiones, & injusta suffragia, eò ipso potest Superior istos, illo suo jure privatos declarare, & de plenitudine potestatis æquitati consulere, ac providere, & ita expressè Tamburinus *tom. 3. de jure Abbatum, disp. 6. q. 1. n. 3. ex* Bartholomæ. de Vechus *in praxi Novitiorum disp. 7. dub. 2. num.* 11. *quia* (inquit) *quotiescumque consensus in aliquo est necessa-*

Tambur.

necessarius, si qui illum praestare debet sine causa denegaverit, habetur pro praestito: quod probat ex multis juribus; & affirmat ita decisum fuisse *in Rota Romana* decis. 91. n. 5. punct. 2. latissime Portel. *tom. 2. resp. Mor. Casu* 95. *in resp. ad secundum quaesitum*: & post illum noster Sanctorius de Melphii loco supra allegato ad Stat. vigesimum. Ibi, *Quaeritur* 4. ponens casum expressum: *Quaeritur* (ait) 4. *an Provincialis possit legitimè aliquem ad professionem admittere sine consensu majoris partis, si sibi constet vocales injustè negare Novitio suffragium*. Et respondet: *Posito* (ait) *Casu prout petitur, dico: Provincialem posse acceptare talem professionem. Ratio* (inquit) *est, quia Fratres Conventus Novitium postquam viderint conversationem Novitiy dignam, cui ad professionem suffragentur, tenentur ex justitia illum acceptare, ita ut aliter facientes, non solum peccent contra charitatem, sed etiam contra justitiam*, &c. *Nemini autem debet iniquitas, fraus & dolus patrocinari, & Praelatus tenetur non tantum fraudes, & dolos impedire, sed & praestare & supplere, quod tenetur subditus facere, ut constat toto Tit. de supplenda negligentia Praelatorum, & de his quae fiunt à majori parte Capituli cap.* 1. Excipitur expressè Casus *quando aliquid à paucioribus, & inferioribus rationabiliter objectum fuerit, & ostensum*, favet etiam Text. Concilii Trid. sess. 25. de Regul. cap. 16. ubi ait, *finito anno probationis, Superiores Novitios quos habiles invenerint ad professionem admittant*. Ubi notanda sunt verba: *Superiores quos habiles invenerint. Ubi primarium judicium de habilitate penes Superiores esse Concilium affirmat & declarat*.

Portel.

Sanctorius

Concil. Trident.

Infero Secundò. Inferiores ad vota concurrentes, teneri dare rationem suffragii sui, si à Superiore requirantur, & in casu quo rationem dare negent, suffragium habendum pro nullo. Ratio clara est: quia suffragium non est concessum Capitularibus, nisi ad judicium Idoneitatis vel Inidoneitatis: Judicium autem Idoneitatis vel Inidoneitatis fundatur in ratione quam rogatus subditus exponere tenetur. Super quo notant nonnulli apud Tamburinum suprà, quod etsi dentur suffragia in nonnullis Religionibus secreta: Ratio tamen suffragii debeat esse publica ad injustitias & fraudes propulsandas.

Inferiores requisiti tenentur dare rationem sui suffragy.

Tambur.

Infero Tertiò. Quaestionem quae proponitur communiter ab auctoribus: An scilicet suffragia Capitularium in receptione Novitiorum sint Consultiva, an decisiva? esse minoris utilitatis & claritatis àd rem: Certum est enim *ex natura rei esse tantum Consultiva*; de habilitate enim vel inhabilitate Novitii fit mera Consultatio: nec plus decisionis habent vel habere possunt, quam judicium rectum ex Consultatione ortum, quod Consultantes sequi in conscientia tenentur: Undè nec Abbas scienter inhabilem, etiamsi omnes pro illo suffragarentur, admittere potest, & semper jus Religioni remanet reclamandi; nec potest remittere scienter habilem: & è contra: multò minùs possunt suffragantes negare habili suffragium vel dare inhabili: decisio enim nascitur ex natura judicii, ex consultatione accurata provenientis, & suffragium in tantùm est decisivum in quantùm recto judicio conforme, & non plus. Unde in dubio praeferenda est sententia Abbatis nisi Religio manifesto periculo exponeretur. Et super hoc fundatur Textus clarus Regulae S. Benedicti cap. 3. suprà rel: *Et audiens* (Abbas scilicet) *Consilium Fratrum tractet apud se, & quod utilius judicaverit faciat*, &c. *Sic autem dent Fratres Consilium cum omni humilitatis subjectione, ut non praesumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit, sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, ut quod salubrius esse judicaverit, ei cuncti obediant*. Ex quibus verbis clarum est suffragia capitulorum in ordine S. Benedicti esse merè consultiva, nec obligare Abbatem, nisi prout ex natura rei magis salubria, magisque recta apparent, & judicium rectae rationis sequi videntur.

Cujusmodi sint inferiorum suffragia.

Regula S. Benedicti.

EXAMEN III. ANTE-QUAESITI.

An in Monasterio, de quo in Casu, praeter jus commune Regulares concernens, reperiatur aliquod jus singulare super Receptione Virginum ad probationem vel professionem, derogans juri communi, vel illud relaxans?

Revolutis chartis Monasterii, haec infrascripta dumtaxat reperiuntur.

Prima institutio monastery.

Primò. Hoc Monasterium, à prima sua institutione, fuisse Collegium Nobilium Virginum, sub certis Praebendis & instituto Canonissarum viventium in communi Claustro, Dormitorio, Refectorio, &c. ut fuerunt alia quae adhuc in Belgio & Germaniâ sub eodem instituto vivunt, quibus & Canonici adjuncti erant; unde & Praebendae, sub quibus fundatum erat Collegium, ab Abbatissa liberè conferebantur juxta suum beneplacitum, ut refert Aubertus Miraeus *de donationibus pys cap.* 56. & 58. absque alio concursu sui Capituli, nisi quod eis Nobilitatis Quarteria demonstrarentur.

Aubert. Miraeus.

Resolutiones. I 3 Secundò.

Quæ assumpserit Regulam S. Benedicti. Secundò. Hoc Collegium sibi delegisse Regulam S. Benedicti, & approbantibus summis Pontificibus, Tria vota essentialia & solemnia Religionis, secundùm eandem Regulam, vovisse; servatis interim iis, quæ cum instituto Canonissarum compatibilia erant; prout & modò servant: unde non Monachæ S. Benedicti, sed Canonissæ Regulares potiùs vocandæ sunt, sub Regula S. Benedicti militantes.

Statuta ejusdem. Tertiò. Cum sint Episcopis subjectæ, subortis variis eventibus, varia illis statuta fuisse in hanc horam data, contra quæ semper, ob aliquos articulos, fuit reclamatum. In illis autem omnibus, nullum statutum reperiri, quoad receptionem nobilium Virginum, sive ad habitum probationis, sive ad professionem; nisi tantùm ut admittendæ præsententur capitulo, ut capitulares advertant super earum capacitate, & qualitatibus; ne fortè admittantur aut non qualificatæ, aut incapaces, absque aliquo jure admissionis vel remissionis. His igitur antequæsitis sic propositis & resolutis, facilis erit resolutio duarum Quæstionum præcipuarum.

Resolutio Prima.

Receptio earū semper pertinuit adsolam Abbatissam. Dispositio præbendarum sive admissio ad Collegium, tam ad habitum sive probationem, quam ad professionem, à prima origine & institutione Monasterii, ad solam Abbatissam pertinuit, cujus sicut fuit conferre præbendas Canonicorum, ita & præbendas Canonissarum, hoc est recipere Virgines ad Collegium Regulare, sive Monasterium. Hæc Resolutio patet ex litteris Drogonis Episcopi Morinensis quæ asservantur in Archivo Monasterii, & referuntur ab Auberto *Miræus.* Miræo *de Donation. pys: cap. 56. & 58.* in quibus loquens de iure & potestate eligendi sive cooptandi Sancti-Moniales & Canonicos ad Collegium; *liberè* (ait) *possideat Abbatissa, vel quos ipsa constituerit.* Iterùm loquens de illis: *Sancti-Monialium* (ait) *seu Canonicorum quos ipsa Abbatissa elegerit.*

Littera Roberti Frisonis. Et in litteris Roberti Frisonis Comitis Flandriæ, *ad Annum* 1080. de eodem jure loquens; *Abbatissa* (inquit) *possideat, vel quem elegerit ejusdem Abbatissæ benevolentia*: quin-imò idem Robertus in clausula finali earumdem litterarum congratulabundè scribit, sibi & suis hæredibus præbendam unam ab Abbatissa assignatam, his verbis: *Abbatissa verò* (ait) *ut orationum ejusdem Ecclesiæ & beneficiorum sim particeps, mihi, & omni hæredi meo præbendam charitatis amore concessit.* Quæ omnia postea confirmata sunt à successoribus Drogonis in Episcopatu Morinensi, Joanne ad Annum 1212. Henrico ad Annum 1279. & 1282. & à summis pontificibus Gregor. IX. Clemente IV. Urbano III. & V. ac aliis. Ex quibus omnibus colligitur eandem rationem fuisse in collatione præbendarum Canonissarum sancti Monialium, quæ in collatione præbendarum canonicorum & canonissarum sæcularium, exceptis iis quæ pertinent ad vitam regularem. Certum est autem potestatem illam in collegiis canonissarum esse penes Abbatissam, nec canonissæ aliquid sibi arrogant, nisi ut sibi constet de quarterijs nobilitatis. *Confirmatio facta à summis pontificibus, & Episcopis Morinen.*

Resolutio secunda.

Nullo jure legitimo ad hæc usque tempora fuit derogatum juri Abbatissarum dicti Monasterii, sive potestati auctoritativæ per se conferendi panem sive præbendas virginibus qualificatis & nobilibus, quod est admittere probandas ad Monasterium, & probatas ad professionem. Hæc resolutio probatur sufficienter ex praxi usque ad postremam Abbatissam D. D' anthinne, quæ pleno jure omnes semper recepit non obstante interdum aliquarum murmure & contradictione. Non obstant aliquæ constitutiones quæ circumferuntur: præterquam enim quod aliquæ constitutiones ob reclamationes juridicè factas à senioribus & majori parte illegitimè censendæ sint (ut quæ ad *Annum* 1599. factæ fuerant per Episcopos Iprenses) (quæ de mandato serenissimi Principis Alberti, auditis partibus ad antiquam observantiam per regulamentum Octavij Tricariensis Episcopi sunt reductæ) & quæ per importunitatem ad *Annum* 1623. à Reverendissimo Episcopo de Hennain extortæ erant (quæ etiam de mandato Regis per eundem Reverendissimum & Amplissimum Dominum Corselium auditis in loco partibus alijs nonnullis substitutis annullatæ fuerunt.) *Iuri Abbatissarum non est usque modo derogatum.* *Nonpor diversas constitutiones diversorū Episc.*

Denique quæ à Reverendissimo Chamberlino similiter ad instantiam aliquarum emanaverant (contra quas etiam ad hæc usque tempora fuit reclamatum) in nullis enim illarum formaliter derogatur juri absoluto Abbatissarum, sed ad summum postulatur ut admittendæ nobiles virgines præsenteutur ad consultationem capitularium, hoc quidem solo fine, ut qualitates admittendarum juxta leges collegij regularis examinentur, sive ut incapaces & non qualificatæ non admittantur: unde addo sequentem resolutionem.

Resolu-

Resolutio tertia.

Præsentatio virginum quid tribuat capitularibus.

PRæsentatio virginum nobilium ad religionem in monasterio N. quam consuevit Abbatissa facere, nil tribuit juris aut potestatis Capitularibus ad admissionem: sed tantum ad allegandas incapacitates reales, si quæ forte occurrant in personis præsentatis; & hæc est praxis omnium collegiorum virginum nobilium. Et pro regularibus non aliud requiri latè probatum est supra in examine *ante quæsiti secundi resol. tertia & quarta*, per totum.

Resolutio quarta.

Qui tantum possit fieri statutum derogatorium juri Abbatissarum.

NUllum statutum potuit fieri, quo derogaretur juri Abbatissarum, quod habent ad præbendas per se & absolute capacibus conferendas, sive ad admittendas virgines ad vestitionem aut professionem *absque consensu Regis Catholici*, in quem jus fundationis devolutum est, & *absque consensu summi pontificis, ac diœcesanorum Episcoporum*, qui fundationem primariam Collegij sive Monasterij approbarunt sive confirmarunt, nec potest Abbatissa in tale statutum legitimè consentire. Et quidem (*sine consensu Regis*) quia tale statutum derogat manifestè juri primario fundationis, juxta quod est Abbatissæ utrasque præbendas conferre. Et sane res admodum gravis est tollere jus collationis quod ex fundatorum voluntate in Abbatissæ potestate reservatum erat, & tradere illud multitudini capitularium, non sine periculo multarum confusionum: audiendi etiam essent summus pontifex & diœcesanus, qui sicut fundationem sic jus illud approbarunt, & confirmarunt conformiter ad regulam primariam S. Benedicti, quia hæc esset gravis mutatio in re magna; non potest etiam Abbatissa validè consentire, cum teneatur sibi depositam auctoritatem conservare, cujus dissipatio cederet in gravissimum detrimentum succedentium: nam (ut bene Pelagius pontifex in *cap. nullam potestatem* 18. *qu.* 2.) *sicut nulla potestas remanebit Abbati, si potestati monachorum cœperit subjacere*. Ita nempe nulla remanebit potestas Abbatissæ, si in admittendis virginibus ab arbitrio suarum canonissarum dependeret. Unde nullo jure potest Abbatissa in tantum dispendium potestatis officij sui consentire: nec officium Abbatissæ primario jure antiquo privari, nisi juridicè à superiore in pœnam alicujus delicti vel criminis. Et hæc ad ante-quæsita: quibus

Pelagius Papa cap. nullam potestatem.

sic propositis & resolutis, facilis est, & manifesta resolutio duarum quæstionum præcipuarum.

Resolutio quæstionis primæ principalis ad Casum.

Responsio Prima.

Potest Abbatissa etiam recipere, non obstante reclamatione aliarum.

SUpposito quod nulla causa clara & sufficiens allegata fuerit à parte adversa capitularium religiosarum (etsi majore) Abbatissa potest plenario jure recipere virgines nobiles alias idoneas, sive de quarum in idoneitate non constat, ad vestitionem & præbendam non obstante contradictione majoris partis: & si annum probationis virgines nobiles ritè peregerint & idoneitatem suam probaverint, Abbatissa de plenitudine potestatis tenetur illas admittere, etsi majori parte capituli reclamante, si non allegetur & probetur defectus notabilis, aut grave periculum incapacitatis. Hæc responsio patet ex priùs resolutis. Primo enim ex fundatione & primario jure antiquo, potestas tota recipiendi puellas ad vestitionem & probationem est penes Abbatissam, cujus etiam (ex Regula Sancti Benedicti) est judicare de capacitate, & incapacitate, ut latè supra probatum est in resol. primi antequæsiti.

Tenetur ad hoc.

Secundò. Quia etsi jure secundario in favorem religionis consultatio super idoneitate admittendarum sit communicata capitularibus: Hæc non respicit admissionem vel dimissionem, sed solum judicium capacitatis vel incapacitatis: unde tenentur capitulares defectus quos sciunt allegare: & casu quo non allegent, vel allegare nolint, non est curandum de suffragijs earum, quia hoc ipso se reddunt voto & suffragio indignas, & potest eas Abbatissa suffragio privare. Imò in casu quo falso allegarent defectus, tenetur Abbatissa pro justitia pugnare & illarum dolos vel errorem per absolutam potestatem purgare: ut clare probavimus supra in resol. 4. secundi antequisiti. Addo teneri dissolvere quæ per monopolium videntur à majori parte contra rationem fieri.

Quid si agendum dum capitulares nolunt dare rationem suffragij sui.

Item si alleg.ent falsa.

Tertiò. Id etiam probat quoddam statutum Domini Corselij & Reverendissimi Domini de Hennain quod circumfertur apud monasterium. N. cap. 2. de vestitionib. his verbis gallicis; *que si quelque novice venoit à sortir ne desirant de perseverer, ou bien estoit renvoyée du convent pour quelque defect, tout ce qu'il aura apporté luy sera rendu hormu les habits de la religion.* Hoc enim

Explicatur quoddam statutum monasterii.

statutum supponit clare defectum sive incapacitatem ejus quæ dimittitur, judicatum scilicet ab Abbatissa ex verè allegatis ut aperte indicant particulæ (*pour quelque, defect*) & particulæ (*renuoyée du convent*) non indicant remissionem illam fieri per conventum sive Capitulares, sed per Abbatissam extra conventum: particulæ enim (*renuoyée du convent*) dicunt dimissionem extra conventum, id est, (*renuoyée hors du convent*) non enim potuit excludi potestas Abbatissæ per statutum, nec statutum jure fieri contra potestatem Abbatissæ, ut probavimus resol. 4. tertij antequæstiti. Omnia enim statuta quæ insinuant consultationem conventus intervenire, intelligenda sunt (*salva potestate Abbatissa*) ad finem allegandi clare defectus veros si qui sint. Non allegatis enim defectibus veris: nulla opus est consultatione, sed manet in potestate Abbatissæ alias idoneam admittendi: & ubi allegantur defectus, est officii Abbatissæ judicare de qualitate & importantia defectus, & juxta rectum judicium de novitiæ admissione vel remissione decernere.

Responsio secunda.

In dubietate judicandum in favorem Abbatissa. IN casu dubietatis de idoneitate, vel inidoneitate, semper judicandum est in favorem Abbatissæ: ratio est: quia sicut potestas admissionis in illa residet: ita judicium idoneitatis principaliter ad illam *Regula S. Benedicti.* spectat. Ita expresse in Regula S. Benedicti cap. 3. *Sic autem* (inquit) *dent fratres consilium cum omni humilitatis subjectione, ut non præsumant procaciter defendere quod eis visum fuerit, sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, ut quod salubrius esse judicaverit, ei cuncti obediant.* Et ut jam sæpe inculcatum est, contrarium non esset nisi seminarium monopoliorum, dissensionum & confusionum, quia (ut ait Pelagius Papa 18. q. 2. cap. *Nullam potestatem*) *nulla remanebit potestas Abbati, si potestati monachorum cœperit subjacere.*

Resolutio quæstionis secunda principalis.

Responsio prima.

Receptio talis non potest à judice invalidari. REceptio puellarum ad vestitionem & professionem per potestatem absolutam Abbatissæ: ubi capitulares absque ulla allegatione clara veri defectus illam recusarunt (supposito quod non sint incapaces, & ut tales non probentur) valida est, nec potest à judice invalidari. Ratio est quia recusatio talis supponitur illegitima, injusta & irrationabilis, quam tenetur Abbatissa impedire; tantum abest ut illam teneatur sequi. Responsio patet ex supradictis.

Responsio secunda.

Nec retardari ob appellationem. IUdex non potest receptiones & professiones hujusmodi retardare super mera appellatione à potestate Abbatissæ, non allegatis clare defectibus puellarum; ratio est: quia ut satis probatum est, potestas Abbatissæ absoluta est, nec nisi ob recipiendarum defectus vel incapacitatem, absque injuria impedire potest. Unde omnis appellatio æstimanda est frivola, si contra potestatem Abbatissæ facta sit. Omnis enem appellatio legitima in his debet fundari super probanda incapacitate, vel defectu recipiendarum. Potestas enim consultandi (ut dictum est) non spectat ad conventum, nisi in ordine ad judicium idoneitatis vel inidoneitatis. Cum igitur supponat casus, recusantes nullam allegasse vel voluisse allegare incapacitatem in admittendis: jam appellatio censetur terminari contra potestatem Abbatissæ simpliciter, adeoque ut frivola est recusanda & refundenda. Est enim regula certa & universalis: capitulares nullam habere potestatem in admittendis vel recusandis virginibus præsentatis, nisi ex capacitate vel incapacitate earum. Unde contra potestatem Abbatissæ simpliciter nulla datur appellatio vel reclamatio etiam ad sistendam eam: sed omnis reclamatio aut appellatio ad incapacitatem terminari, & super incapacitate probata fundari debet, ut bene probatum est

CASUS XX.

De vestitione & professione filiarum in Monasteriis Episcopis subiectis, & de auctoritate Episcopi in illis requisita.

Propositio casus. NIcolaus Episcopus N. videns, & considerans post varias suas visitationes factas in Monasterio Monialium N. nullam in eo vigere disciplinam regularem, nec statuta, institutum primævum, nec decreta visitationum ullatenus observari; omnibus modis studuit tot malis obviare; & vel aliquam reformationem introducere; sed semper irrito conatu. Quare, de consilio virorum prudentum, inhibuit Abbatissæ dicti Monasterii immediate sibi subjecti, ne ullas in posterum filias sæculares

lares ad religionem assumeret, donec in suo Monasterio introducta foret aliqua melior disciplina Monastica, viverentque religiosæ & ipsa, secundum regulam suam, institutum primævum, & statuta. Porro illa à prædicta inhibitione coram Sacellano suo, & famulo domestico appellavit; non tamen prosecuta est suam appellationem, nisi per contemptum illius, perseverans in antiquo suo modo vivendi, & libertate conversandi cum quibusvis supervenientibus, & negligendi ea omnia quæ sunt vitæ religiosæ: ac non obstante inhibitione, jam secundo ipsi insinuatâ, diversas filias recepit, & ad vestitionem & professionem, se velle admittere declaravit: & idem vestitioni aut professioni fiendæ dixit. Quo intellecto per eundem Episcopum, mandavit illi iterum pro tertia vice insinuari prædictam suam inhibitionem, additâ comminatione nullitatis actus, & arbitrariæ correctionis, si quid secus attentaret; verum postunum, atque alterum diem, de illa appellavit coram notario; & facto instrumento protestata est, se non velle illi parere: necesse in potestate dicti Episcopi impedire dictam vestitionem, aut professionem & se intendere ad illam procedere infra mensem, à die insinuationis dicti instrumenti; peteos interim, ut dictus Episcopus vel per se, vel per substitutum veniret ad suum dictum Monasterium, ut illas examinaret, si vellet; protestando *de attentato*; si quovis modo intenderet obstare illarum vestitioni, aut professioni.

Quæritur.

1. *An obstante hujusmodi inhibitione, & recusante Episcopo prætensum examen, Abbatissa prædictas filias ad vestitionem, aut professionem admittere valeat; & illa valide vestientur, & profitebuntur?*

2. *An prædicta inhibitio sufficiens sit ad declarandam hujusmodi vestitionem, aut professionem esse nullam, & irritam?*

3. *Quâ pœnâ hujusmodi Abbatissæ arrogantia, & contumacia punienda veniat?*

Responsio ad 1. Quæstionem.

Abbatissa non potuit eas recipere. Respondeo primò. Positâ legitimâ inhibitione Episcopi, non potuit Abbatissa, nec potest filias admittere ad vestitionem sive novitiatum, nec ad professionem. Ratio est: quia ad illum solum pertinet filias ad probationem status religiosi admittere, illarumque professiones nomine Ecclesiæ recipere, easque statui religioso incorporare, qui jurisdictionem spiritualem habet ut superior ordinarius in Monasterium in quo filiæ recipi, vel ad professionem religiosam admitti debent: in monasteriis autem non exemptis, solus Episcopus, & Papa ordinariam potestatem clavium, & jurisdictionem spiritualem habent: ergò, sicut si Papa inhiberet Abbatissæ vestitiones & professiones filiarum, dicta Abbatissa valide ad novitiatum, vel professionem admittere filias non posset: sic legitima inhibitione facta ab Episcopo, censetur nullatenus posse filias admittere nec ad vestitionem, minus ad professionem. *Ad quos pertineat recipere ad vest. aut profess.* Quod clarissimè declaratur: quia ut quis legitimè ad novitiatum admittatur vel per professionem religioni incorporetur, debet fieri per auctoritatem jurisdictionis spiritualis, quæ nullatenus residere potest in fœmina: quod enim Abbatissa facit in hujusmodi vestitionibus, & professionibus, purum ministerium externum est per modum procuratricis, testis, vel alieno nomine approbantis, accepto prius consensu qui ordinariè requiritur ex parte capituli, & Abbatissæ tanquam conditiones à jure constitutæ, seque tenent ex parte materiæ; formalis autem admissio quæ actum complet sive ut quis fiat novitius, vel novitia, sive ut habeatur pro professo, vel professa pendet à superiore potestatem clavium, sive jurisdictionis spiritualis ordinariam habente; qualis est in Monasteriis monialium non exemptis Episcopus. Et hæc fuit Ecclesiæ antiquissima consuetudo, ut habetur in Concilio Nicæn. *Can.* 14. Et apud S. Dionysium *l. de Eccl. Hier. cap.* 6. Si igitur negat Episcopus consensum, & multò magis si formaliter inhibeat ne Abbatissa filias recipiat; si contra explicitam negationem consensus, vel inhibitionem faciat, nec filia vere novitia fit, nec professa; quidquid faciat Abbatissa (nisi fortè à superiore Episcopi, utpote à Papa auctoritatem habeat) idque defectu legitimæ jurisdictionis. *Quid censeatur Abbatissa facere in vestitionibus & profess. filiarum.* *Ecclesiæ antiquissima consuetudo.* *Concil. Nicæn.* *S. Dionys.*

Unde addo, quod quamvis (ut aliqui videntur contendere) esset in Abbatissa potestas aut jurisdictio sufficiens ad novitias faciendas, vel filias religioni incorporandas: invalida tamen esset receptio, & professio, de quibus in casu: quia jurisdictio illa, & potestas subordinata est, & dependens ab Episcopi jurisdictione & Papæ: unde si Papa inhibeat, Episcopus & Abbatissa nihil facere valide possunt; & consequenter si Episcopus inhibeat Abbatissæ, nihil valide Abbatissa operabitur. Hanc nostram responsionem absolutissimè tenet Miranda *Tract. de sacris monialibus* *Esto Abbatissa esset jurisdictio sufficiens ad recipien. &c. tamen in hoc casu nil faceret.*

bus qu. 8. a. 1. in Manuali Pralatorum concl. un. his verbis: *Abbatissa* (ait) *etiam de consensu suarum Monialium, sine suorum Pralatorum licentia, nullo modo possunt novitias recipere,* Et subdit: *hanc conclusionem esse puto certissimam de iure communi; Et in omnium Monialium quarumcumque religionum Monasteriis, novitiarum receptionem ad suos proprios Pralatos & superiores pertinere, cum super eisdem jurisdictionem habeant: ita quod novitia ipsis consentientibus, non verò renuentibus, eorum obedientia & iurisdictioni debent subyci.* Idem docet Emanuel Roderiguez *tom. 3. qu. 9. art. 2.*

Em. Roderiguez. *Episcopus tenetur in conscientia inhibere ne novitia ibi recipiãtur,*

Respond. secundò. Supposita veritate eorum quæ in casu proponuntur: nempe Episcopum deprehendisse, *nullam in eo Monasterio vigere disciplinam regularem, nec statuta, nec institutum primævum, nec decreta visitationum observari:* Non tantum posse Episcopum inhibere, nè novitiæ in dicto monasterio recipiantur, sed etiam in conscientia teneri. Ratio est: quia exponere filiam tali monasterio, est illam exponere vitæ relaxatæ, & irreligiosæ, ac consequenter periculo peccatorum, & perditionis. Quod graviter expendit Cajet. *2. 2. q. 189. art. 5.* Unde optat fieri statutum universaliter in Ecclesia, *ut nullus puer, nullaque puella posit religioni tradi, nisi ubi verè vivitur regulariter.* Et *art. 9. ad 2. arg.* docet: nemini licere absque peccati mortalis nota aliquem ad religionem in Monasteriis, vel conventibus vitæ communis (id est relaxatæ) *inducitur enim ad vitam reprehensibilem, & qua à regulari exorbitet. Unde (ait) vituperabile est, non solum inducere, sed etiam ingredi, & recipere ad vitam irregularem personas utriusque sexus, quamvis Ecclesia toleret hoc permissivè.* Ita refert ex Cajetano & sequitur Emanuel Roderiguez *tom 3. qq. Reg. q. 14. art. 5.* citans pro eadem sententia D. Thomam, & Navarrum. Intelligendum autem reor, ubi non est spes reformationis & correctionis. Quod indicat Roderiguea supra ex Cajetano: *Quod quidem eo* (inquit) *fit manifestius, quod continuus bonorum Prælatorum conatus ad illorum reformationem contendit*; Utique absque fructu.

Ingrediens Monasterium relaxatiũ quibus periculis exponatur. Cajetan. *Peccat ad hoc inducens.* Em. Roderiguez *Si non sit spes reformationis.* Roderig. supra.

Indicat hoc ipsum Concil. Trid. *sess. 25. c. 17. de regularibus*, ubi in virginibus religionem ingredientibus ad vestitionem & professionem requirit, ut *Monasterium sit idoneum*: nimirum vitam regularem observans, juxta omnia quæ tota sessione exequi demandantur. Unde & rationem secundam subiungo: mandatur in præfato Conc. *sess. 25. de regularibus c. 1. ut omnes tam viri quam mulieres, ad regula quam professi sunt, præscriptum, vitam instituant,* &c. utique ad hoc, *omnis cura, & diligẽtia à superioribus adhibeatur* &c. Ergo tenetur & Episcopus id in Monasterio de quo est quæstio, providere: unum autem ex præcipuis remediis est; ne multiplicetur numerus relaxatè viventium; ergo potest prohibere ne recipiantur plures filiæ, donec sit spes melioris vitæ, & emendationis. Addo: potest, in causa mali regiminis, Abbatissam ab officio toto suspendere: ergo multo magis a parte officii, quæ est recipere novitias; non tantum suspendendo suum consensum, sed etiam (supposito quod Abbatissa prætenderet aliquam potestatem, sibi ad novitias recipiendas competere) suspendendo ad correctionem, & in pœnam, usum hujusmodi potestatis.

Conc. Trident. Idem ibid. cap. 1. *Potest Episcop. potestatem Abbatissa suspendere.*

Dices: appellavit à suspensione illa, sive à negato consensu.

Non obstat eius appellatio.

Respondeo primò. In causis visitationis, & correctionis manifestis, non dari appellationem, saltem suspensivam.

Respondeo secundò. Etiam dato quod legitime appellasset: cum ab actuali Episcopi consensu receptio dependeat, quamdiu Episcopus consensum non dat, nec consensus suppletur à potestate superiori, actus est nullus, ac receptio filiarum invalida; unde ad secundam quæstionem consequenter dicendum est.

Responsio ad 2. Quæstionem.

Inhibitio Episcopi quæ operatur.

AD secundam igitur quæstionem. Resp. Inhibitionem factam Abbatissæ ne filias recipiat ad novitiatum, vel professionem, sufficientem esse ad declarandas vestitiones, vel professiones (si quæ post inhibitionem factæ sunt) invalidas, & nullas. Ratio est: quia hæc inhibitio duo operatur. Primò. Negationem consensus, & jurisdictionis necessariæ ad validum novitiatum, vel professionem, ut supra dictum est. Secundò. Suspensionem cujuscumque potestatis, quæ ab Abbatissa quovis jure prætendi posset. Quæ singula reddunt actum invalidum, tam defectu potestatis, quàm consensus requisiti, ac conditionum aliquarum quas supra insinuavimus.

Responsio ad 2. Quæstionem.

Ad minus suspendenda eris illa Abbatissa ab officio. Conc. Trident.

AD tertiam respondeo; pœnas Abbatissæ infligendas, esse arbitrarias juxta modum delicti. Conc. Trid. *sess. 25. de Reg. c. 17.* pro sola neglecta præsentatione filiarum ad examen mandat Abbatissam ab officio juxta beneplacitum Episcopi suspendi. Ad minùs igitur ab officio suspendenda erit, si contra prohibitionem absolutam

Abba-

Abbatissa Episcopo subjecta, filias ad habitum, vel professionem admittere tentaverit, & præsumpserit.

CASUS XXI.

De clausura Monialium Episcopo subditarum & reformatione nonnullorum abusuum.

Proponitur casus.

JOannes Episcopus N. visitatione facta in Monasterio N. Ordinis S. Augustini, & reformationis, sive instituti S. Victoris sibi immediate subjecti; judicavit inter alia reformandam esse continuam conversationem cum hospitibus utriusque sexus eo advenientibus & nominatim cum illis comestiones tam in prandio, quàm in cœna, in cubiculo, sive aulâ Abbatissæ sitâ juxta ambitum religiosarum; ac in eum finem aliquod decretum fecit; & Dominæ Abbatissæ similes comestiones & familiaritates interdixit.

Oppositio Abbatissæ.

Opposuit se illa; & noluit facultatem sibi longo tempore acquisitam & libertatem comedendi, & conversandi cum illis restringi: allegans præter possessionem, hoc sibi, & suis Monialibus licere, & permitti per dictum institutum modo id fiat separatim à claustro sui Monasterij §. *extraneos hospites*, in quo expressis verbis habetur: *Amicos, vel alios ad Monasterium advenientes non ultra sex dies retinere poterit, & nimis frequentes restringet, illosque separatim à claustro tractabit, nec ad eos contubernium & commercium religiosarum permittet, nisi rarò & ad modicum tempus, & ex speciali gratiâ cum causa justa.*

Statutum ordinis.

Contrapositio Episcopi.

Contra Episcopus; & sede vacante, vicariatus sustinet prætensam possessionem esse nullam, & minimè attendendam; quia contra illam, tam ipse quam ejus prædecessores, semper reluctati fuerunt, ac regularem Clausuram in dicto Monasterio introduxere, intentata in illum finem lite, usque ad tertiam sententiam exclusivè, quæ adhuc pendet indecisa. Dicitque prædicta verba non posse trahi in favorem prætensionis Abbatissæ, quia in præcedenti §. ejusdem instituti expresse cavetur: *Tenebitur Abbatissa omnibus horis canonicis interesse, silentium servare, & cum aliis Monialibus in refectorio comedere, nisi causâ legitimâ impediatur, vel excusetur.* Atque eo minus quod in antiquis dicti Monasterii statutis, disertis verbis dicatur: *Abbatissa semper comedat in refectorio:* & in aliis diversis locis, tam dicti instituti quam statutorum, ipsius partes quas in refectorio gerere debeat, describuntur. Quodque omnes Abbatissæ istius ordinis, ne quidem una excepta, observent strictam clausuram; & minimè cum sæcularibus vescantur in ulla parte sui Monasterii.

Alia ordinis statuta.

Quæritur

Vtriusque partis rationibus consideratis, quæ iure potiori nitatur? & an non obstante prætensa longa possessione, & allegatis in §. extraneos hospites. *possit vicariatus prohibere huiusmodi comestiones & conversationes etiam separatim à claustro Monasterij; & Abbatissam cogere ad abrogandas huiusmodi comestiones, & ad comedendum semper in refectorio, extra iustas tamen, & legitimas causas impedimenti, vel excusationis?*

Responsiones ad casum propositum.

QUia casus plura involuit, pluribus etiam responsionibus indiget, ut distinctius res tota intelligatur.

Respondetur itaque primò. Congregationem S. Victoris canonissarium Monialium S. Augustini, quæ ordinis quædam reformatio fuit, ante tempora Concilij Tridentini, ut verisimile est, à principio observasse in suis Monasteriis clausuram. Constat ex statutis revisis approbatis & signatis pro isto instituto & congregatione anno 1537. per Joannem Humilem Abbatem S. Victoris; Fratrem Joannem Simon, Priorem; Joannem de Costes suppriorem; Fratrem Reynerum Cantorem, & F. Corrad. In quibus omnia quæ de locutorio, portaria, rota, cratibus statuuntur, perfectam infuisse clausuram conveniunt.

Clausura in istis Monasteriis verisimiliter ante tempora Conc. Trident. Fuit observata.

Dixi (*Ante tempora Consilii Tridentini*) quod non nisi ad annum 1545. in Decembri inchoatum est.

Dixi etiam *Verisimile esse quod ab initiis huius instituti, clausura simul instituta & observata fuerit:* hoc enim probat, quod ubique terrarum in Monasteriis illius instituti passim observetur, & ab antiquo observata fuerit.

Respondetur secundò. Episcopum, seu Sede vacante, vicariatum, non tantùm posse, sed etiam teneri curare *sub obtestatione divini iudicii, & interminatione maledictionis æterna*, in Monasteriis illius instituti, seu congregationis clausuram *conservari*; & ubi forte bellorum injuria, aut aliis de causis violata fuerit, illam opportunis mediis *restitui: inobedientes atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, &c. compescendo.* Clarus est textus & præceptum Concilii Tridentini *sess. 25. capit. 5. de regularibus.*

Potest & tenetur Episcopus in istis Monasteriis clausuram conservare & restituere.

Respon-

Potest prohibere convivia, & cum secularibus.

Respondetur tertiò. Quocumque respectu posse Episcopum, seu vicariatum prohibere convivia, comessationes & comestiones Monialium cum sæcularibus; etiam ubi needum clausura perfectè observari potest.

Ratio est; quia hæc non tantum viventibus sub clausura, sed etiam quibuscumque contra disciplinæ regularis observantiam militant, quam restituere tenentur Episcopi & Prælati, prout illis demandatur tota fere *sessione 25. & sess. 21. de reformatione*: præterquam quod hujusmodi conversationes & comestiones virginibus castitatem professis periculosa sint, & incentiva malorum; dicente Prophano: *Sine Cerere & Baccho friget venus*, & alibi moneate Poëta: *Subtrahe ligna foco si vis extinguere flammam*. Contra hujusmodi comestiones & comessationes virginum cum viris, non raro declamant patres, & concilia, ut videre est in Concilio Carthaginensi primò. cap. 3. Carthaginensi tertio. cap. 33. Concilio generali sexto. can. 46. sub Agathone & Leone 2. Sancto Hieronymo, variis & obviis locis, ut *Epistola 22. ad Eustochium*. Tertulliano lib. de velandis virginibus. Quinimò *lib. 3. Clementin. cap. attendentes. de statu monachorum in sexto*. Mandatum est ordinariis, ut propter similes abusus ordinarii Moniales *retrahant ab insolentiis quibuslibet, & mundi hujus illecebris, ac inducant eas ad impendendum in Monasteriis suis devotum & debitum Domino famulatum*, easque ad ea compellant *remediis opportunis*.

Contra ea declamant patres & concilia.

Cap. Attendentes.

Antiquum ordinis statutum.

Et quidem hæc prohibitio virtute continetur in antiquo hujus congregationis statuto, de quo in relatione casus: *Tenebitur* (inquit) *Abbatissa*, &c. *cum aliis Monialibus in refectorio comedere, nisi legitimâ causâ impediatur, vel excusetur*.

Statutum primum etiam similia prohibet.

Respondetur quartò. Statutum in cujus virtute stabilire vult Abbatissa possessionem comedendi cum sæcularibus separatim à claustro, tantum abest ut Abbatissa faveat, quin potius est formaliter prohibitivum similium comestionum & conversationum. Hoc maturè textum considerandi, manifestum erit. Textus igitur est §. *extraneos hospites, &c. Amicos vel alios ad Monasterium advenientes non ultra sex dies retinere poterit, & nimis frequentes restringet, illosque separatim à claustro tractabit: nec ad eos contubernium & commercium religiosarum permittet, nisi raro & ad modicum tempus, & ex speciali gratia cum iusta causa.*

Statutum.

Expendat indifferens lector singula verba & clarè videbit statutum omninò prohibere, quod Abbatissa in suam partem trahere dicitur. Quod sic declaro, ex communibus axiomatibus, quibus dicitur: *Verba dicentis ex causa dicendi interpretanda esse*: & : *Verba legis ex intentione legislatoris esse pensanda*. Legislator itaque in hoc statuto à tribus voluit Monasteriû, & Moniales protegere. Primò ab expensis & gravaminibus nimiis, quæ generari solent ex nimia adventatione amicorum & aliorum; unde prohibet: *Neultra sex dies retinere possint*; & præcipit ut si nimis frequentes sint, restringantur. Clara sunt verba.

Prohibet quod Abbatissa pro se trahit.

Secundò, removere voluit inquietudines tam Abbatissæ quam Monialium & alios abusus qui in comessationibus & conviviis occurrunt; idcirco præcipit, ut amici & alii hospites separatim à claustro tractentur: ubi particula *separatim* non solum respicit ædificia Monasterii, sed maximè personas claustrales, alias enim præceptum inutile est. Quid enim prodesset ad disciplinam religiosam, si separatim ab ædificiis claustri sæculares tractentur, si Moniales claustri ad illos egredi, cum illis convivari, & comessari valeant? *Monasterium* sanè (ut bene notat Hugo de Dina, *in expositione cap. 11. Regulæ S. Francisci*) *non facit domorum ambitio, sed continua regularium habitatio personarum Ecclesiasticis maximè seu divinis officiis deditarum Monasterium non instructura, sed personæ constituunt, quæ & nobis causa prohibitionis existunt. Ob hoc fratres discreti omnem libenter Monialium locum vitant. Qui cavet laqueos securus est*. Hinc in Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 5.* Non tantum prohibetur virorum & feminarum *cuiuscumque generis aut conditionis* accessus sive ingressus intra septa Monasterii; sed etiam egressus sanctimonialium ad illos *etiam ad breve tempus*.

Monasterium quid Hugo de Dina.

Conc. Trident.

Separatim itaque à claustro tractari nihil est aliud quam tractari separatim à Monialibus, & ædificiis interioribus claustri, ad evitandas inquietudines, & alia quæ in comessationibus oriri possunt, & solent.

Nec verbum *tractabit* aliquid confert Abbatissæ: quod enim quis per alium facit, per se facere censetur: illeque propriè hospitem tractare dicitur, cujus expensis mensa sternitur, sive ejus qui mensæ expensas solvit. Non enim minus monasteria clausa strictâ clausura, hospites foris tractant, etsi nulla Monialis illis adsit, quam si personaliter adessent.

Quod quis per alium facit, censetur facere per se.

Hunc autem esse sensum superiorum verborum aperte constat ex sequenti prohibitione: *Nec* (inquit) *ad eos contubernium, & commercium religiosarum permittet*, *nisi raro*

Victorius probatur.

rarò & ad modicum tempus , & ex particulari gratia cum causa iusta quæ non possunt convenire ullatenus cum libertate Abbatissæ, tractandi personaliter in præsentia hospites advenientes, toties quoties: cum enim Abbatissa ad hospitum mensam sine honesta aliqua comitiva aliquarum Monialium, honestè accedere non possit, ergo toties quoties adventabunt hospites, ad illorum *contubernium & commercium* secum Moniales aliquas admittere debebit; sicque in risum abibit statutum, quod tantùm *rarò & ex speciali gratia, & cum iusta causa* permittit, si enim toties quoties, quomodo rarò? quomodo ex speciali gratia? quomodo ex ponderatione causæ iustæ? item si ad mensam & commessationes, quæ ad duas ad minus horas in prandio, in cœna autem ad profundam noctē protrahuntur, admittantur; quomodo censebuntur, admitti ad modicum tempus? quæ omnia ridiculum redderent statutum & inutile. Sicut & interpretatio quorumdam super particulis *contubernium & commercium*; ex quibus putant se colligere posse conversationes mensales & liberas: eodem enim fundamento per particulas sequentes interpretatio ista destruitur: si enim rarò & ad modicum tempus, quomodo erit *contubernium aut commertium? contubernium* enim verbum castrense est, quo commune tentorium, in quo plures milites solebant cubare, dormire, hospitari, *contubernium* dicebatur; & milites vocabantur *contubernales*: *commercium* autem verbum politicum est, quo correspondentiæ mercatorum ad invicem significantur; quæ duo non tantum à religiosa vita, sed etiam ab Ecclesiastica disciplina jam pridem rescissa sunt in isto usu & proprietate. Ut ergò legislator excluderet hujusmodi intellectum, proinde addidit *ut ad modicum tempus & ex speciali gratia & ex iusta causa* conversatio illa admitteretur, ut ostenderet se de honesto tantum colloquio, & transitoria ac modica conversatione religiosa velle loqui: absurdum enim esset dicere: Moniales contubernales esse virorum sæcularium, aut cum illis commercia ducere.

Contubernium & commercium quid dicendum?

Igitur quoad ultimas istas particulas dicendum est tertiò: legislatorem statuti voluisse restrictis abusibus, dare locum alicui urbanitati, & honestæ conversationi, videlicet ut extra refectiones hospitum, quas separatim à Monialibus & claustro vult fieri, possit permitti honestum colloquium & conversatio religiosa cum Monialibus, ubi justa causa suppetit; vel gratia specialis commendat, idque *rarò* ad conservandam disciplinam regularem, rescindendas inquietudines & nihilominus ad solatium & consolationem spiritualem: nimirum ad cratem vel loca à superioribus designata cum conditionibus in statuto expressis; utique *ad tempus modicum, rarò, &c. speciali gratia* & *iustitia causa* id exigente.

Mens legislatoris quæ fuerit?

Nec in contrarium allegari potest quod in istis Monasteriis habeatur cubiculum sive aula ad quam Domina Abbatissa descendere solet; & cum hospitibus comedere, & conversari. Hæc enim per corruptelam irrepserunt, quandò (ut ait venerabilis senex Abbas Nizellensis) *in libello quodam* de Monialibus sui Ordinis Cisterciensis: *De cratibus fecerunt fenestras, de fenestris ianuas, & disruptâ macerià, de locutoriis claustralibus, fecerunt refectoria & aulas.*

Corruptela quæ irrepserunt in Monasteria.

Unde si ad limam omnia reducamus, cum Nicolaus III. in extravaganti: quæ incipit: *Exiit qui seminat; de verborum signification. in sexto.* Declaret tam pro Monialibus clausis quam non clausis *nomine Monasterii*, intelligi debere *claustrum, domos, & officinas interiores*, ad quæ non datur sæcularibus accessus, quæritur an pars illa quàm vocant vulgo *Quarterium Abbatissæ*, sit de Monasterio & intra septa eius: an verò sit reputandum extra Monasterium & à Monasterio separatum? si enim sit de Monasterio, & intra septa eius; ergo non licet sæcularibus illuc accedere. Si reputetur extra Monasterium & separatum à Monasterio; ergo nec Abbatissa nec Monialibus licet illuc egredi, & accedere sine licentia Episcopi, prout ex Concilio Tridentino supra declaratum est.

Nomine Monasterii quæ debeant intelligi. ex Nicolao III.

Ex quibus omnibus patet plenaria responsio ad casum; potest enim Episcopus, vel sede vacante, vicariatus (ut dictum est) & restituere clausuram, & comestiones Monialium cum sæcularibus prohibere, tamquam religiosæ disciplinæ contrarias; quin imò virtute antiqui statuti, in casu relati, & à nobis explicati, tenentur Abbatissa & Moniales omninò ab hujusmodi mensis cum sæcularibus abstinere, & ad id cogi debent.

Conclusio finalis.

Nec præscriptio huius consuetudinis in hoc illis suffragari potest, cum nulla corruptela contra religiosam disciplinam, sicut nec vitium contra virtutem, possit præscribere.

Præscriptio non habet hic locum.

CASUS XXII.

De Priorissa graviter laborante, & denegata ei licentia ab Episcopo egrediendi extra clausuram, contra concilium Medicorum.

Proponitur casus.

CAtharina Priorissa, superior Monasterii N. Ordinis Canonissarum Regularium S. Augustini, tumorem, sive ruberem gravissimum contraxit in facie, qui quidem grassatur ab intra, declinatque judicio Medicorum in cancrum, nisi citò & sollicitè ei subveniatur. Eorumdemque Medicorum petitissimorum consultatione adhibita, adhibitisque remediis humanis, judicant & ipsi morbum incurabilem humanitus. Porrò quia nonnulli morbi sunt, quorum cura Sanctorum aliquorum singulari patrocinio, pietate Christiana, creditur reservata; ut ignea affectio S. Antonio, &c. Judicatur ab aliquibus (qui similibus morbis aliquando afflicti fuerunt, & S. Merculphi patrocinio ad ejus peregrinationem sunt curati) præfatum morbum ejusdem affectionis esse: unde piè speratur dictam Priorissam peregrinatione ad S. Merculphum factâ, posse à præfato tumore & tubere, ac periculo Cancri, patrocinio prædicti Sancti curari. Quia verò pro egressu è clausura requiritur ordinarii Reverendissimi Episcopi facultas,

Quæritur.

1. *An in hoc casu Reverendissimus Episcopus, Ordinarius Monasterii Superior possit facultatem ad egrediendum è clausura Monasterij dictæ Priorissæ concedere?*

2. *An in tali casu expediat illam dare?*

Suppositio.

Pius V.

RAtio dubitandi in primo quæsito ante omnem resolutionem sumenda & supponenda est, ex Bulla Pij V. quæ incipit. *Decori & honestati, &c. Data Romæ anno 1570. Pontificatus anno 5. Kal. Februarij.* in qua prohibentur ordinarii, & superiores dare licentiam Monialibus ad egressum è clausura, *nisi ex causa magni incendii vel infirmitatis Lepræ aut Epidemiæ*, quæ causæ in hoc casu non interveniunt.

Causæ ob quas Moniales possint egredi clausura.

Prænotanda.

PRo dilucida, & accurata resolutione primi quæsiti, in quo auctores variant,

Clausura canonissarum regul. unde oriatur.

Prænotandum est primò: clausuram canonissarum regularium Ordinis S. Augustini, non oriri ex voto originali regulæ, aut instituti ordinis istius; sed ex præcepto Ecclesiæ, ac jure humano, sive statuto ab Episcopis & superioribus posterius imposito, & à Monasterio, sive Monialibus acceptato. Hæc constant ex *c. periculoso* Bonifacii VIII. *de statu regularium in sexto.* quod renovat Concilium Tridentinum *Sess. 25. de Regul. c. 5.*

Cap. periculoso. Conc. Trident.

Differentia inter clausuras Monialiu.

Ex quo infertur, clausuras illas quæ per præceptum, aut statutum præter regulam sunt introductæ, non debere mensurari eodem rigore quo clausuræ originales ex voto primævo regulæ, & primævo instituto provenientes: sed illas sequi naturam præcepti humani positivi, & statuti, quod moderationes, interpretationes, epikeias, mutationes, &c. patitur; juxta eorum qui præsunt, sive legislatorum dispositiones, & personarum, locorum, ac temporum differentias. Quod ex eo liquidò patet, quia etsi æqualiter clausura *in cap. periculoso*, & Concilio Tridentino fuerit omnibus Monialium Monasteriis demandata, tamen nec in omnibus Monasteriis in hanc usque horam est facta; nec ubi est introducta uniformiter æquali rigore iisdem observantiis est instituta, quia ex doctrina Baldi in Rubricis *c. de constit. partic.* Et aliorum jurisperitorum, statuta regularium non ita rigorosè debent interpretari, ut apices juris serventur, sed ampliari possunt de æquo & bono, modo finis legis & statuti servetur.

Cap. periculoso. Conc. Trident.

Baldus.

Iudicium de legitima causa egrediendi est commissum Episcopis.

Prænotandum secundò. judicium de causa legitima, ad egressum Monialium extra clausuram à Concilio Tridentino, commissum fuisse vel relictum absolutè, & universaliter absque restrictione Episcopis. Ita expressè loco citato: *Nemini (ait) sanctimonialium liceat post professionem exire à Monasteriis, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, &c. nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda.*

Conc. Trident.

Abusus in egressu Monialium.

Prænotandum tertiò. Pium V. post Concilium Tridentinum informatum de nonnullis abusibus, qui irrepserant in egressu Monialium à clausura, prætextu visitandi parentes, consanguineos, filiationes, &c. tres causas determinasse, in quibus dumtaxar liceret Monialibus egressum à clausura permittere, nimirum: *Ex causa magni incendii, infirmitatis Lepræ, infirmitatis Epidemiæ*: Vt videre est in Bulla in ratione dubitandi allegata, quam Bullam Doctores interpretantur diversimodè, quoad causas illas determinatas.

Pius. V.

Ac

Sub tribus illis causis continentur omnes similes.

Ac in primis: omnes fere conveniunt, sub tribus illis causis expressis, contineri omnes similes, sive in quibus eadem ratio militat, quæ est, conservatio communis boni Monasterii, servatâ cautelâ, *ut decori & honestati sanctimonialium, & periculo omnis scandali provideatur*; Unde sententia communis est, per tres istos casus sive causas egressus liciti à clausura, Pium V. non derogasse aliis causis ab Urbano IV. in secunda Regula S. Claræ cap. 2. expressis, *quæ sunt inevitabilis & periculosa necessitas, incursus hostilis: seu aliquid huiusmodi*, inquit pontifex, utpote *inundantia aquarum*, &c. *Regimen necessarium, cui per externas Moniales oportet providere: correctionis causa: evitatio evidentis & gravis dispendij: translatio omnium monialium ad aliud monasterium:* Quæ sententia Doctorum tenet consequenter, alios consimiles casus non excludi: quia eadem ratio militat, & commune religionis bonum spectatur; quod quidem *bonum commune Monasterij*, ita servandum in legitima causa egressus autumant, ut ad singulare bonum, vel necessitatem Monialis in singulari, extendi posse aliqui negent.

Causa egrediendi clausura, in secunda Regula S. Claræ ab Vrbano IV.

Quæ censenda Epidemia infirmitas.

Inter Doctores autem non eodemmodo Epidemiæ infirmitas explicatur, aliqui enim in rigore per Epidemiam interpretantur, morbum pestiferum sive pestem: aliqui omnem morbum contagioni alicui ex sua natura subjectum, etsi actualiter semper non inficiat: Unde Hieronymus Llamas vir doctissimus in *Appendice constitutionis Apostolicarum super clausura Monialium* §. 10. inter infirmitates sub nomine Epidemiæ à Pio V. expressas refert: *Infirmitatem Gallicam sive Indicam, quam Hispani vulgo vocant Bubas & similiter, Elephantiam quam vocant, S. Lazari Lepram, & illud quod vocant incendium, sive ignem S. Antonij, & quamcumque speciem cancri, & quamcumque pestilentiam & contagiosam infirmitatem; Imo (ait) omnem illam infirmitatem intelligit Pius V. quæ moraliter loquendo intra septa Monasterij incurabilis est.* Hæc Llamas, quem sequitur in hoc puncto Sanchez *l. 6. in Decal. c. 15. n. 43.* Non desunt autem gravissimi auctores, qui asserunt Episcopos egressum Moniali infirmæ permittere posse: quando est infirmitas tanta, ut putetur in Monasterio incurabilis, si maximè sit cum periculo vitæ, aut gravissimi dispendij, & diuturnæ curationis, speretur autem foris curanda; quorum auctorum ratio est: quia jus humanum non obligat cum tanto rigore, & morali periculo mortis, aut gravis & diuturnæ infirmitatis, ubi hæc possunt evitari. Votum enim clausuræ ex præcepto, & dispositione humana, sive statuto proveniens, non excedit obligationem juris humani, & secundum illud explicandum, moderandum, & dispensandum venit. Et hanc sententiam absolutè tenet Navarrus, pientissimus pariter, & doctissimus in *cap. statuimus 19. q. 3. & comment. 4. n. 49. & 50. de regularibus*: quem sequitur Hieronymus Llamas supra, qui addit Navarrum Romæ dum scriberet super hoc consuluisse summum pontificem Pium V. decreti conditorem, imò citat eundem Navarrum adducentem *breve quoddam dispensatorium Gregorii XIII.* quo cum cujusdam Monasterii Monialibus dispensat ad egressum, ratione periculosæ infirmitatis, etiamsi non esset contagiosa. Eamdem sententiam sequitur, & bene probat Joannes de la Cruz *l. 1. de statu religionis c. 5. Dub 4.* Judocus Lorichius *in thesau. verbo Abbatissa 13.* & alii plurimi, estque praxis satis communis in Belgio.

Hieron. Llamas.

Sanchez, Quando Episcopus possit permittere egressum Moniali infirmæ.

Navarrus

Pius V. Consultus à Navarro super hoc brevi.

Ioan. de la Cruz.

Resolutio 1. Quæsiti.

Potest Episcopus dare licentiam Priorissæ.

AD primam itaque quæstionem respondeo. Episcopum posse Catharinæ Priorissæ, suppositis iis quæ in casu proponuntur, dare licentiam ingrediendi Monasterium; causâ peregrinationis ad S. Merculphum, &c.

Ratio est: quia tuber ille, sive struma, aut bubus, quocumque nomine vocetur, judicatur à Medicis in Monasterio per media humana morbus incurabilis: piè autem speratur, per media spiritualia usitata, & in aliis effectu probata, curandus, voriva peregrinatione ad dictum Sanctum, qui speciali privilegio creditur in tali morbo auxiliari: unde sicut Moniali afflictæ igne S. Antonii, legitimè permittitur peregrinatio ad S. Antonium: furiosæ, ad S. Hubertum; possessæ, ad S. Hermetem, &c. ita in hoc casu.

Secund. quia tuber ille certò declinat in *cancrum*, *cancer* autem (ut notat Llamas supra) quia contagiosus, sub epidemia continetur.

Terr. quia agitur de persona publica, sive superiore Monasterii, cujus ratione regimen commune Monasterii patitur detrimentum notabile, ex continua, & diuturna ac periculosâ infirmitate: unde militat ratio boni communis in hoc casu, procurandi etiam extra clausuram.

Quart. quia votum clausuræ in præfato Monasterio ex statuto tantum obligat, vovent enim clausuram Moniales sub

Resolutiones. K 2 istis

Voti clausura statuum Monialium. istis terminis. Promitto, *secundum institutionem & statuta huius domus sub perpetua clausura usque ad mortem*, supple, *vivere*. Clarum est autem statuta esse leges humanas, quæ cum periculo vitæ, & tanto detrimento non obligant: & cum ab Episcopis sint facta, & introducta, ab illis dependent in dispensatione & interpretatione justa.

Quint. Quia continetur hic casus in casu V. Urbani IV. qui est, *evitatio gravis & evidentis dispendij*.

Sext. Quia favet Episcopo praxis communis & recepta, Episcoporum Belgij, qui hactenus in similibus sic judicarunt, & practicarunt.

Resolutio 2. Quæsiti,

Non est periculum alicuius relaxationis quoad clausuram, ex hac licentia. UNum fere dubium movetur super congruitate & expedientia, quod movet Emanuel Roderigues *tom. 1. qq. Reg. q. 49. a. 2.* nimirum: quod per tales licentias egrediendi aperitur janua & datur occasio relaxationis, & dissolutionis clausuræ: si enim detur uni facultas, aliæ similiter, etiam fictis prætextibus idem prætendent, &c.

Respondeo itaque: positis debitis circumstantiis, & observatis cautelis ut decori & honestati egressus bene consulatur, nil hic irregulare, aut relaxationis intervenire, quo minus expediat facultatem dari: nam persona publica est, & bene merita; egressus moribus patens & omnibus obvius & notus. Causa, & operatio religiosa & pia utpote peregrinatio sancta. Circumstantiæ omnes probatæ. Unde (ut expresse docet Emanuel supra) *Dispensatio in casu talis Monialis bene merita, non est occasio relaxationis, & dissolutionis clausuræ, cum ipsam tot & tales circumstantiæ contineantur.* Et addit *& si* (inquit) *in tali casu esset scandalum aliquorum, contemnendum est. Quia revera esset acceptum, & non datum.* Hæc Roderigues. Et sic patet responsio ad secundum quæsitum. *Roderig.*

CASUS XXIII.

De puero masculo septennali existente intra clausuram Monasterii Monialium subditarum Episcopo.

Proponitur casus. QUidam puer masculus trium vel quatuor annorum (qui prætenditur ex nobilissima, & principe familia legitimè natus; sed dolo & malitia furtive sublatus) dum partes litigant pro veritate plenè indaganda (re quidem multum arduâ, & ex qua gravissima damna sequuntur; utpotè generis & familiæ jactura & injuria successio in hæreditatem paternam, devolutio hæreditatis ad alienos, iniquitas & injustitia in tota successione, &c.) ex decreto senatus Regii, & Reverendissimi Episcopi licentia (ut interim puer ab omni fraude, insidiis, & periculis conservaretur) depositus est in Monasterio Monialium regularium S. Augustini, sub perpetua clausura viventium; ut intra clausuram, sub custodia & educatione aliquarum Monialium remaneret. Porro lite jam pluribus annis in lungum productâ, cujus necdum finis; puer ille masculus attigit septennium: ex quo oritur scrupulus.

Quæstio.

An puer ille septennium jam complens, possit deinceps in Monasterio intra clausuram ulterius retineri?

Rationes dubitandi sunt.

PRima. Quia Concil. Trident. *sess. 25. de Reg. c. 5.* Renovans *c. periculoso. Bonifacij VIII. Tit. de statu regularium in 6.* apertè concludit & decernit: *Ingredi intra septa Monasterij nemini licere: cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit*, &c. Quibus verbis, per *genus & conditionem*, omnis nobilitas; *per ætatem*, omnis ætas, quantumcumque imbecillis & parva excluditur: quinimò ex eo non desunt, qui etiam pueris & puellis cujuscumque ætatis, omnem ingressum in clausuram Monialium indictum esse docuerunt: & ita sensisse referunt Paulum Tuscum *l. 2. de util. & regimine Ecclesiarum c. 19. n. 15.* Comitolum *l. 6. Resp. moral. q. 12. & 22.* Qui (quamvis pueri sint peccati incapaces) docent tamen Moniales admittentes, incurrere peccatum, & censuras à concilio fulminatas. *Conc. Trident.* *Paulus Tuscus. Comitolus.*

Secunda ratio dubitandi oritur ex natura septennij; in quo septennio cum jam rationis usus censeatur incipere, & anni Discretionis à septennio ordinariè computentur, omnis torrens Theologorum & canonistarum (paucissimis exceptis) docent: puerum septennalem intra clausuram ingredi vel admitti nequaquam debere. *Communis doctrina Theolog. & Canonist.*

Prænotanda ante Resolutionem.

UT hic casus, imò & tota materia clare intelligatur, & plenissimè resolvatur.

Præ-

Potuit ante septennium clausuram ingredi, & in ea detineri. Prænotandum est primò. Non moveri in hoc casu difficultatem: *An puer masculus ante septennium in clausuram Monialium ingredi, & in illam admitti & detineri possit ex iure communi?* præterquam enim quod puer (de quo est quæstio) jam supponatur septennium complevisse; est communis sententia Doctorum omninò posse; ut tradit Navarrus *in cap. statuimus n. 59.* Corduba *in summa qu. 60.* Emanuel Roderiguez *Tom. 1. qq. Reg. q. 46. a. 1.* Sanchez *in Decalog. l. 6. c. 16. n. 5.* citans plurimos. Et quæstionem *extra omnem controversiam esse*, affirmat novissimè Tamburinus *de iure Abbatissarum & Monialium Disp. 22. quæst. 4. num. 1.* citans Bonacinam, Henriquez, Riccium, Azorium, Mirandam, Lezanam, Suarem & alios: quos ibi vide. Adeoque docent non modo non peccare infantes qui præcepti & peccati capaces non sunt, sed nec Moniales admittentes (pro quo citat Tamburinus Barbosam *de officio & potestate Episcopi alleg. 102. num. 32.* Gambaram, Sorbo, Llamas, Bonacinam & alios) omnium verò hæc fundamentalis ratio est: quia Concilium Tridentinum sub illa universali clausula (*cuiuscumque ætatis*) intelligit tantum eos qui usum rationis nacti sunt, utpote qui præcepti, sicut & peccati, sunt capaces: & cum finis legis sit; nè pax monialium turbetur; & nè per clausuræ ingressum Moniales ad peccatum inciteutur (ut omnes supradicti Doctores notant) constat pueros ante septennium nec usum rationis habere, nec per se Monialium pacem turbare, aut illas ad peccatum incitare posse, nisi valde remotè & indirectè; prout nimis scrupulosè speculatur P. Florentius Boulenger *Tract. 2. de clausura Monialium c. 2.* qui tamen potius loquitur de abusu indiscriminatim admittentium pueros in clausuram: quam de causa speciali de quo est modo quæstio, vel de iis, qui Episcoporum licentia admittuntur, de quibus infra.

Navarrus. Corduba. Emanuel Roderig. Sanchez. Tamburi. Tamburi. *Qui intelligantur per clausulam cujuscumque ætatis.* Florent Bouleng.

Moniales admittentes, pueros ante septennium, intra clausuram non peccant. Docent itaq; supracitati Doctores: Moniales admittentes pueros ante septennium, non peccare: quia nec personas à lege prohibitas admittunt, nec finem legis in aliquo violant. Igitur nulla est hic quæstio de puero ante septennium, quia jam supponitur puer, de quo in casu, septennium complevisse.

Post septennium, non possunt admitti, nec ingredi absque iusta dispensatione. Prænotandum secundò. Nec hic quæstionem moveri: an simpliciter puer masculus post septennium ætatis expletum, jure communi, vel consuetudine, absque licentia legitima possit ingredi, admitti, aut retineri intra clausuram Monialium: Est enim sententia communis omnium Doctorum ex jure Conc. Trid. puerum post septennium absque iusta dispensatione non posse: quia prohibitio Concilii Trid. extenditur ad omnes qui ad ætatem, sive annos discretionis pervenerunt (ut omnes intelligunt) apud omnes etiam usus rationis, & discretionis incipere censetur à septennio; & qui septennis est, communiter supponitur usum rationis nactus, & consequenter peccare posse, ac legi Concilii subjacere.

Tota igitur difficultas in tribus quæstionibus versatur.

Quæstio 1.

An Episcopus possit licentiam dare, ut puer masculus post septennium possit intra clausuram Monialium admitti, & remanere ad tempus?

Quæstio 2.

In quibus casibus & causis, huiusmodi licentiam dare possit?

Quæstio 3.

An in casu prænarrato, sint sufficientes causa, ut Episcopus licentiam faciat, seu permittat præfatum puerum post septennium intra clausuram remanere?

Resolutio 1. Quæstionis.

In casibus necessariis potest Episcopus dare istam licentiam etiam adulto. AD primam igitur quæstionem respondeo: Episcopum posse in casibus necessariis dare licentiam, & facultatem, non modo puero masculo excedenti septennium, sed & adulto ingrediendi clausuram Monialium sibi subditarum; & consequenter, stantibus iisdem causis necessariis in clausura remanendi. Responsio clara est ex textu *Cap. periculoso de statu regul.* Quod in Concilio Tridentino renovatur, ubi cum pontifex Bonifacius VIII. Verba sequentia posuisset: *Nullis que aliquatenus inhonesta persona, nec etiam honesta ingressus vel accessus pateat ad easdem* (id est Moniales) *ut sic à publicis & mundanis conspectibus separata omninò servire Deo valeant liberius, & (lasciviendi oportunitate sublata) eidem corda sua, & corpora in omni sanctimonia diligentius custodire*, &c. Interposuit per parenthesim & sequentia (*Nisi rationabilis & manifesta causa existat, ac de illius ad quem pertinuerit speciali licentia.*) Quod apertius repetit, & renovat Concil. Trid. supracitato loco his verbis; *ingredi autem intra septa Monasterii nemini*

Bonifac. VIII. Cap. periculoso. Conc. Tridenti.

nemini liceat, cuiuscumque generis, aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, sine Episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta, subexcommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Et subjungit: *Dare autem tantum Episcopus, vel superior licentiam debet in casibus necessariis, neque alius ullo modo possit.* Hæc Concilium.

Non tantum fœminis, sed & viris potest Episc. vel superior dare illam licentiam, in casibus necessariis.

Ex quibus verbis manifestum est: substentibus casibus necessariis Episcopum vel superiorem dare posse non modo puero, sed & adulto; nec modo fœminis, sed etiam viris, facultatem ingrediendi clausuram: cum prohibitio excipiat licentiam Episcopi, vel superioris: *Sine* (inquit) *Episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta*: Ex hoc enim bene infertur; ergo licentiâ Episcopi, vel superioris obtentâ, poterit intrare in clausuram Monialium in casibus (ut subditur) *necessariis*; Et consequenter perseverantibus *casibus, sive causis necessariis, & licentiâ*, poterunt remanere intra clausuram Monialium. Nec est aliquis auctor, quem sciam, qui aliter docuerit, vel intellexerit, aut intelligere possit Concilium Tridentinum.

Non obstat Bulla Gregor. XIII.

Nec moveri potest aliquis scrupulus ex Bullis pontificum sequentium, præsertim Gregorij XIII. in Bulla quæ incipit. *Ubi gratiæ. data Romæ apud S. Petrum anno 1575. Idibus Junij. Pontificatus anno* 4. per quam revocantur omnes licentiæ datæ tam à Sede Apostolica, quam à Legatis & Episcopis ingrediendi Monasteria Monialium: in Bulla enim ista, ita manifeste approbantur licentiæ singulares Episcoporum, & superiorum in *casibus necessariis data, quibus* (inquit pontifex) *illas concedendi in casibus necessariis tantum* (auctoritas) *ex Decreto Concilij Tridentini tribuitur*. Additurque: *Ne prætextu* illarum *licentiarum*, &c. *Monasteria ipsa Monialium pro libitu, sed necessitatibus urgentibus dumtaxat ingredi, neve Moniales sub iisdem pœnis illos admittere præsumant.* Ex quibus verbis aperte constat potestatem concedendi licentias ingrediendi clausuram Monasteriorum Monialium, juxta Concilii Tridentini præscriptum, penes Episcopos eandem permanere; sed pro urgentibus necessitatibus tantum, & non aliter.

Resolutio 2. Quæstionis.

ADvertendum pro resolutione hujus quæstionis, variis terminis pontifices explicare casus, vel causas, in quibus licet Episcopo, sive superiori dare licentiam intrandi, vel remanendi intra clausuram Monialium: Nam ut supra vidimus: Bonifacius VIII. *Cap. periculoso*, requirit *causam rationabilem, & manifestam*: Concilium Tridentinum dicit: *in casibus necessariis*: Greg. XIII. dicit: *pro necessitatibus urgentibus*.

Bonifac. VIII. Conc. Trident. Gregor. XIII.

Requiruntur tantum causæ moraliter necessariæ.

Respondeo itaque primò. Concilium & decreta pontificum requirere tantum casum, & causam moraliter necessariam, sive necessitatem moralem; quæ nimirum vix, & sine magno detrimento, & periculo aliter evitari non potest. Ita Emanuel Roderiguez supra *art.* 4. qui addit: *In omnibus præceptis & divinis & humanis, etiam lege non excusante, semper intelligitur excepta moralis necessitas, prout* (inquit) *dicunt communiter Doctores*. Et sequitur Sanchez supra *c. 16, n.* 40. citans etiam alios.

Emanuel Roderig.

Sanchez

Iudicium de necessitate casus, penes quos.

Emanuel Roderig.

Respondeo secundò. Judicium de necessitate casus & causæ, esse penes prudens arbitrium Episcopi, & peritorum. Ita iterum Emanuel Roderiguez supra unde infert: Concilium non loqui *de illis casibus in quibus ante Concilium poterant iure communi, vel expresso Episcopi licentiam præstare, &c. sed de necessitate morali & extraordinaria, iudicio peritorum determinanda, & decernenda*. Quod & repetit *q.* 47. *a.* 4. *sub finem*, ubi docet Concilium non loqui *de casibus necessariis ordinariis*, sed *de aliis necessariis moraliter extraordinariis, & in cogitatis iudicio peritorum determinandis*.

Necessitas causæ ex quibus ex pendendas.

Respondeo tertiò. (Omissis casibus, & causis in jure, vel declarationibus pontificum expressis) *casus & causas necessarias* in quibus licet Episcopis, & superioribus dare facultatem intrandi, vel remanendi intra clausuram Monialium debere expendi; ex ratione personæ, periculo vitæ, periculo famæ, vel gravis injuriæ, aut gravissimi alicujus detrimenti quod aliter vix evadi posset.

Sanchez.

Ita indicat Sanchez de jure vitæ tuendæ, & gravi detrimento corporali evitando, *sup. num.* 59. qui ait: malefactorem in discrimine constitutum non peccaturum; si intra clausuram Monialium se salvaret: *Quia* (inquit) *jus tuendi vitam, vel grave corporis damnum, ut si pœna mortis, flagellorum, vel triremium plectendus esset, ipsum excusat*. Quod si ista malefactorem, etiam absque licentia intrantem, excusent à peccato, ratione juris naturæ & necessitatis: probabilius concluditur Episcopum posse dare licentiam innocenti, in simili necessitate, intrandi, & permanendi in clausura Monialium, ad vitam tuendam, & grave damnum evadendum, ut juri naturæ faveat.

Malefactor salvat se intra clausuram Monialiū sine peccato.

Multo magis innocens.

Simi-

Item nobilis mitrona ad tuendam famã, potest intrare clausuram monialium conceptionis, comitatis aliquibus puellis. Roderig. supra a. 6.

Similem necessitatem concludit Emanuel Roderiguez *art. 6.* pro tuenda fama: exemplo alicujus generosæ, seu nobilis fœminæ, quam dicit (*cum doctissimis Theologis*) posse intrare Clausuram Monialium conceptionis (quæ clausura est strictissima & strictissimi juris) comitatam tribus, aut quatuor Puellis; *Si ipsa generosa non habeat commoditatem manendi in sæculo sine dispendio sui honoris, & famæ: & quod prædicta necessitas sit causa sufficiens ad dispensandum.* Alias sufficientes causas ad dispensandum cum mulieribus, ut possint intrare, & manere in clausura Monialium referunt declarationes Cardinalium; ut quando *Mulier venit in suspicionem Adultery apud Maritum, & ob id timet, ne ab eo vis sibi aliqua inferatur.* Similiter: Quando est *gravis discordia inter fœminam & virum, & periculum imminet mulieri à sævitia viri*: Et multa alia hujusmodi vide in declarationibus præfatis Cardinalium apud Roderiguez sup. *quæst. 46. art.* 10. ex quibus causæ pares deduci possunt pro pueris & viris intra clausuram Monialium recipiendis.

Declarationes Cardin.

Roderig. supra a. 10.

Idem a. 4.

Et quamvis juxta eundem Roderiguez *ibid. a. 4. Minor causa requiratur pro ingressu fœminarum intra clausuram Monialium, quam pro ingressu virorum*: Necessitas tamen ex iisdem objectis, & circumstantiis proportionaliter mensuranda venit, excluso vero, & reali periculo, quod forte Monasterio, vel Monialibus immineret. Ita enim attendenda, in talibus casibus, est necessitas ad facultatem concedendam, ut etiam congruis modis Monialium tutelæ, & protectioni provideatur. Unde & ætas, & qualitas, & aliæ circumstantiæ prudenter expendendæ sunt: aliud est enim de puero ante annos pubertatis, aliud de adolescente, & adulto post pubertatis annos: aliud de Sene descrepito, aliud de viro, &c.

Congruis modis Monialium tutela providendum.

Resolutio 3. Quæstionis,

Et totius casus principalis.

Permitti potest puer ille, lite durante, intra clausuram, ad aliquot adhuc annos.

AD tertiam eandem Quæstionem, ac totum casum; Respondeo: licere omninò Episcopo absque scrupulo permittere, ut puer masculus, de quo in casu est quæstio, quamvis septennium compleverit, lite durante, ad aliquot adhuc annos in clausura præfatarum Monialium permaneat.

Est casus plane extraordinarius.

Ratio est: Prim. Quia est casus extraordinarius veræ necessitatis, jus naturæ & charitatis complectens, ob raritatem & extraordinarias conditiones, commissus judicio Reverendissimi Episcopi & peritorum: Referturque ad vitam innocentis pueri à probabilibus periculis, insidiis, dolis conservandam: Ad avertenda gravia damna, & injurias familiæ nobilis: Ad iniquitates & injustitias dissolvendas; quæ omnia necessitatem gravissimam inducunt.

Necessitas vera judicio peritissimorum.

Secund. Quia peritissimorum judicio hæc necessitas jam stabilita est: Nimirùm, judicio & decreto Senatus, sive Concilii Regii, qui istum modum conservationis tamquam necessarium decrevit; cum nullus alius securus modus appareret. In aperta enim domo, vel ad quam datur accessus, & recessus; ab insidiis, periculis, dolis, fraudibus, &c. his rerum circumstantiis puerum securè conservari non posse, omnis prudens facilè judicabit.

Ætas puerilis.

Tert. Attendenda est ætas puerilis & imbecillis, quæ adjutorio manus & operæ fœmineæ, ut plurimùm indiget; & sine qua, vix educari potest.

Nil periculi ab eo timendum.

Quart. Nec probabiliter timendum est Monialibus ab aliqua considerabili molestia; minus ab honestate in infante innocente, & inter illas enutrito, & educato; qui eas velut nutrices suspicit, & timet; notanter tamdiu ante pubertatis annos: Cum nec ab assuetis passio fiat, & aliundè omnibus incongruentiis, quæ vel indirectè, vel remotè timeri possent, per congruos modos, & cautelas, per Monasterii Superiores facilè provideri possit. Confirmant hoc argumentum allegata superiori resolutione. Si enim Pontifices respondentibus Cardinalibus, permittant Episcoporum licentiâ mulieres de adulterio suspectas, discordes, & interdùm patrùm honestas, intra clausuram Monialium suscipi; quæ possunt suis dictis, & querimoniis, moribus, & afflictionibus multum Monialibus castis nocere: Quid difficultatis movendum est in infante simplici, puello, nullo malo genio, modò informato.

Mulieres, de quibus supra, plus possunt nocere Monialibus.

Clausura alia strictissima, alia benignior.

Roderigi supra a. 9.

Addo: Quod spectat ad clausuram ex Roderiguez sæpè *citata q. 46. a. 9.* Duplicia dari Monasteria clausa: In aliquibus enim indicta est strictissima clausura ex Regula, & prima institutione: In aliis benignior, utpotè quæ benignè, & absque austeritate introducta est. Et in his posterioribus ut Roderiguez docet facilior est in nonnullis ad clausuram spectantibus dispensatio, *consuetudine legem interpretante.*

CASUS XXIV.

Super electione cujusdam Abbatissæ.

Proponitur casus. PRælato Ordinario Præsidenti electioni Abbatissæ in Monasterio sibi subjecto, aliquæ Moniales suum suffragium dederant sub hisce terminis: *Do suffragium meum illi quàm (Tu Prælare) judicas magis idoneam ad regimen Monasterij*: Et de facto illa quam judicavit Prælatus magis idoneam, electa est.

Quæritur.

An hujusmodi vota, sive suffragia computari possint, & valeant ad Canonicam electionem?

Cap. In electionibus, &c. Ratio dubitandi sumitur ex *cap. In electionibus, Tit. de electione & electi potestate in Sexto*: Ubi sic habetur: *In electionibus & Postulationibus, ac Scrutiniis, ex quibus jus oritur eligendi, vota conditionalia, alternativa, vel incerta penitùs reprobamus, statuentes (ut hujusmodi votu pro non adjectu habitis) ex puris consensibus celebretur electio, voce illorum qui non purè consenserint, ea vice in alios residente.* Ex quo inferri potest: atqui votum & suffragium, de quo in casu, inter incerta reputari debet, eo quod à voluntate aliena dependeat; ergo suffragium illud invalidum est, & pro non adjecto reputandum.

Præmittenda ante Resolutionem.

Quæ suffragia communiter à doctoribus reprobentur in electionibus. ANte resolutionem hujus casus advertendum est, omnes ferè Doctores communiter reprobare suffragia, quæ sub his & similibus verbis in electionibus dantur. *Eligo Petrum si majorem suffragiorum partem habuerit; sin minus, eligo Paulum: Item, Eligo illum in quem major pars suffragiorum consenserit.* Item *Eligo illum quem Prælatus, vel Petrus elegerit.* Ratio est quia priora quidem, conditionalia sunt, vel alternativa, sive disjunctiva: Posteriora autem incerta, dubia, & suspensiva, cum à voluntate, & libertate Prælati sive votantis alterius dependeant: unde & per Textum supra allegatum reprobantur.

Suffragiũ, de quo in casu, non est hujusmodi. Advertendum Secundò. Suffragium, sive votum, de quo in casu, multum distinguit ab iis quæ ab auctoribus referuntur. Multùm enim & longè differunt hæc: *Eligo quem Prælatus elegerit.* Ab hoc. *Eligo, sive do votum meum illi quam (tu Prælate) judicas magis idoneam ad regimen Monasterij*: Illud enim est incertum & dubium, ac suspensum, utpote relictum in mera libertate, & voluntate Prælati: Hoc autem est determinatum, absolutum, & restrictum ad judicium practicum rationis & conscientiæ Prælati, ita ut non liceat illi votum hoc applicare nisi illi, quam verè magis præ cæteris judicat idoneam ad regimen Monasterii. Unde non invenio aliquem auctorem qui hanc, vel similem formulam suffragii hactenùs examinaverit, præter unum Neotericum, qui in suis Quæstionibus Regularibus (quæ necdum prælum viderunt) approbat quidem suffragium, de quo in casu, addit tamen Prælatum priùs debere eligenti exprimere personam, quam judicat magis idoneam, & consensum eligentis petere. *Cuiusdam Neoterici opinio.*

Resolutio.

REspondeo itaque Primò. Suffragium, sive votum, de quo in casu, esse reputandum validum, & legitimum ad electionem Canonicam. Ratio est: quia est determinatum & absolutum, ac puri consensus, legitimis verbis expressum, & a votis in Textu *cap. In electionibus* reprobatis alienum. Quæ omnia sic declaro. Ac Primò quidem ostendo esse *absolutum & determinatum*: Per illud enim eligens intendit & circumscribit, ac de facto eligit personam unicam & individuam, quæ practico & actuali judicio Prælati inter omnes putatur, sive censetur, & judicatur magis idonea ad Regimen: quæ etsi non nominetur nomine proprio, aggregatione tamen circumstantiarum non potest esse nisi una, certa & determinata, conformiter ad præsens & actuale judicium Prælati electioni præsidentis, ita ut Prælatus nulli conditioni, nulli indeterminationi, nulli suspensioni relinquatur, sed teneatur suffragium istud personæ à se judicatæ magis idoneæ ad Regimen conferre. Quæ omnia benè notari debent, ut hoc votum secernatur à votis conditionalibus, alternativis & incertis, quæ sola reprobantur. *Suffragiũ illud validum esse ad electionem Canonicã.*

Secundò. Ostendo conformiter ad Textum allegatum esse *puri consensus*: Puritas enim consensus in hoc attenditur, ut persona eligens, purà in eligendo referatur intentione; Hic autem non potest purior intentio fingi; quàm ut magis idonea ad Regimen eligatur, prout in voto exprimitur. Demum puritas consensus in hoc magis clarescit, quod simpliciter, absque conditione, vel particula suspensiva exprimatur: & ad practicum judicium Prælati, quod non nisi unicum esse potest, reponatur, *Puritas consensus in quo attendatur.*

natur. In quo iterum major apparet puritas. Cum enim jure etiam naturali prohibitum sit: ne quis salva conscientia incognitum, sive cujus capacitatis nullam habet notitiam, eligar (ut ostendit Angelus *V. Electio n. 22. ex Panormitano*) Hoc saltem mulieri sive puellæ, ob fragilitatem sexus & judicii, concedendum est; ut in electionibus, quæ sunt gravissimæ importantiæ, possint requirere & sequi judicium alienum: Non potuit autem, nec potest sequi purius & securius judicium, quam Prælati, cui incumbit in conscientia providere, ut Regimini Monasterii sit bene provisum: purissimè verò sequitur, cum votum suum judicio Prælati de majori idoneitate relinquit.

Angelus.

Nec Neotericus supra allegatus prudentet clausulam adinvenit, quasi deberet prius Prælatus exprimere personam quam judicat magis idoneam: quia nasceretur inde abusus gravior revelationis votorum, quæ debent esse secreta: per hoc enim & suum votum, quod judicium idoneitatis sequi debet ex natura, alteri, & pluribus sic sua vota exprimentibus manifestaret, contra juris & Concilii Tridentini prohibitionem.

Improbatur opinio Neoterici.

Quod manifesto juris communis exemplo declaratur in voto quod Procuratori ab absente committitur: Absens enim votum sive suffragium Procuratori committens, prohibetur illud scripto date, imò & verbo determinate, sed tenetur illud Procuratori in genere confidere, ut eligat suo nomine magis idoneum. Unde declaratio Cardinalium apud Garziam *de beneficiis parte 5. cap. 4. num. 200. Procuratores* (inquit) *legitime constituti cum generali mandato ad eligendum, ab iis qui legitimè impediti sunt, non excluduntur, dummodò non habeant speciale mandatum de eligenda certa persona, quia tunc votum non posset esse secretum.* Hæc ibi.

Absens qui debeat committere votum Procuratori?

Declaratio Card. apud Garziam.

Expendat Neotericus ex hac Cardinalium declaratione duo. Prim. An sicut absens potest imo & debet Procuratori suo dare mandatum in genere eligendi personam idoneam, absque tamen specificatione & expressione certæ personæ: ita non liceat Puellæ, sive Moniali eligenti, personam idoneam in genere determinate, absque expressione nominis, quando judicium de idoneitate relinquit Prælato suo? Secund. Si nominatio personæ secretò facta Procuratori, æstimatur contra secretum electionis: An nominatio à Prælato facta personæ eligendæ, secretum electionis non violaret? Sufficit itaque eligenti si votum determinatum & absolutum ita ferat, ut juxta circumstantias persona ita determinetur, ut acceptans votum personam illam designate debeat, etsi nomine proprio expressa non sit.

Duo expendenda Neoterico proponuntur.

Respondeo Secundò, & principaliter, praxim illam satis frequentem esse inter Prælatos timoratos, prudentes, & doctos: ut in Conventibus & Monasteriis Monialium (quando maximè vident ex inconstantia, scrupulositate, anxietate Monialium periclitari electiones Superiorum) determinationem voti sive suffragii ad personam magis idoneam, ad instantiam & importunam postulationem suffragantium, quæ se determinare ob scrupulos, & anxietates nolunt, aut non possunt, ad turbationes & majora mala evitanda acceptent. Quod in Ordine S. Francisci à Provincialibus & Commissariis Generalibus absque scrupulo, imo magnâ prudentiâ, & discretione; & non sine fructu practicari vidi, in casu, scilicet quo electiones periclitabantur, vel dissidia, vel difficultates timebantur. Quamvis viderim aliquos etiam scrupulosos idipsum refugientes, non tamquam illicitum, sed quia vel gravari timebant, vel aliundè quæstiones, & diffidia vetebantur, si ista per garrulitatem muliebrem revelarentur. Verùm in omnibus his arbitror & censeo istud relinquendum discretioni Prælatorum, quorum interest bono Regiminis providere, cum jure prohibitum non sit: imò eodem in substantia fundamento illud nitatur, quo & Procurator absenti, & compromissarius diffidentibus est permissus, ut nimirum mala vitentur. Sicut enim absens dicit Procuratori suo: *Elige nomine meo magis idoneum*: Sic præsens: *Do suffragium ei, quem judicas magis idoneum*, & utrumque censetur suffragium determinatum. Itaque & legitima suffragia in casu proposita judico, & validam electionem censeo.

Practicatur hoc sæpè frequenter à Prælatu timoratu &c.

In Ordine S. Francisci.

CASUS XXV.

De Monialibus Ordinis Cisterciensis volentibus se ad civitatem transferre, & Episcopo nolente consentire nisi se illi subjiciant.

Abbatissa & Moniales Monasterii ordinis Cisterciensis siti in Belgio, intendunt migrare ad civitatem juxta Concilium Synodi Tridentin. Episcopus Diœcesanus non vult easdem admittere nisi sub hac conditione si se velint ipsi subjicere.

Proponitur casus.

Quæri-

Quæritur.

Vtrum hoc impedire Episcopus possit; quod si non, quâ viâ cogi possit?

Episcopus non potest impedire istam migrationem, minùs talem conditionem addere.

Concil. Trident.

Respondeo Episcopum id impedire nonposse, minùs talem conditionem sive onus, ut subjiciantur sibi, superaddere. Ratio est: quia inferior nihil potest in ordinationem Superioris, sive ut illam impediat sive ut illam limitet. Clarum est autem decretum Concilii Trident. *Sess. 25. de Regul. c. 5. & quia* (inquit) *Monasteria Sanctimonialium extra mœnia urbis, vel oppidi constituta, malorum hominum prædæ, & aliis facinoribus, sine ulla sæpe custodia sunt exposita; curent Episcopi, & alii Superiores, si ita videbitur expedire, ut Sanctimoniales ex iis ad nova, vel antiqua Monasteria intra urbes vel oppida frequentia reducantur, invocato etiam auxilio, si opus fuerit, brachii sæcularis; impedientes verò, vel non obedientes per censuras Ecclesiasticas parere compellant.* In quibus verbis sequentia adnotanda sunt.

Ad quos dirigatur hoc decretum, & qualiter?

Primò. Decretum dirigi æqualiter tàm ad Superiores alios, respectu suarum Monialium; quàm ad Episcopos respectu sibi subditarum, idque independenter ab invicem. Secundò. Nullam requiri Episcopi licentiam, nihilque arbitrio Episcopi in hoc decreto relinqui. Tertiò. Impedientes etiam pœnis Ecclesiasticis debere compelli.

Aliud decretum Conc Trid. Huic non obstat.

Nec obstat decretum Concilii *eâdem sess. c. 3.* Ne de cætero Monasteria erigantur *sine Episcopi, in cujus Diœcesi sunt erigenda, licentia priùs obtenta.* Huic enim decreto in isto singulari casu, per aliud. *c. 5.* ab eodem Concilio censetur derogatum, quamvis non sit propriè erectio Monasterii, sed tantùm translatio, eaque ab universali Concilio decreta & ordinata. Inutilis etiam foret conditio apposita, de Monialibus Cisterciensibus Episcopo subjiciendis: Moniales enim Cistercienses ita sub protectionem immediatam S. Petri, & subjectionem Sedis Apostolicæ sunt assumptæ, cum omnimoda exemptione à jurisdictione Episcoporum, & aliorum Ordinariorum, nec non Ordini Cisterciensi incorporatæ, ut nec ipsæ, nec totus Ordo Cisterciensis, possit illas in jurisdictionem Episcopi etiam mediante quocumque contractu transferre, sine expressa auctoritate, & licentia S. Sedis.

Qualiter Moniales illæ sint ordini Cisterc. incorporata.

Innocent. VIII.

Ita decrevit Innocentius VIII. anno 1486. in Bulla quæ incipit. *Ad Romani Pontificis.* Ubi derogat omni contractui, vel translationi ad hocinitis.

Potest igitur Superior viâ facti, ad hanc translationem procedere *invocata etiam ad hoc* (juxta Concilium) *protectione & auxilio Brachii sæcularis.*

CASUS XXVI.

De Privilegio aliquorum Religiosorum, administrandi Sacramenta custodibus refugii, ad Monasterium suum pertinentis.

Propositio casus.

Religiosi cujusdam Monasterii ex vi Privilegii Ordini concessi, solebant excipere Confessiones custodum refugii cujusdam ad Monasterium supradictum pertinentis; postea factum, quod vocaretur pastor, idque per longissimum tempus interruptè.

Quæritur.

Vtrum potuerit Pastor, & Episcopus præscribere; vel utrum Sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ unctionis possint à Religiosis prædictis de novo administrari? & quid faciendum sit, si Episcopus & Pastor contradicant?

Si Pastor fuerit vocatus ut ordinarius, qualiter longitudine temporis potuerit præscribere.

Ad hanc Quæstionem dupliciter respondendum est. Primò. vel enim vocatus est Pastor, ut ordinarius loci, & personarum in loco existentium, ad Sacramenta ministranda, & hoc modo longitudine temporis contra Privilegium, sive exemptionem custodii istius refugii præscribere potuit; in quantum hujusmodi personas, sive custodes concernit; & hoc ex communi lege præscriptionum juris, vel possessionis. Dico *in quantum hujusmodi personas, sive custodes concernit*, qui scilicet in isto hospitio habitare consueverunt. Non enim derogatur, aut præscribitur contra privilegium Ordinis, pro omnibus aliis locis, sive refugiis, ac personis in illis habitantibus, etiamsi sub eâdem parochia aliquod ex illis existeret. Prævaricatio enim & non usus Privilegii in aliqua, vel aliquot domibus, imò & regionibus, non derogat Privilegio, vel usui in aliis, qui eo utuntur.

Respectu illorum custodum tantùm.

Si non fuerit vocatus ut ordinarius, non potest præscribere.

Secundò. Vel vocatus est pastor, non ut ordinarius, sed ut idoneus, & approbatus Minister in absentia ordinarii, vel alterius specialiter ab Abbate delegati; sive etiam ut tacito consensu, & ex licentia eligendi Ministrum Sacramentorum in absentia Ordinarii sui, velut delegatus indirecta delegatione; & hoc modo non potuit pastor longitudine temporis præscribete, quia hunc actum non exercuit ut Pastor

Pastor proprius, sed ut delegatam jurisdictionem ab Abbate, seu Superiore directè, vel indirectè participans.

CASUS XXV.

De Privilegio Ordinis Cisterciensis excipiendi Confessiones familiarium & famulorum suorum Monasteriorum.

Proponitur casus. ABbas quidam Cisterciensis Ordinis in Belgio deputavit Titium Religiosum suum ad excipiendas confessiones familiarium, & famulorum sui Monasterii. Opponit sese Episcopus Diœcesanus, & sustinet Abbatem in hoc nullam habere potestatem.

Quæritur.

Vtrum Abbas prædictus hoc non possit? Quod si sic, quomodo Episcopo contradicenti occurrendum?

Non potest Episcopus illum impedire. Resp. Episcopum Diœcesanum nullatenus posse impedire, quo minùs Titius à suo Abbate deputatus ad excipiendas confessiones familiarium, seu famulorum in Monasterio degentium, & eis actu inservientium, eas excipiat. Clarum est jus *Conc. Trident.* Concilii Tridentini *sess.* 24. *de Reform. c.* 11. ubi clarè à jurisdictione Episcoporum eximuntur, & excipiuntur. *Qui* (ait) *prædictu locis* (id est Monasteriis, hospitalibus, Collegiis) *aut militiis actu serviunt, & intra eorum septa, ac domos resident, subque eorum obedientia* (nimirùm domestica) *vivunt.* & *sess.* 25. *cap.* 11. excipiuntur similiter personæ sæculares, *quæ sunt de illorum Monasteriorum seu locorum familia*, ut eis Regulares Sacramenta administrent absque dependentia à jurisdictione Episcopi. Unde cum ex privilegiis antiquis tàm sibi, quàm ex communicatione cum aliis Ordinibus concessis, possint Cistercienses famulis suis intra Monasteriorum septa, sive etiam in domibus eorum habitantibus, & actu eis servientibus omnia Sacramenta Ecclesiastica administrare, & eos sepulturæ Ecclesiasticæ, cum decesserint, tradere, &c.

His privilegiis nullatenùs est derogatum per Concilium Tridentinum, sed in viridi suo vigore permanent. Vide Emanuelem Roderigues *tom.* 2. *qq. Regularium quæst.* 68. *art.* 1. ubi explicat etiam qui sunt famuli & familiares, nec non continui commensales reputandi. *Eman. Roderig.*

Ejusdem quædam Non est tamen audiendus Roderigues ibidem: ubi ait *Confessores non posse audire confessiones famulorum, & famularum, nisi Religiosi confessores sint ab ordinario approbati*: Hoc enim est contra ipsum Concil. Trident. & declarationem Cardinalium datam 30. Martii 1594. In qua decernunt, posse *Prælatos Regulares, sive aliorum Religiosorum Confessores absque licentia Episcopi, Confessiones eorum sæcularium, qui sunt verè de familia, & continui commensales, non tamen illorum qui tantùm deserviunt Monasteriis audire*, &c. vide declarationes ad *cap.* 15. *sess.* 23. *opinio ex toto hoc. improbatur. Declaratio S. Congr. Card.*

CASUS XXVI.

De venditione cujusdam domus per Moniales primæ Regulæ S. Claræ. Et an sint incapaces Domini rerum in communi.

Proponitur casus. QUædam Moniales primæ Regulæ S. Claræ quadraginta circiter ab hinc annis, ab Hollandia exules, in civitate N. Germaniæ receptæ sunt, quibus Nobilis Domina. A. ante mortem suam domum legavit, sive ut illam inhabitarent, sive ut ex ejus pretio (quod æstimabat ad duodecim millia dalerorum Coloniensium) Conventum sibi compararent. Inhabitaverunt itaque primò domum illam sibi legatam, extructâ Ecclesiâ, & aliis aliquibus locis Regularibus, pro occasione temporis, & circumstantiis loci, idque per eleëmosynas varias sibi oblatas. Quia verò non sufficiebat locus ad Conventum Regularem perficiendum, dum alias domos sibi comparare studerent, Magistratus sive Senatus ursit, ut ob commoditatem civitatis alium sibi locum ad ædificandum deligerent; quod & fecerunt loco priori relicto, & per Syndicos Ordinis divendito consensu Episcopi & Superiorum, quibusdam Monialibus alterius Ordinis, ut ex pretio illius sibi locum alium emerent, & Conventum cum debita clausura ædificarent. Contractu igitur facto, & à Syndicis Ordinis signato, dum jam pridem ad alium locum migrassent, Conventum ædificassent, pretium prioris domus usque ad restantiam 700. Imperialium ex vi contractus recepissent, dum dictos 700. Imperiales requirerent, Moniales, quibus domus vendita erat, illos residuos ex mandato (ut ajebant) Superiorum persolvere recusarunt; hac quidem fundamentali ratione. Quia Moniales primæ Regulæ S. Claræ erant incapaces dominii, & possessionis & consequenter venditionis illius domus & fundi. Et quamvis per Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *de Regularibus cap.* *Concil. Trident.*

cap. 3. viderentur capaces redditæ, eo quod Concilium Tridentinum à jure Domioii & professionis *solos Fratres Minores* & *Capucinos* excluserit, nihilominùs constat Clarissas primæ Regulæ huic juri semper renuntiasse, & altissimæ paupertati, quam voverunt juxta primam Regulam semper adhæsisse.

Quæritur.

1. *An Moniales primæ Regulæ S. Claræ post Concilium Tridentinum sint etiam recusatione factâ capaces Dominii rerum in communi?*

2. *An posito quod sint incapaces potuerint vendere & alienare locum, & domum de qua est quæstio?*

3. *An Moniales emptrices ex vi contractus teneantur pretium integrum domus emptæ persolvere?*

Responsio ad 1. Quæstionem

Moniales omnes S. Claræ ex vi Concil. Trid. sunt capaces dominii rerum in communi.

AD primam Quæstionem Respondeo. Primò. Ex vi Concilii Tridentini omnes Moniales S. Claræ redditas esse capaces Dominii & possessionis omnium rerum suo Ordini congruentium in communi. Textus Concilii clarus est, cum enim tantùm excipiat à jure Dominii & possessionis solos Fratres Minores de Observantia, & Capucinos, sine dubio omnibus aliis Regularibus utriusque sexus, jus Dominii & possessionis rerum in communi concessit. Illo communi axiomate quod *exceptio firmet Regulam in contrarium.* Et hæc est communis sententia omnium Theologorum & Canonistarum. De Monialibus S. Claræ; specialiter Miranda. *Tract. de sacris Monialibus quæst. 9. art. 3. concl. Unica.* Rodergues *qq. Regularium Tom. 3. quæst. 29. art. 14.* & plurimis allegatis auctoribus Tamburini *de jure Abbatissarum disput. 8. quæst. 9.* Sanchez *lib. 7. in Decalogum cap. 12. num. 2.* Navatri *de Redditibus Ecclesiasticis, Quæst. 1. num. 100. in 2. editione.*

Miranda. Roderig. Tambur. Sanchez. Navarrus.

Esto renuntiaverint actuali usui hujus juris, non redduntur tamen simpliciter incapaces.

Resp. Secundò. Etsi Moniales primæ Regulæ S. Claræ actuali usui hujus juris & dominii possidendi bona in communi renuntiaverint usque in hunc diem; non redditamen simpliciter incapaces. Ratio est: quia lex Concilii illas capaces facit, non privilegio vel dispensatione, sed decreto & constitutione universali; cui per non usum derogari nequit quoad capacitatem: Hâc enim lege Concilium providere voluit Ecclesiæ & Regularibus, non quidem jure coactivo, sed jure libero. Unde etsi Conventus & personæ usum hujus juris & legis à se allegare possint, non tamen juris & legis capacitatem, cujus usus tempore, & ac loco, circumstantiis supervenientibus reviviscere potest: Et quamvis persona & Collegium juri sibi acquisito renuntiare possit, non tamen capacitati, quæ pro ordine in communi remanet, & ab aliquo Conventu ad actum secundum reduci potest. Et in praxi plurimi Conventus S. Claræ qui prius recusaverant bona in communi possidere, mutatis circumstantiis tempori, ad usum juris Concilii Tridentini sibi concessum legitimè redierunt, ut in Hispaniis, Galliis, & aliis Regionibus est manifestum.

Plures conventus redierunt ad usum juris sibi concessum.

Responsio ad 2. Quæstionem.

Esto forent omninò incapaces potuerunt per Syndicos domum illam vendere.

SUppositâ etiam omni incapacitate juris, vel Dominii in Monialibus paupetibus primæ Regulæ S. Claræ. Resp. dictas Moniales de quibus est quæstio potuisse per Syndicos Apostolicâ auctoritate constitutos domum sibi legatam vendere & alienare, & ex pretio sibi de alia domo providere. Ratio est: quia earum paupertas non excedit altissimam paupertatem Fratrum Minorum de Observantia & Capucinorum, sed ipsi domus sic sibi legatas & donatas possunt per Syndicos & Oeconomos S. Romanæ Ecclesiæ curare divendi & alienari, & pretium in suas necessitates expendi; ergo multò magis Sorores primæ Regulæ S. Claræ. Ut verò hæc ratio etiam Regulam Fratrum Minorum & S. Claræ ignorantibus manifesta appareat; notanda sunt sequentia infallibilia fundamenta. Primum. Observantiam paupertatis Monialium primæ Regulæ S. Claræ, in quovis strictissimo rigore (etiam reformationis S. Coletæ) debere mensurari juxta paupertatem Regulæ S. Francisci, prout à summis Pontificibus est declarata. Ita habent constitutiones Gulielmi de Casali auctoritate Apostolicâ factæ, & à deputatis Cardinalibus Nicolao S. Crucis, & Juliano S. Angeli approbatæ, ac in Concilio Basiliensi dum adhuc obtemperaret Eugenio I. confirmatæ, quæ & referuntur in firmamento trium Ordinum S. Francisci *5. parte tract. 1. c. 10. de observantia paupertatis* sub his verbis: Ratio (inquit) *paupertatis earum, & dispositio legatorum eu factorum, ex pia voluntate decedentiū, fiat in modum; secundùm quem ordinavit D. Nicolaus Papa III. in declaratione Regulæ Fratrum Minorum fieri ab ipsis Fratribus,* &c. Quidquid igitur Pontifices summi statuerint circa possessionem & dominium rerum tàm mobilium quàm immobilium, quorum usum Fratribus Minoribus licet habere, idem multò

Idem possunt Fratres Minores.

Firmamentum trium Ordinum S. Francisci

multò magis debere intelligi de Sororibus S. Claræ primam Regulam in strictissimo rigore observantibus.

Hæc porrò statuerunt & ad litteram declararunt summi Pontifices, & quidem Nicolaus III. *Cap. exiit qui seminat, de verborum significat. in 6. art.* 2. In jus, possessionem & dominium S. Romanæ Ecclesiæ recipit omnia mobilia, quorum usum Fratres Minores habere possunt. Et de immobilibus sic definit: *Loca empta* (inquit) *de eleemosynis diversis, & oblata seu concessa Fratribus sub quacumque forma verborum*, &c. *in quibus ipsi possidentes*, &c. *nihil sibi in oblatione seu concessione hujusmodi reservaverint, similiter & in jus, & dominium ac proprietatem nostram & Ecclesia prædicta eadem auctoritate suscipimus*, &c. In locis autem in quibus concedentes sibi reservarunt jus, aut dominium, Pontifex sibi & Ecclesiæ Romanæ reservat Ecclesiam, oratoria ad Ecclesiam destinata, & cœmeterium. Similem etiam habet declarationem Nicolaus IV. in Bulla quæ incipit: *Quia nonnulli: data Romæ Calendis Maii. Pontificatus anno primo.*

Nicolaus III. Cap. Exiit.

Nicolaus IV.

Ex quibus clarè infertur: Domum, de qua est quæstio, pauperibus Clarissis à Nobili Domina N. legatam, cum absque retentione dominii fuerit legata, pertinuisse ad jus, dominium & proprietatem S. Romanæ Ecclesiæ: multò autem magis Ecclesiam, & alia ex eleëmosynis datis Clarissis, in eodem loco empta & ædificata. Secundum fundamentum est omnes res tam mobiles, quàm immobiles Fratribus Minoribus concessas, cum pertineant ad jus & dominium Romanæ Ecclesiæ, cum fiunt ipsis minùs utiles in majorem eorum utilitatem posse alienari, vendi, distrahi, commutari (nomine Romanæ Ecclesiæ, ad quam dicta bona pertinent) per Syndicos, & Oeconomos auctoritate Apostolicâ à Ministris Generalibus vel Provincialibus institutos. Hoc concesserat à principio Innocentius IV. in Bulla quæ incipit: *Quantò studiosius. Data Romæ 13. Calendas Septembr. Pontificatus anno 3.* Idem concessit Nicolaus III. in Cap. *Exiit qui seminat.* Cui concordat Clemens V. in Cap. *Exivi de paradiso.* Distinctè Martinus IV. in Bulla quæ incipit: *Exultantes, data apud veterem urbem 15. Calend. Februarii. Pontificatus anno 2.* Et Nicolaus IV. in Bulla quæ incipit. *Religionis bonos.* Eugenius IV. in Bulla quæ incipit. *Provisionis nostræ.* Et Martinus V. in Bulla quæ incipit: *Amabiles fructus.* in qua & derogat Constitutioni Joannis XXII. *Ad Conditorem Canonum.* Latissimè autem Paulus IV. in Bulla quæ incipit: *Ex clementi Resolutiones.*

Res mobiles & immobiles cōcessa Fratribus Minoribus qualiter possunt alienari, &c.

Innocent. IV.

Nicolaus III.

Clemens V.

Martinus IV.

Nicolaus IV.

Martin. V. derogat const. Ioan 22.

Paulus IV.

Sedu Apostolica provisione. Data Romæ anno 1555. Pontificatus anno 1. quæ omnes etsi loquantur de Fratribus Minoribus; tamen ex conformitate altissimæ paupertatis, & constitutionibus Pontificum, etiam de Monialibus primæ Regulæ S. Claræ intelligendæ sunt, & hactenùs intellectæ fuerunt. Et nè difficultates aut dubia moverentur, specialiter res mobiles & immobiles Ordinis S. Claræ ob utilitatem ipsarum nomine Romanæ Ecclesiæ, per Syndicos legitimè institutos posse alienari & vendi, ac earum pretium in res eis utiles converti, expressissimè decernit Julius II. in Bulla quæ incipit: *Exponi nobis nuper fecisti. Data Romæ die 1. Octob. Anno 1509. Pontificatus anno 5.* In qua allegatis Bullis Martini IV. Eugenii IV. & Sixti IV. decernit bona Monialium S. Claræ sicut & Fratrum Minorum pertinere ad dominium Ecclesiæ, & ea posse per Syndicos vendi, alienari, commutari, & varia statuit circa Syndicos tamquam Romanæ Ecclesiæ *Officiarios.* Et Leo Papa X. in Bulla quæ incipit, *Cum sæpe numero, data Romæ 27. Novembris. 1519. Pontificatus anno 7.* Concedit Ministris Provincialibus ut cum consensu duarum partium Conventus, possint curare vendi & alienari bona immobilia Monasteriorum S. Claræ in evidentem earum utilitatem. Similem fecit concessionem pro Abbatissis, ut prædicta possint alienare de consensu Ministrorum Pruvincialium, & majoris partis Conventus; ut habetur in compendio Privilegiorum, *verbo Alienatio rerum Ecclesiasticarum.*

Etiam de monialibus 1. Reg. S. Claræ sunt intelligenda.

Julius II.

Leo X.

Ministri Provinciales possunt curare alienari, &c. earum bona immobilia.

Responsio ad 3. Quæstionem.

Respondeo itaque ad tertiam quæstionem Moniales Emptrices teneri ex vi contractus integrum pretium domus emptæ in utilitatem Clarissarum pauperum persolvere. Ratio clarissima est: Quia contractus omni jure subsistit, & consequenter effectum consequi debet: Est enim de domo pauperibus Clarissis legitimè legata, & aliis per varias eleëmosynas acquisitis, quæ decernente Nicolao III. & aliis Pontificibus in 2. responsione relatis pertinent ad dominium S. Romanæ Ecclesiæ: factus est autem contractus à personis legitimis, Romanæ Ecclesiæ Syndicis, consentientibus Ordinis Superioribus, nec non Abbatissâ & Monialibus, & inevidentem non tantùm utilitatem, sed etiam necessitatem, ut ex dictis clarissimè constat. Nec est ullus auctor, vel modicùm in Regula Fratrum Mi-

Tenentur Emptrices totum pretium persolvere.

norum, & S. Claræ versatus qoi huic doctrinæ rationabiliter contradicere possit. Unde ad rationem in casu propositam clara est responsio: etsi enim supponatur pauperes Clarissas primæ Regulæ S. Claræ in omni rigore suæ strictissimæ observantiæ, esse dominii & juris cujusvis incapaces, uti Fratres Minores de Observantia, & Capucini; bona tamen quæ eis dantur, legantur, vel quovis modo in usum simplicem ab eis acquiruntur, in quibus concedentes dominium sibi non reservarunt pertinent ad jus & dominium S. Romanæ Ecclesiæ, & ejus auctoritate & dispositione vendi possunt, prout & factum esse superiùs sat superque probatum est.

CASUS XXVII.

De cujusdam Monialis professione invalida ob melancoliam Hypocondriacam, quâ ante professionem laborabat.

Proponitur casus. Bertha ante Religionis ingressum sæpius agitata morbo quem melancoliam hypocondriacam judicaverunt Medici, junctam delirio & fatuitati; sive ut Gallicè eorum testimonia loquuntur (*Reverie d' esprit*) morbum celavit, & toto novitiatu ita dissimulavit ut non apparuerit: & quamvis juxta morem Ordinis Sororum pauperum sanctæ Claræ interrogata ante professionem fuerit, an esset mente & corpore sana? Hunc defectum suum subticuit; & non obstante illo defectu secretò professionem in qualitate Sororis extricis emisit. Post professionem aliquot mensibus, morbus recruduit usque ad amentias quasdam, & phreneses furiosos, & omni remedio incomponibiles: & quamvis non continuo, frequentissimè tamen, & per intervalla, recurrit: unde & à Medicis judicatus est morbus periodicus, qui certas periodos & intervalla patitur.

Quæritur.

1. *An professio Berthæ sic facta fuerit invalida, & an talis declaranda?*
2. *Per quem sit declaranda?*

Resolutio primæ Quæstionis.

Impedimenta respectu professionis Religiosæ alia essentialia, alia accidentalia. Ad resolutionem primæ Quæstionis, advertendum est. Primò. Duplicia respectu professionis Religiosæ reperiri impedimenta: Alia sunt essentialia, quæ & dirimentia dici possunt; Alia sunt accidentalia, quæ etiam impedientia tantùm dici queunt. Essentialia nuncupantur, quæ status Religiosi essentiæ, sive substantiæ contrariantur, sive talia sint ex natura rei, aut juris natura; sive sint jure communi constituta, cum irritatione professionis. Prioris generis sunt amentia; defectus usus rationis; coactio sive violentia aperta tempore quo emittitur Professio; imò & quævis vera incapacitas ad essentialia Religionis observanda.

Posterioris generis sunt, quæ etsi ex natura rei statui Religionis non repugnent, ob causas tamen Ecclesiam moventes constituta sunt ad professionem irritandam, ut quæ de anno integro, de ætate 16. annorum, &c. ab Ecclesia sunt decreta.

Accidentalia nuncupantur, quæ etsi Religioni multùm sint incongrua & nociva, non repugnant tamen essentialibus Religionis votis vel ipsi Religioso statui; ut sunt morbi quidam longævi, graves & incurabiles, cum quibus exercitia votorum essentialium stare possunt; Homo enim quantumvis infirmus, paupertatem Religiosam, obedientiam, & castitatem servare potest, etsi multum Congregationi, sive potius personis incommodi adferat.

Morbi repugnantes ex sua natura essentiæ Religionis. Advertendum Secundò. Morbos aliquos esse, qui essentiæ Religionis repugnant ex natura sua, ut sunt afflictiones delirii, furiositatis, amentiæ etiam si continuæ non sint, sed lucida intervalla habeant: hæc enim cum hominem usu rationis privent, hominem obedientiæ imò & aliorum votorum incapacem reddunt, saltem pro tempore quo abreptitii sunt: supponitur autem quod frequentius reincidant & symptomatibus horum morborum, natura & complexio sit subjecta. *Alii repugnantes societati.* Alii morbi sunt qui etsi simpliciter essentialibus votis non repugnent; repugnant tamen Societati sive Confraternitati, quæ est primaria proprietas status Religionis Cœnobitarum; unde in variis Religionibus qui morbo caduco, leprâ, morbo Gallico, vel alio laborant, jure Apostolico à Religione excluduntur, constituto ex his impedimento dirimente, sive irritante professionem,

Professio Religiosa, ut est contractus mutuus, quos consensus requirat. Advertendum Tertiò. Cum professio Religiosa sit contractus quidam mutuus inter profitentem & Religionem, non tantùm requiri liberam & veram voluntatem & consensum in profitente ut se obliget Religioni; sed etiam liberum & verum consensum ex parte Religionis quæ illum recipit, & cui Religio se obligat: Ita ut alterutrius consensu deficiente, professio in illa

illa Religione nulla sit; ut explicat, & tenet Navarrus *lib. 3. Conc. tit. de Reg. Conc. 5.* quem refert & sequitur Portel. *verbo Professio nulla n. 7.* & alii.

Navarrus. Portel.

His sic prænotatis pono responsiones sequentes.

Responsio 1.

Professio illa est nulla.

BErthæ professio, de qua in casu, est invalida & nulla. Ratio hujus prima & fundamentalis est; quia continet impedimentum essentiale, & consequenter dirimens, & annullans ex parte profitentis: utique quia ante professionem laborabat juxta judicium Medicorum Melancoliâ Hypocondriacâ cum delirio, & alienatione mentis, & fatuitate; imò & Phrenesi furiosâ. Constat autem Melancoliam Hypocondriacam repugnare obedientiæ, quæ est fundamentum Religionis, & totius structuræ ejus; & hanc sententiam tenet Peregrinus *V. Prælatus quæst. 3. cap. 1. §. 2. num. 64.* Generaliter docens: Inhabilem esse ad profitendum eum qui est impotens præ morbo aut senectute ad servanda non solum essentialia, sed etiam accidentalia Religionis, *& peccant* (ait) *mortaliter facientes.* Citat autem Ledesmam, Mirandam, Suarez, Roderigues, S. Thomam. Nec refert quod habeat interstitia, & lucida intervalla, ut clarè Sanchez *tom. 2. lib. 5. cap. 2. n. 63.* Morbus enim etsi non sit continuus, continuitate motus, & instantium, sive temporis; est tamen perpetuus & continuus continuitate causæ, & habitus qui censetur complexioni perpetuo inhærere, & consequenter in proxima potentia ad motus & actus Religioni omninò repugnantes. Declaratur autem in Matrimonio, non enim aliâ ratione impotentia est impedimentum dirimens, nisi quia personam reddit impotentem ad actus Matrimonii: qui autem fatuitate laborat & delirio, impotens censetur ad actus essentiales imò & accidentales Religionis ut sic: neque enim amens etsi habeat lucida intervalla aliqua, censetur aptus aut habilis simpliciter ad actus rationi conformes, sed simpliciter fatuus reputatur.

Melancolia Hypocondr. repugnat obedientiæ.

Peregrin.

Alii auctores ab eo citati.

Sanchez.

Impotentia unde dirimat Matrimon.

Ratio Secunda sumitur ex ipsa Regula S. Claræ cap. 2. in qua inter conditiones necessarias recipiendarum ad ordinem ponitur, ut *persona non sit infirmitate* (inquit) *aliquâ, seu fatuitate, ab hujusmodi observantia impedienie gravata.*

Conditio necessaria ex Regula S. Claræ.

Ratio Tertia sumitur ex nullitate consensus, protestatur enim professionem recipiens, quod si desint conditiones requisitæ, professionem fore invalidam, & nullam; Unde Portel. *tit. professio: Nulla n. 10. Erit* (inquit) *etiam professio nulla ex defectu consensus Ordinis, si Novitio intimetur aliqua conditio seu pactum statuti cum protestatione si sit de re notabili & postea inveniatur mentitus.*

Nullitas consensus ex parte recipientis.

Portel.

Responsio 2.

SUppositâ quacumque contentione & disputatione de validitate professionis Berthæ, potest expelli & ejici, ob mendacium gravissimæ consequentiæ. Et ita Portel supra *n. 9.* citans Navarrum, & concessionem Leonis X. Thom. Sanchez *tom. 2. l. 5. cap. 4. n. 58.* citans Emanuelem Sa *V. Religio n. 34.* Roderig. & alios.

Potest expelli ab ordine.

Portel.

Thomas Sanchez & alii.

CASUS XXVIII.

De examine puellarum ab Episcopis, ante susceptionem habitus regularis, in Monasteriis exemptis.

VIcariatus N. Sede vacante, audiens aliquam Novitiam in Conventu Tertiariarum Ordinis S. Francisci, habitu probationis indutam, non præmisso examine ab Episcopo, vel deputatis, ante visitationem, litem movet & contestatur. Primò. Non servatam legem Concilii Tridentini *sess. 25. c. 17.* de Regularibus, quâ decernitur, ut *Si puella quæ habitum Regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa, vel alia professionem emittat quàm exploraverit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus Virginis voluntatem diligenter: An coacta, an seducta sit: an sciat quid agat: & si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas, juxta Monasterii illius, & Ordinis Regulam; nec non Monasterium fuerit idoneum; liberè ei profiteri liceat cujus Professionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur Monasterii præfecta, eum ante mensem certiorem facere. Quod si præfecta Episcopum certiorem non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.* Hæc Concilium.

Proponitur Casus & factum.

Concil. Trident.

Secundò. Asserit Vicariatus hoc decretum hactenus in Diœcesi Brugensi observatum, & in vigore esse, etiam quoad exemptos Regulares. Quod probare intendit ex lege Diœcesana Romæ confirmata, & ex factis, &c.

Tertiò. Minatur fulmina excommunicationum

cationum, & censurarum, non tantùm in Monasterii præfectam, sed etiam exagitare nititur Novitiam per comminationem exuitionis, sive expoliationis, & privationis habitus; ut examen quod debebat ante vestitionem fieri, modò suppleatur, & fiat.

Responsio Commissarij Generalis Germaniæ & Belgij, cui Conventus est subjectus.

UT clarè, distinctè, & præcisè respondeatur doctrinaliter ad casum illum. Primò supponendum est: non agi de examine Novitiæ ante professionem, nec de obligatione præfectæ ad intimandum tempus professionis; hic enim textus Concilii est clarus, & moribus utentium hactenus receptus. Tota ergo controversia est de examine ab Episcopo, vel ejus delegato facienda ante habitus susceptionem. Super quo Secundò advertendum est: plures hic moveri debere quæstiones, quibus, ut confusio evitetur, satisfaciendum erit.

Quæstiones proponendæ.

PRima. An Concilium Tridentinum absolutè & simpliciter in textu allegato, præcipiat indifferenter omnes puellas ad probationem Religionis induendas, ab Episcopo ante susceptionem habitus examinari?

Secunda. An lex ista communi usu, vel approbatione sufficienti sit pro Ordine S. Francisci, in dicto Episcopatu, N. aut etiam in Belgio recepta?

Tertia. Casu quo esset recepta: an præfecta ante vestitionem teneatur monere Episcopum de vestitione sive habitus susceptione à puella? Item quanto tempore, vel quot diebus ante? Item posito quod non sit monitus Episcopus, quâ pœnâ debeat plecti præfecta? Item an Episcopus vel Vicariatus aliquid possint circa indutam Novitiam, obneglectum examen? Hæ omnes quæstiones resolvendæ sunt, ut in confusione opinionum & controversiarum fiat lux.

Quæstio 1.

An Concilium Tridentinum absolutè, & simpliciter præcipiat indifferenter omnes puellas ad probationem Religionis induendas, ab Episcopo ante susceptionem habitus examinari?

Variæ opiniones Do- Juxta varias constructiones, sive punctuationes Textus supracitati Concilii Tridentini, variæ à principio natæ sunt opiniones. *ctorum circa verba Concilii.*

Prima. Asserit per primam partem hujus Textus Concilii, nihil decerni circa examen puellarum ante susceptionem habitus: sed tantùm prohiberi, nè puellæ ad habitum probationis recipiantur ante completum ætatis annum duodecimum, sic enim punctuant: *Si puella, quæ habitum Regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante eum suscipiat:* Hic ponunt duo puncta, ut sit sensus, nulla puella ante duodecim annos habitum Regularem suscipiat. Quæ autem sequuntur; *Ne postea ipsa, vel alia professionem emittat* juxta illorum sensum aliud præceptum disparatum à primo continent, de examine ante professionem. Ita sensisse referuntur omnes Patres Conciliatii in Concilio Toletano sub Domino Præsule S. R. Ecclesiæ Card. Gasparo à Chiroga *an.* 1582. 8. *Septembris*, ut videre est apud Emanuelem Rodergues *tom.* 3. *qq. Reg. q.* 12. *a.* 2. & Mirandam *Tract. de Sacris Monialibus q.* 8. *a.* 2. *Patrum Conciliariorum in Conc. Tolet. Opinio.* Roderig. Miranda.

Secunda opinio asserit: hoc textu præcipi quidem examen puellarum quæ habitum suscipere volunt post completum duodecimum ætatis annum, non tamen earum quæ minoris sunt ætatis, sive quæ ante ætatis 12. annum habitum Regularem suscipere volunt. Ita verò punctuant: *Si puella quæ habitum Regularem suscipere voluerit major duodecim annis sit:* Hic adjiciunt duo puncta: Reliqua verò verba: *Non ante eum suscipiat*, &c. Usque ad finem, intelligunt de præcepto examinis subeundi. Ex quo inferunt: puellas minores duodecim annis posse habitum suscipere absque ullo examine. Vide Mirandam, & Emanuelem Rodergues supra.

Tertia sententia est: Textum in suo complexu toto, duo continere præcepta. Primum. Quod puellæ ante duodecimum annum non suscipiant habitum. Secundum. Quod quæcumque susceperint habitum Regularem, sive fuerint minores duodecim annis in susceptione habitus, sive majores, non possint tamen emittere professionem antequam Episcopus illarum voluntatem exploraverit, Ita ut examen referatur ad tempus professionis, non ad tempus vestitionis, sive susceptionis habitus. Sic verò punctuant: *Si puella, quæ habitum Regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante eum suscipiat: ecce primum præceptum. Nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quam exploraverit Episcopus*, &c. *voluntatem virginis diligenter.* Ecce secundum præceptum: post quod *Idem.*

quod modus & pœnæ ponuntur. Et hanc sententiam etiam tenuerunt plures Theologi graves, de quibus auctores supra citati, & Sanchez *l.4. cap.18. n. 32. & seq. in Decalogum.*

Sanchez.

Responsio ad 1. Quæstionem.

Examen illud ante vestitionē & profess. pertinet ad Episcop ubi lex illa recepta est.

SUpradictis opinionibus non obstantibus, modò dicendum est: ex vi Concilii Tridentini, examen puellarum Deo in Religionibus dicandarum, ad Episcopum pertinere, tam ante habitus susceptionem, quàm ante professionis emissionem: ubi nimirum lex illa recepta est, & moribus utentium approbata. Ratio talis est: quia sic Congregationes Cardinalium Concilii Interpretum Textum Concilii intelligi debere decreverunt. Et hanc interpretationem sequuntur passim moderni Theologi.

Summa Responsionis S. Congregationis

Et hæc est summa responsionis S. Congregationis, missæ ad Reverendissimum Episcopum ejusdem urbis, quam ad annum 1626. mihi Provinciali existenti exhibuit: nihil enim aliud ab ipso quæsitum, nihilque aliud ei responsum fuit, quàm verba Concilii Tridentini de duplici examine, nimirum ante habitus susceptionem, & ante professionem debere intelligi.

Porrò ut ipsi tunc insinuavi, hic non erat nodus difficultatis inter illum & Provinciam Flandriæ, quam regebam: sed recusabant Patres admittere examen filiarum ab Episcopo faciendum ante vestitionem, hâc potissimum ratione: quod lex illa Concilii ad mores pertinens in Belgio saltem in ordine S. Francisci non esset recepta. Unde nec volui tunc in praxim legis consentire, adeoque cessat Reverendissimus Episcopus urgere. Sit igitur Quæstio secunda.

Quæstio Secunda.

An lex ista de examine puellarum ante habitus susceptionem communi usu, vel approbatione sufficienti, sit pro Ordine S. Francisci in Belgio, vel specialiter in Episcopatu. N. recepta?

Asserere videtur Vicariatus: Primò ex facto, quia plures puellæ se præsentaverunt Episcopo ante susceptionem habitus. Secundò. Quia lege Diœcesanâ Romæ approbatâ cautum dicitur in quadam Synodo Metropolis Mechliniensis; ut puellæ Religionis habitum suscipientes, etiam in ordinibus exemptis, ab Episcopis examinarentur.

Resolutiones.

Responsio ad 2. Quæstionem.

Lex illa in multis Regionibus non est recepta.

REspondeo Primò. Constare hanc legem, in multis Regionibus, quæ alias Concilium Tridentinum receperunt, non fuisse receptam. Ita de Hispania testatur Miranda *sup. art. 4.* citans Bobadillam *in suo manuali manuscripto*; nimirum: puellas sive majores, sive minores 12. annis, tantùm semel, idque ante professionem examinari ab Episcopo, vel ejus Vicario, numquam autem ante susceptionem habitus. Idem Roderigues supra. Et Sanchez *in Decalog. l. 5. cap. 4. n. 84. Quamvis* (inquit) *Tridentinum id duplex examen petat, majore duodecim annis ingrediente Religionem; At usu jam receptum est, ut unicum puellæ quâcumque ætate ingredientis præmittatur, nimirum quando professura est.* Hæc Sanchez.

Sanchez.

Nec in Belgio saltem per Ordinē S. Francisci

Resp. Secundò. Nec in Belgio, nec in Episcopatu. N. hæc Concilii Tridentini lex, quoad examen puellarum ante susceptionem habitus, per ordinem S. Francisci fuit hactenus recepta, aut usu comprobata. Hujus rei fidem facere possum, qui jam tertiò Provincialis fui, & generalioribus officiis perfunctus, & Moniales subditas habui in Episcopatibus omnibus Belgii. Nullus verò Episcopus de hoc in hanc horam, quod sciam, movit quæstionem, præter Reverendissimum D. Episcopum præfatæ urbis, qui ut supra dixi obtinuit quidem Romæ resolutionem de sensu verborum Concilii, non tamen de usu & receptione legis illius in Belgio, de qua quæritur: unde & controversiam indecisam reliquit, nec successor movit. Reverendissimus etiam verbis. N. ante unum mensem quæstionem proposuit sed necdum ursit. Cæterorum Episcoporum nullus per Belgium examen illud requisivit, solo examine ante professionem contenti.

Resp. ad argumenta.

Ad Primum argumentum ex facto. Resp. nullam puellam hucusque de scitu vel consensu superiorum, ab aliqua præfecta Ordinis S. Francisci missam ut examinaretur: quod si aliqua sponte, vel inductione alicujus sæcularis Sacerdotis iverit, id non posse præjudicare contrariæ consuetudini in ordine usurpatæ.

Ad Secundum clara etiam est responsio: exemptos non teneri ad legem Diœcesanam, nisi ab illis recipiatur: constat autem illos legem & statuta Diœcesana, sive Synodalia non recipere; cum nec ad Synodos convocentur, nec convenire teneantur, ut eis communicatio fiat. Quod additur de approbatione Synodi per S. Se-

 dem,

dem, nihil probat. Approbavit enim S. Sedes Synodum quà Synodus est: & in quantum legem Diœcesanam continet & Diœcesanos obligat: ad quam non tenentur exempti, Vide de his Joan. Bapt. Confertium *in Summario Privileg. Maris magni, tit. 5. cap. 3.*

Quæstio 3.

Hæc quæstio plures habet annexas quæstiunculas, quæ distinctè proponi debent.

Quæstiuncula 1.

Ubi lex Tridentini de examine ante habitus susceptionem fuit recepta: An præfecta ante vestitionem teneatur monere Episcopum?

Tantum tenetur præfecta monere Episcopum ante professionem Novitiæ.

Respondeo de hoc mentionem non fecisse, nec providisse Concilium Tridentinum. Patet ex Textu: solummodò enim onus hoc monendi Episcopum imponitur præfectæ ante professionem uno mense: *Ne* (inquit) *professionis tempus Episcopus ignoret.*

Unde Resp. Secundò. Præfectam Monasterii, ex vi Concilii Tridentini non teneri monere Episcopum ante vestitionem. Quia cum lex sit pœnalis, & inducat servitutem, debet strictè intelligi, & restringi. Aliam legem non vidi, quæ obliget præfectam. Requirenda igitur lex Pontificia quæ ad hoc obliget.

Quæstiuncula 2.

Quanto tempore ante vestitionem deberet moneri Episcopus?

Conc. nil statuit hac de re.

Resp. nec de hac re aliquid à Concilio statutum est, nec congruè statui potuit, ob varios eventus, & modos variationum; unde iterum ad dispositionem aliquam Sedis Romanæ recurrendum erit, ne præfectæ pro libitu vexentur: talis autem hucusque non emanavit.

Quæstiuncula 3.

Ubi lex esset recepta sive apud Regulares non exemptas, sive apud exemptas: si non fuerit monitus Episcopus, quâ pœnâ præfecta Monasterii plecti debeat?

Nullam pœnam Conc. statuit.

Resp. ex Concilio Tridentino nullam in hoc casu præfectæ pœnam positam, sicut nec ullum onus monendi. Responsio est manifesta: tantùm enim suspensionis pœna præfectæ imponenda decernitur, si neglexerit monere Episcopum ante professionem: quæ (ut dixi) cum sit lex pœnalis restringenda est, non amplianda. Unde Barbosa *de officio & potest. Episcopi allegatione 100. num. 4.* ubi dixit ad Episcopum pertinere examen etiam ante susceptionem habitus: supposito quod examen illud factum non fuerit, tantùm abest ut pœnam aliquam præfectæ, aut alteri cuilibet inferendam indicet; quin potius dicat: *Tamen si prior exploratio* (nimirum ante habitus susceptionem) *non fuerit facta, sufficit secunda.* Et ita decisum fuisse asserit: Praxis Episcopalis *p. 1. verb. Monialis pag. 258.* & refert Tamburinus *de jure Abbatissarum disp. 4. q. 2. n. 4.* ad finem.

Barbosa.

Praxis Episcop.

Tambur.

Quæstiuncula 4.

An Episcopus, vel Vicariatus aliquid possit circa indutam novitiam, ob neglectum examen ante habitus susceptionem.

Nil potest Episc. contra Novitiam.

Resp. nihil posse. Ita expressè Barbosa *de officio & potest. Episcopi allegatione 100. num. 9.* ubi etsi fateatur dictum neglectum esse contra Concilium Tridentinum: asserit nihilominus ex responsione S. Congreg. Cardinalium: *ab istiu sacris virginibus, à quibus non solùm susceptus est habitus, seu jam emissa est professio sine examine, nihil Ordinarios debere scrutari sed permittere eas in suo statu permanere.* Ita refert Tamburinus *supra num. 11.* Et eadem declaratio habetur inter Collectiones Gallemart: & aliorum in impressione Coloniensi anno *1620. ad Sess. 25. c. 17.* ad illa verba: *teneatur præfecta Monasterii, &c.* Ubi utrumque casum de omissione examinis ante susceptionem habitus & ante professionem refert, & tantùm super examine ante professionem neglecto, pœnas concludit præfectæ non monenti Episcopum, imponendas.

Barbosa. Tambur. Gallemart

Corollarium.

Resolutio Casus & facti.

Ex his resolvitur totus casus, & factum.

Primò Igitur: debent Domini Vicariatus ostendere clarè legem Concilii Tridentini, de examine ante susceptionem habitus receptam in suo Episcopatu in Ordine S. Francisci legitimè fuisse, nemine contradicente; quod non probabunt, quia quoties mota est quæstio, toties contradictum est.

Secundò: Debent ostendere leges S. Sedis speciales: quibus Monasterii præfecta obligatur monere Episcopum ut examinet ante susceptionem habitus; posset enim

enim fieri quod vel filia, vel parentes sub quorum tutela vivit, obligarentur potius, quam præfecta, quæ nullam adhuc vel modicam auctoritatem habet in puellam, antequam habitum susceperit.

Tertiò. Debent docere tempore & loco ordinato ad examen.

Quartò. Debent docere de lege, quæ decernat quod possint animadvertere in præfectas, ob neglectam admonitionem Episcopo faciendam, ante susceptionem habitus.

Quintò. Cum comminati sint habitus spoliationem à novitia debent & ostendere legem, quâ liceat novitiam molestare & vexare; minus enim congruè id factum reor, & contra declarationes Cardinalium quæ volunt ut si exploratio prima facta non sit, exspectetur & sufficiat secunda. Quæ omnia non posse ostendi, quin & contrarium doceri patet ex supradictis.

Executio istius legis quibus pateat difficultatibus. Sextò. Consideranti maturè apparet, quare Reverendissimi Episcopi Belgii & Hispaniæ, ad hæc usque tempora non urserint examen puellarum ante vestitionem; cum enim executio legis multis pateret difficultatibus, quippe cuius modus non esset expressus, quoad tempus, locum, personas quarum esset officium monere Episcopum, vel puellam mittere; quin & infinitis aliis tricis negotium esset subjectum, maluerunt abstinere, quam urgere.

Meritò se regulares ei opponunt. Septimò. Non sine causa regulares se introductioni huius legis opponere; etsi enim sancta lex sit à sanctissimo concilio ordinata: nihilominus inquietudinibus multis paret. Amans enim novitatum sæculum multa nova in eadem legis substantia commentari potest, nodosque in scirpo quærere. Explico exemplo: noluit S. Congregatio, virgines habitum regularem suscipere volentes, in domo parentum, aut in palatio Episcopi, aut alio loco examinari; sed adduci ad matronas honestas extra totam propinquitatem, & coram illis ab Episcopo examinari. Vide declarationes collectas à Gallemart, & aliis sup. ad verbum *Libertati professionis*. Quis verò Episcoporum Belgii circa suas, vel exemptas volet hoc practicare? veniet forte novitatis amans, qui hoc urgebit.

Declarationes collectæ à Gallemart

Inconvenientia. Iterum ibidem refertur declaratio, ut examen puellæ cuius deliberatio in dubiũ revocatur, coram Notario publico præsentibus testibus idoneis fiat, & describatur. Quot hinc tricæ? quas nec volent pro suis, vel pro exemptis subire Reverendissimi Episcopi.

Susceptioni istius legis Quid mirum igitur, si susceptioni legis refragetur Ordo S. Francisci, cuius jugum nec nos, nec Episcopi ad litterã ferre hactenus potuerunt? quid mirum si omnibus legibus suscipiendis, concessas deliberationes postulant, & de singulis tricis & quæstionibus pacificari volunt? *refragatur Ordo S. Francisci.*

Non objiciunt legem quam honorant, sed quod omnibus populis hactenus concessum fuit, sibi illa proponi legitimè volunt, & à judice legitimo audiri desuper eorum deliberatio, non autem ex abrupto, & via facti. Hoc nemo prudens negandum arbitrabitur. Et ego qui scribo, latius hæc proponere volui, ne videatur ordo irrationabiliter se facto opponere, & ne Moniales, quæ verè sub tutoribus superioribus ut minores reputantur, vexentur; sed superiores primò moneantur, & audiantur.

CASUS XXIX.

De recitatione officii de V. Sacramento, & de immaculata conceptione, feriis 5. & sabbathis per adventum & quadragesimam, à monialibus subditis ordini S. Francisci.

Resolutio prima de recitatione officii de V. Sacramento.

Licet omnibus Monialibus sub regimine Fratrum Minorum de observantia, feriis 5. non impeditis, etiam per adventum, & quadragesimam celebrare Officium de V. Sacramento, sub ritu semiduplici. *Possunt omnibus omnino feriis 5 non impeditis recitare offici. de V. Sacram.*

Ita expressè concessit Pius V. an. 1568. *Indictione 11. die 25. May Pontificatus anno 3.* ut constat ex litteris authenticis Alexandri Cardinalis tituli S. Joannis ante portam latinam Viceprotectoris, quæ reperiuntur apud Emanuelem Rodergues *in 1. vivæ vocis oraculo ejusdem Pontificis, impressionis Antverpiensis. Pag. 388.* In qua quidem concessione nulla sit omnino restrictio.

Notandum vero primò. hanc concessionem factam uno anno, ante concessionem factam fratribus per Bullam ejusdem Pontificis quæ incipit. *Exponi nobis nuper fecistis. data Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die 8. Ian. anno 1569.* in Bullario Roderigues Bulla 2. ejusdem Pontificis. *Quando fuerit illa concessio facta.*

Notandum 2. istam concessionem extendi ad Monialium Confessarios & Capellanos.

Notandum 3. nihil hic scrupulizandum de *vivæ vocis oraculo*: omnia enim *vivæ vocis oracula* confirmata sunt, & Bullata per Bullas sequentes confirmatorias privilegiorum Gregorii XIII. Bulla incipit. *Ex Benigna sedis. Data Romæ apud S. Petrum die* *Extenditur ad eorum confessarios. Vivæ vocis oracula confirmata Gregor. 13*

Clemens VIII. *die 21. Martii anno 1575. Pontificatus anno 3.* Quam Clementis VIII. Bulla quæ incipit: *Ratio pastoralis officii. data Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris. die 20. Decembris anno 1597. pontif. anno 6.* in quibus confirmantur *vivæ vocis oracula* ac si eorum tenores in Bullis confirmatoriis, expressi essent.

Resolutio secunda de recitatione officii de immaculata conceptione.

Recitare possunt omnibus sabbathis non impeditis, &c. Offic. de Immac. Concep. Licet Monialibus sub regimine Fratrum Minorum degentibus sabbathis omnibus officio novem lectionum non impeditis, etiam per adventum & quadragesimam legere officium de Immaculata Conceptione.

Ratio est: quia sic concessum est absque ulla restrictione à Paulo V. *Emin. Cardinali Arigonio Ordinis Protectori. 9. Ianuarii 1609.* Habeturque in Bullario Roderigues. *Pag. 554. Impressionis Antverpiensis.* (Paulus V.) Et per communicationem omnibus Monialibus sub Ordine S. Francisci, & Ordinis regimine militantibus. Nec obstat quod a Capitulo Generali Ordinis Minorum, anno 1612. Romæ celebrato, prohibitum fuerit hoc privilegio uti in sabbathis adventus, & quadragesimæ. (*Non obstat prohibitio facta fratribus Minor;*) Hæc enim prohibitio tantum afficit Fratres non Moniales. Et ex doctrina communi, Qui communicant privilegiis, illis communicant eo tenore, prout concessa sunt, etsi illi quibus sunt concessa illa, velint sibi ipsis restringere.

Eiusdem privilegii restrictio etiam non obstat. Non obstat etiam quod hujusmodi privilegium per rituum congregationem die 11. Novembris anno 1641. restrictum sit (exceptis sabbathis quatuor temporum, vigiliarum, adventus, & quadragesimæ)

Suppositio erronea postulantis. Advertendum enim primò. Postulantem continuationem privilegij præfati, supposuisse; illud vivæ vocis oraculum Cardinali Arigonio factum, abrogatum fuisse per breve Urbani VIII. quo *omnia vivæ vocis oracula abrogat*, quæ suppositio ex errore processit: probabilissimum enim est, & in praxi certum, vivæ vocis oraculanon fuisse abrogata, nisi in locis in quibus per Generales, aut Provinciales Ordinum Bulla Urbani VIII. fuit legitimè promulgata (prout in Bulla præscribitur) in Belgio autem nunquam fuit legitimè per præfatos Prælatos promulgata. (*Confirmatio privilegiorum concessorum vivæ vocis Oraculo, per Urb. VIII.*) Addo Urbanum VIII. omnia privilegia vivæ vocis Oraculo concessa revalidasse, & confirmasse religionis Societatis JESU an. 1624 die 19. Aprilis, absque ulla clausula exclusiva cœterarum religionum. De qua confirmatione testimonium reddit Portel *in responsionibus casuum moralium casu 52.* Unde & hoc revalidatum esse censetur. Quinimò & ipse Paulus V. confirmavit absolute omnia Privilegia Ordinibus S. Francisci concessa, quatenus sunt in usu: certum est autem Moniales in hanc horam in possessione & usu fuisse legendi officium de Immaculata Conceptione in omni sabbatho non impedito. (*Portel. Confirmatio privileg Ordinis S. Francisci per Paulum V.*) Itaque error vel inadvertentia postulantis à sacra rituum congregatione continuationem privilegii à Paulo V. Cardinali Arigonio protectori concessi, super lectione officii de immaculata Conceptione in sabbathis per quadragesimam, & adventum, non potuit præjudicare possessioni privilegii, sive Munialibus privilegio legitimè & continuè usque ad hæc tempora utentibus: (*Error postulantis non eis præiudicat.*) nec consequenter restrictio adhibita à S. Congregatione illas afficit, aut afficere potest: quinimò nec Fratres in Belgio afficere debet, quod sabbatha quatuor temporum, & vigiliarum; quæ prius per Capitulum Generale prohibita non fuerunt.

CASUS XXX.

De obligatione Monialium ad recitandas Horas Canonicas, estque relectio singularis necessaria.

R. P. Ludovicus Bertrandus Loth Ordinis Prædicatorum *in suis resolutionibus Belgicis Tract. 23. de Monialibus qu. 1. de Horis Canonicis art. 8.* magnam se operam præstitisse ordinibus Monialium credidit, si, ut supponit, *communi Doctorum torrente* illas exponat obligationi Horarum Canonicarum sub pœna peccati Mortalis, periculo quidem frequentis naufragii, à quo studueram Moniales justis, ut spero, fundamentis præservare. Invehitur verò graviter me inculpans de excessu: *vocando* (inquit) *sententiam communem Theologorum, errorem:* & addit: *Cum erroneum in Theologia vocetur, quod opponitur conclusioni Theologicæ ut ex principiis fidei evidenter deducta: ex quibus verò* (infert) *Principiis fidei deducet Marchantius Moniales non teneri ad Horas?* (*Censur. P. Loth. Contra auctorem.*) Sequitur: *potiori jure possemus* (inquit) *suam opinionem temerariam appellare, cum sine sufficienti ratione & auctoritate, contra torrentem Theologorum militet. Quidni etiam scandalosa appelletur, cum præbeat occasionem ruinæ; eximendo Moniales ab onere*

ab onere horarum sine solido fundamento, ad quas concors Theologorum schola eas stringit. Hæc P. Loth.

Dissimulassem quidem hæc boni patris dicteria, & si in Domino non obdormisset, correctione fraterna illum prævenissem: verum urgentibus viris gravibus & doctis, qui Monialium curam gerunt aut gesserunt, & nostram doctrinam amplexati sunt, & cum multo fructu, & animarum afflictarum emolumento, ad quietandas scrupulosas & turbatas conscientias: placuit in hac 2. Editione ad calcem sententiam nostram manifestius explicare, & tantisper ligna à fervore igniti illius excessus P. Loth subtrahere, ut bulliens nimis aqua subsidat.

Dico itaque primò. Marchantium Theologos contrariæ sententiæ, erroris, nunquam condemnasse: sed dumtaxat erroneas conscientias & turbatas mitiori sententia, quæ mihi certa videtur, voluisse quietare: verba mea sunt: *Melius est errorem, qui pluribus est offendiculum, peccati tollere, quam unum peccatum mortale permittere. Quilibet enim scrupulosus sibi conscientiam erroneam formare posset, & imprudenter hoc titulo consuetudinis, se in gravissimos laqueos conscientiæ præcipitare*, &c. Videatis. Turbatum autem se ostendit P. Loth in eo, quod *errorem* alium non agnoscit, quàm in materia fidei, seu in eo quod *opponitur conclusioni Theologicæ ex principiis fidei deductæ*, &c. Turbaris P. Loth. Datur error in materia *morum*: datur error in materia *legum*: datur error in *Conscientiis*, & in qualibet etiam *Mechanica arte*; qui non est fidei: datur error strictus in materia *falsi*: datur error *inadvertentiæ*, & alicujus *inconsiderationis*, ratione cujus

P. Marchantius.

Alii errores præterquam in materia fidei.

Quandoque bonus dormitat Homerus.

Datur & error *nescientiæ* in animabos inquietis & scrupulosis. Non arguit Marchantius *Torrentem Theologorum erroris*, sed charitativè proponit argumenta peoitioris considerationis in materia peccati & legis, ne involuantur animæ.

Qua consuetudo inducat obligationem ad mortale

Dico ergo secundò & sustineo: solam consuetudinem Monialium legendi Horas Canonicas, non probare obligationem peccati mortalis: nisi consuetudo sub hac obligatione probetur introducta, vel recepta, ut latius ibi dixi. Debebat itaque P. Loth probare consuetudinem illam Monialium legendi Horas Canonicas fuisse sub tali obligatione introductam, receptam vel (ut ait) *præscriptam*: debebat ostendere in toto illo *torrente Theologorum*, unum saltem, qui probaret ex aliquo certo, & evidenti principio, sub hec obligatione fuisse consuetudioem sic introductam, vel receptam, &c. Allegat quidem Doctores dicentes consuetudinem obligare: nullum autem adfert, qui aliquo argumento ostendat aliquem titulum vel fundamentum, ex quo inferatur hæc obligatio consuetudini inhærere, nec ipse P. Loth hujusmodi adfert. Imò, omnibus fundamentis ex quibus talis obligatio nasci posset sive consuetudini advenire enarratis, omnia negat: verba sunt eius: *qua (inquit) obligatio non oritur ex aliquo iure positivo scripto, quia nullum extat: neque ex vi Professionis, quia ratione illius solum obligantur conari ad perfectionem, quem conatum explere possunt aliis exercitiis spiritualibus absque horarum recitatione: neque ex eleemosynis fidelium*, &c. Dicat ergo P. Loth, aut alius quispiam, ex quo principio hæc obligatio coosuetudini adveniat, aut fateatur *omnem consuetudinem ad peccatum Mortale obligare* (quod nemo prudens dicet) intolerabile autem est, & contradictorium quod pro prima ratione suæ doctrinæ adfert P. Loth ut probet Moniales per talem consuetudinem obligari ad mortale: *Quia (inquit) hæc consuetudo Monialium dicendi horas, & aliorum regularium choro deputatorum, est instar clericorum in sacris, ergo sicut non est probabile clericos omittentes semel horas non peccare mortaliter: ita non est probabile religiosos & Moniales non peccare mortaliter si omittant, cum consuetudo habeat vim præcepti.* Insigne sene argumentum: unde constat P. Loth, obligationem Monialium legendi horas *esse instar obligationis clericorum in sacris*? cum hæc obligatio clericorum sit ex lege clata, & positiva, annexa ordinibus sacris: de Monialibus autem nihil simile (ipso etiam P. Loth sup. testante) legatur, cum neget aut *ex iure scripto*, aut *ex vi status sive professionis* Moniales obligari; clericis autem in ordinibus sacris ex jure scripto, & præcepto ennexo ordini sacro, ista obligatio adveniat: quid hic rogo *ad istar est clericorum*? probet ergo primum istud *ad instar* P. Loth: probet & omnem cousuetudinem, aut hanc saltem, habere vim præcepti, & concludat firmiter, nec erret & vagetur circa petitionem principii.

P. Loth.

Idem.

Obligatio Monialium legendi horas, non est ad instar clericorum in sacris.

Dico amplius tertiò. Sententia *Marchantii* asserens Mooiales non obligari ad Horas Canonicas sub peccato mortali, non est *temeraria*, sed fundata. Primò. Ratione

Sententia P. Marchantii quibus fundatur.

tione certa & sufficienti. Secundò. Auctoritate non tantum virorum doctorum sed etiam Apostolicæ S. Sedis.

Obligatio illa consuetudinis non nititur firmo fundamento.

Primò itaque: Ratio fundamentalis est: quia de obligatione illa legis, vel consuetudinis, non constat aliquo firmo fundamento, & agitur de lege sive consuetudine humana, & positiva, & de re planè indifferente & (ut loquuntur) *de se libera & devotionali*: quibus imponere obligationem in foro Dei ad peccatum mortale, & damnationem æternam, absque speciali & manifesto titulo, non tantum imprudentiæ est, sed etiam crudelitatis. Apud omnes enim certum est: Legem Ecclesiasticam positivam, multò minus consuetudinem, non obligare ad culpam mortalem, nisi aut virtute contineat aliquam legem divinam aut idipsum Ecclesia exprimat, aut ex circumstantiis deducatur (utpote) quia in materia gravi: periculum peccati vel malum aliquod grande, avertente (ut docuit Marchantius *Tom.* 2. *Tract.* 1. *Tit.* 8. ferè per totum: singulariter quæst. 3.) Quid autem cum his commune habet lectio personalis & solitaria unius mulieris Monialis latinæ linguæ ignaræ, ut nullo formali præcepto interveniente, dicatur obligari sub peccato mortali & pœna damnationis æternæ, legere Horas Canonicas, *sicut clericus in sacris*? Cui enim hoc tantum gravamen divino præcepto consonat, aut quod includit, vel quo humano præcepto indicitur: quodque malum grande, vel periculum peccati avertitur, quodve tantum bonum conciliat, ut illius omissio pœnâ æternâ damnetur; bene S. Augustinus *Epistolâ* 119. *ad Ianuarium cap.* 19. *eos arguit, qui* (inquit) *ipsam religionem, quam in paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Iudæorum.* Et causam subdit: *Qui* (ait) *etiamsi tempus libertatis non agnoverint: legalibus Sacramentis* (alias sarcinis) *non humanis præsumptionibus, subjiciuntur.* Quid porrò est consuetudinem legendi horas (ubi de præcepto & lege non constat) ad peccatum mortale Monialem obligare, quam *humanis præsumptionibus subiicere.* Unde ibidem paulo ante dixerat: *omnia itaque talia, quæ neque SS. Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universa Ecclesia roborata sunt &c. Sine ulla dubitatione resecanda existimo.* Ut autem manifestè constet Ecclesiam nunquam hanc obligationem horarum Monialibus indixisse, produco pro auctoritate duos pontifices.

P. Marchant.

S. Augustinus.

Secundò ergo probo ex declaratione Eugenii IV. in Bulla apud Emanuelem Roderigues ejusdem pontificis 31. quæ incipit *Ordinis tui*, &c. *data Romæ anno* 1446. *Nonis Februarii. Pontific. anno* 10. In qua cum B. Joannes Capistranus in vicariatus officio existens declarasset in Regula prima S. Claræ contineri centum & triginta Præcepta regularia (inter quæ cap. 3. Regulæ erat præceptum de lectione horarum canonicarum) in quorum transgressione Moniales peccatum mortale incurrerent: cum nos *id* (ait pontifex) *nimis durum & periculosum iudicemus, auctoritate, tenore præsentium declaramus & volumus, quod in nullius prædictorum transgressione præterquam eorum quatuor quæ concernunt principalia vota, obedientiæ scilicet, paupertatis, castitatis, & clausuræ, & super electione Abbatissæ & depositione, peccatum mortale incurrant. Hæc ibi.*

Eugen. IV

Ex quo constat, Moniales Ordinis S. Claræ declarante summo pontifice Eugenio IV. nunquam fuisse obligatas, sub peccato mortali, ad legendas Horas Canonicas, etsi in earum Regula cap. 3. expresse contineatur: ut *sorores litteratæ faciant divinum officium secundum consuetudinem Fratrum Minorum*: ab hujus enim præcepti trangressione sicut ab aliorum præceptorum in regula contentorum, removet reatum peccati mortalis pontifex, non dispensatione aliqua, sed simplici declaratione, *Quia* (inquit) *nimis durum & periculosum iudicamus.* Quod ergo *nimis durum & periculosum* judicat S. Sedes in Clarissis, illud sola consuetudine non approbabit in cæteris Monialibus. Notanter autem advertendum est, Clarissis Regulam imposuisse *legere divinum officium secundum consuetudinem Fratrum Minorum*: pontificem autem consequenter declarare consuetudinem ex se non obligare ad peccatum mortale, etsi enim Fratres Minores obligentur sub peccato mortali ad officium divinum: id non ex vi consuetudinis, sed ex vi præcepti, sive præcepto æquipollentis provenit: ut declaravit Clemens V. unde similiter, si quæ Moniales, ut Annuntiatæ: & si quæ aliæ, obligentur ad horas sub peccato mortali, id non ex vi consuetudinis, sed ex singulari & expresso præcepto, cui voluntariè per professionem se subjecerunt.

Regula I. S. Claræ cap. 3.

Qui obligentur clarissæ ad lectionem horarum.

Qui obligentur Annuntiatæ.

Qui obligentur Sorores 3 Ordinis S. Francisci, sub tribus votis solemnibus in congregatione viventes.

Produco denuò declarationem Leonis X. in regulam, quam dedit pro Fratribus & Sororibus tertii Ordinis S. Francisci, sub tribus votis solemnibus in congregatione viventibus: in qua cap. primò obligat tantum illas sub peccato mortali ad tria vota

vota essentialia, obedientiæ, paupertatis & castitatis, & ad clausuram eas quæ illam expresse voverunt. Quamvis verò multa alia in regula contineantur quæ observanda præscribuntur, & inter alia cap. 4. Quod Sorores *quæ Horas Canonicas sciunt per se dicere, debeant illas secundum usum S. Romanæ Ecclesiæ persolvere.* Ne sorores putarent sub mortali peccato se teneri universaliter ad dicto cap. 10. Declarat pontifex: *Omnia & singula in præsenti regula contenta esse consilia ad facilius salvandas animas viatorum. Et nulla esse obligatoria ad peccatum mortale, vel veniale nisi humano divino jure aliquis alias esset obligatus.* Hæc ibi: ergo Moniales tertij Ordinis S. Francisci (qui est amplissimus & longè latèque diffusus) non tenentur sub peccato mortali ad Horas Canonicas: sicque ruit illa universalis consuetudo P. Loth, & *sui torrentis communis*, secundùm quam omnes Moniales tenerentur sub peccato Mortali ad Horas Canonicas: cuius oppositum delararunt summi pontifices.

Cap. 4. Regulæ. — *Leo X.*

Dico tandem tertiò Sententia Marchantij, quod Moniales non teneantur ad Horas Canonicas sub peccato mortali, non est *scandalosa, nec præbet occasionem ruinæ*, sed est pia, secura, tollens offendicula & animarum pericula. Ita Eugenius IV. sup. qui dictam obligationem, cum cæteris à B. Joanne Capistrano ex Regula S. Claræ desumptis *iudicavit nimis duram & periculosam Monialibus*, adeoque declaravit auctoritate Apostolica, *Nullam*: Si *nimis dura*? ergò contraria Sententia Marchantii est *magis* pia: Si *minus periculosa*? ergo sententia contraria Marchantii *secura*, ergo & periculum, & consequenter scandalum & offendiculum tollit quod alii posuerunt. Ignosce Lector prolixitatem: zelus quietis animarum calamo vires addidit.

Sententia auctoris nō est scandalosa, &c. — *Eugenius IV.*

CASUS XXXI.

Super exemptionibus & immunitatibus Tertiariarum Ordinis S. Francisci in congregationibus viventium; & tria vota essentialia emittentium.

ADvertendum est duplices esse Tertiarias. Aliæ sunt, quæ in particularibus domibus vivunt sub regula data à Nicolao IV. nec sunt veræ religiosæ. Aliæ sunt, quæ vivunt in congregatione sub tribus votis essentialibus, & solemnibus religionis, quæ pro veris religiosis approbatæ sunt, tum à Sixto IV. tum à Leone X. in Concilio Lateranensi, ut constat ex Bulla ejusdem, quæ incipit, *eaque per sedem Apostolicam, data Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die ultima Augusti anno 1517. Pontificatus sui anno V.* Habeturque in Bullario Roderigues inter Bullas dicti pontificis Bulla 20.

Duplices Tertiariæ.

Ad dubium itaq; dico resolutivè, & respondeo Tertiarias Ordinis S. Francisci in congregatione sub tribus votis essentialibus religionis viventes, juxta capacitatem suam, gaudent omnibus exemptionibus, immunitatibus, & privilegiis Fratrum Minorum. Ita expressis terminis Leo X. in Bulla supra citata, in qua approbat, innovat, & confirmat id ipsum quod priùs constituerat Sixtus IV. deinde quod ipse super hoc fecerat in Concilio Lateranensi, *sacro approbante Concilio*. Demum approbat & confirmat *Fratres & Sorores tertii Ordinis Sancti Francisci, illius habitum deferentes, & collegialiter virginalem ac vidualem castitatem, seu calibem vitam expresso voto ducentes omnibus privilegiis Fratrum Minorum gaudere; prout* (inquit) *in nostro & præfati prædecessoris Sixti IV. litteris plenius respectivè continetur.* Hæc ibi.

Tertiariæ viventes in congregatione sub tribus votis essent. gaudent omnibus privilegiis &c. Fra. Minorum. — Leo X.

Quod quidem decretum, cum in jure communi, & Decreto Concilii Lateranensis contineatur: ei derogari non potest.

Eadem exemptio, & privilegiorum communicatio amplissimè facta est tertio Ordini per Pium V. in Bulla quæ incipit, *Ea est officii nostri ratio, data anno 1568. 5. nonas Iulii, pontificatus anno 3. &* per Gregorium XIII. in Bulla quæ incipit, *Ex benigna, data 21. Martii anno 1575. Pontificatus anno 3.* & per Sixtum V. in Bulla quæ incipit, *Etsi mendicantium Ordines, data die 3. Octobris 1587. Pontificatus anno 3.* Et per pontificem Paulum V. sunt iterum privilegia confirmata in Bulla, quæ incipit, *iniuncti muneris Apostolici*, quæ per totum Belgium in omnibus fere conventibus Fratrum Minorum habetur authentica.

Privilegia ista ipsis sunt communicata per plures alios pontifices. — Pius V. — Gregor. XIII. — Sixtus V. — Paulus V.

Dices, non censentur dari privilegia in præjudicium tertii: sed hæc privilegia sunt in præjudicium pastorum, & Rectorum Parochialium Ecclesiarum, maximè quoad administrationem Sacramentorum, sepulturæ, exequiarum, &c. ergo non censentur sic dati. Respondeo id esse in eorum adjutorium, ne regimine Monasteriorum, & similibus graventur. Respon-

An hæc privilegia sunt in præjudicium Pastorum? — *Potestas summi pontif.*

quoad exemptione personarũ. Respondeo secundo. Summum Pastorem Romanum Pontificem mutare parochias, & Episcopatus prout judicat expedire, & eodem jure eximere quos vult à jurisdictione Episcoporum & Parochorum, & sicut potuit & voluit diversos Ordines eximere, etiam ab Episcopis & Parochis, sic potuit & voluit tertium Ordinem Monialium Sancti Francisci, sub votis essentialibus religionis eximere: nec est qui possit dicere, cur ita facis? nisi ponat os in cælum. Et si Episcopi jurisdictioni isti se non intromittant, frustra Rectores Ecclesiarum se intromittere attentant: qui enim eximitur à summo genere, eximitur ab omnibus inferioribus.

Mens Cõc. Lateran. qua fuerit. Leo X. Et hanc fuisse mentem Concilii Lateranensis, & summi pontificis, patet ex Bulla Leonis X. supra citata, ubi causam hujus iteratæ Bullæ ponit; quod non obstante Decreto Lateranensis Concilii: *nihilominus* (inquit) *nonnulli Prælati, & Rectores parochialium Ecclesiarum maximè in Galli, & Germania dictas sorores asserunt non esse religiosas, & eas propterea privilegiis prædictis gaudere non posse, ac oratoria, & cameterium & in ipsis oratoriis Sacramentum Eucharistia, & Oleum sanctum habere, ac missas decantari, & Aquam benedictam benedici facere non permiettunt, sedut meras sæculares ad audiendum Missas: & suscipienda Ecclesiastica Sacramenta in parochialibus Ecclesiis compellere nituntur in ipsarum sororum maximam perturbationem, & scandalum plurimorum.* Hæc ibi.

Ut igitur his remedium apponat: ratificatis litteris prædecessoris sui Sixti IV. cætera sic expressis verbis concedit, & sub censuris prohibet ne dictæ Moniales ullatenus in eorum usu impediantur, verba sunt: *Et insuper omnibus & singulis Prælatis, tam regularibus, quam sæcularibus, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, caterisque personis Ecclesiasticis sub excommunicationis lata sententiæ pœna inhibemus, ne dictas sorores: (quas conformiter ad præfati prædecessoris nostri ordinationem veras religiosas declaramus) de catero quomodolibet impedire præsumant, quò minus ipsa sorores juxta privilegia dictorum Fratrum*, Primò. *Oratoria cum campanali humili & campana.* Secundò *ac in illis Sacramentum Eucharistia in loco decenti, & honesto.* Tertiò *nec non Oleum sanctum pro ipsarum usu tantum.* Quartò *& cemeterium benedictum habere, in quo sororum decedentium corpora per earum confessorem sepeliri possunt.* Quintò *ac in eisdem oratoriis aquam benedictam solemniter benedicti, missasque secundum earum devotionem cantari, & celebrari facere libere, & licite possunt.* Sextò *quodque ad audiendum missas, & alia divina officia in alio loco quam in dictis oratoriis.* Septimò *aut suscipiendum Ecclesiastica Sacramenta ab alio quam à Confessore sæculari, vel regulari.* Octavo *eas per earum superiores assignando, nullatenus per dictos Prælatos & Rectores, aut quosvis alios compelli, aut desuper quoque modo molestari valeant.* Nono *ipseque Confessor, si sæcularis fuerit, quamdiu officium Confessoris hujusmodi à dictis superioribus sibi impositum continuaverit, per locorum ordinarios in præmissis impediri nequaquam possit.* Hæc ibi.

Executores, & protectores ponuntur Archiepiscopi, Episcopi personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, ac Canonici Metropolitanæ, & Ecclesiarum Cathedralium, invocato ad hoc, si opus fuerit, brachio sæculari, etiam non obstantibus quibuscumque, &c.

Ex quibus patet Moniales tertii Ordinis Sancti Francisci, plenariè gaudere privilegiis ibidem particulariter, ratione particularium controversiarum, expressis & aliis juxta capacitatem status sui quæ opponi possent in tertio dubio resolventur commodius.

Et ne de publicatione, aut receptione Bullarum harum dubitetur,

Carolus V, per patentes, & autenticum decretum datum Brugis ultima Augusti anni 1526. novem scilicet annis post Bullam Leonis, Bullam istam placetavit, cum ratificatione Bullarum Clementis VII. & Sixti IV. & voluit per totum Belgium observari, invocato etiam ad hoc, si opus esset, brachio sæculari. Copia harum patentium habetur in diversis conventibus & specialiter apud Tertiarias. *Placitatio Bulla per Carol. V.*

Hæc iterum placetatio renovata est per Albertum & Isabellam sexta Maii 1601. per patentes novas, in quibus etiam fit mentio placetationis Philippi II. *Item per Albertum & Isabel. & Philip. II.*

Dubium secundum.

An famulæ, familiares, & commensales Monialium tertii Ordinis Sancti Francisci collegialiter sub tribus votis viventium, teneantur in Paschate parochis confiteri, vel ab eis & in paschate & praviatico Eucharistiam sumere, extremam unctionem suscipere, & in parochia ab iisdem sepeliri.

ADvertendum hic est, qui vel quæ nomine famularum, vel familiarium,

familiarium, vel commensalium intelligi debeant.

Famulæ monialiũ quæ?

Famulæ igitur monialium dicuntur personæ, quæ eis actualiter, ordinatiè, ac perseveranter inserviunt, & cohabitant, sive intra monasterii septa, sive in domo ad portam residentiam habeant. Ita communiter Doctores, qui idcircò excludunt illas, vel illos qui communiter operantur pro illis, seu ad illarum obsequia evocantur, non tamen apud illas residentiam habent, vel habere censentur.

Familiares seu commensales quæ?

Familiares verò (sub quibus & commensales passim confunduntur) dicuntur, quæ communiter cohabitant, convescuntur, & continuè eâdem mensâ, & habitatione utuntur, seu, ut alii loquuntur, quæ civili ratione domesticæ sunt. Ita exponit Emanuel Rodriguez, *tomo 2. qq. Regul. quæst. 68. artic. 1.* citans glossam *in 3. quæst. 1.* & in C. *Insinuante de off. deleg.* & C. *in litt. de testament.* hòc igitur sic animadverso resolutivè, (Rodetig.)

Privilegia Regularium quo ad hoc.

Dico primò. Fratribus Minoribus, & aliis Religiosis mendicantibus, & cum eis in privilegiis participantibus concessum est, ut suis servitoribus, sive famulis, ac familiaribus & communibus commensalibus Eucharistiam tam in Paschate, quàm pro viatico, & extremam unctionem administrent, & eorum corpora in suis cœmiteriis sepelire possint. Ita jure communi concessum fuisse testatur Clementina Religiosi §. finali de privilegiis. Ubi cùm nonnulla ad jus commune revocasset; illibata hæc privilegia significare volens, sic ait: *Sanè Religiosis illis, quibus est à Sede Apostolica concessum, ut familiaribus suis domesticis, aut pro operibus pauperibus in hospitalibus suis degentibus, Sacramenta possint Ecclesiastica ministrare, nullum ex præmissis volumus quoad hoc præjudicium generari.* Ubi Clemens clarè supponit Religiosos quoad prædicta manere in jure suo: specialiter verò id concessum fuerat Fratribus Minoribus per Clementem IV. & Sixtum IV. & habetur in libro Monument. Ordinum, prout latè citatur ab Emanuele Roderiguez *qq. Regul. tom. 1. q. 56. art. 14. & tom. 2. q. 68. art. 1.* (*Clementina Religiosi.*) (Rodetig.)

Idem concessum fuerat Carmelitis ab Alexandro IV. Prædicatoribus à Gregorio XI. Benedictinis observantiæ Hispaniæ à Martino V. prout suprà latiùs refert idem Roderig.

Eis non est derogatum per Concil. Trid.

Dico secundò. Dictis privilegiis nihil est derogatum per Concilium Tridentinum.

Aliquibus privilegiis qui debeat derogari.

Probatur primò. Quia dicta privilegia continentur in jure communi, habentque rationem legis conciliaris, adeoque eis non derogatur, nisi expressa mentio fiat, ut est communis sententia omnium Doctorum.

Probatur secundò Ex clara responsione congregationis, approbante sanctissimo Domino nostro Gregorio XIII. quæ consulta super *sess. 23. cap. 15.* Concilii Tridentini, an Prælati Regulares, sive alii Religiosorum Confessores possint audire confessiones sæcularium qui sunt de eorum familia, & continui commensales, non item eorum qui deserviunt in eorum monasteriis absque licentia seu approbatione Episcoporum, de quo in hoc capitulo

Responsio S. Congreg.

Congregatio Concilij censuit audire posse confessiones sæcularium qui sunt de familia, & continui commensales, non item eorum qui deserviunt in eorum monasteriis. Ita ad verbum refert Roderig. in Bullario ad finem Bullarum Gregorii XIII. Habeturque inter declarationes ad dictum 15. Cap. Concil. Trident. (Roderig.)

Ex qua responsione sic formatur argumentum: non obstante Concilio Tridentino possunt Prælati Regulares, & alii Regularium Confessores absque licentia & approbatione Episcoporum audire confessiones sæcularium qui sunt de familia, & continui commensales, ergo illa privilegia non sunt revocata, sed sunt in vigore.

Quòd verò addit: *Non item eorum, qui deserviunt in eorum monasteriis;* intelligitur de iis qui servitia præstant, in illis operantur, de familia autem, & cohabitatione non sunt; sed ad sua, tempore opportuno, revertuntur.

Moniales tertii Ordinis, &c. gaudent iisd. m privilegiis.

Dico tertiò. Famulæ, & familiares, seu commensales continuæ in monasteriis monialium tertii Ordinis S. Francisci degentes non tenentur à parochis Eucharistiam suscipere, nec viaticum, aut extremam unctionem aut sepulturam; sed possunt ea suscipere à monasterii, in quo habitant, Rectoribus & Confessariis. Probatur primò. Quia, ut in prænotatis allegatum est. moniales tertii Ordinis sancti Francisci omnibus Fratrum Minorum privilegiis tam pro se, quàm per communicationem concessis gaudent, quàm & illis quæ spectant ad famulas, familiares, & commensales, prout refertur in assertione prima.

Probatur tertiò. Quia hoc expresè concessum est per Leonem X. monialibus

Privilegiu concessum Tertiariis Minorum.

Tertiariis Minimorum in Bulla quæ incipit: *Hu qua pro fidelium omnium & Religiosorum, &c. data Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis 1513. nonis Iuly, Pontificatûs anno primo.* In qua Bulla sic habetur; *ut fratres Ordinis Minorum hujusmodi dictarum*

Leo X.

domorum (Tertiariarum utriusque sextûs) *famulorum pro tempore in habitu sæculari eis deservientium, quoties id opus fuerit, etiam Paschatis tempore, & in mortis articulo in eorum domibus & Ecclesiis hujusmodi confessiones audire, ipsisque & eorum cuilibet Eucharistiæ, & extremæ unctionis Sacramenta ministrare, ac illis & cuilibet eorum inhumationis & sepulturæ beneficia (cujusvis licentiâ super hoc minimè requisitâ) impendere licitè valeant. Ita quòd singulæ personæ hujusmodi, & prout dicti fratres privilegiis & indultis hujusmodi in eorum mortis articulo, frui & gaudere valeant, ac si eis expresse concessa fuissent, eadem auctoritate & tenore præsentium extendimus & ampliamus.* Hæc ibi.

Moniales autem Tertiarias Ordinis Minorum iisdem gaudere paret ex Bulla ejusdem Leonis X. quæ incipit: *Ea quæ à prædecessoribus nostris, data eodem anno pridie Idus Aprilis*: Patet etiam ex concessionibus diversorum Pontificum, qui latè referuntur à collectore privilegiorum mendicantium in verbo *Communicatio privilegiorum.* Ubi Sixtus IV. particulariter ponit clausulam (*quatenus earum sexui & statui non contradicant*) & à Clemente VII. emanavit latissima confirmatio, revalidatio, & innovatio ac communicatio omnium privilegiorum *motu proprio & ex certa scientia* pro tribus Ordinibus sancti Francisci, quæ refertur à collectore in compendio privilegiorum verbo *Communicatio privilegiorum.* §. pro tribus Ordinibus sanctissimi P.N. Francisci.

Compendium privileg.

Sixtus IV.

Clemens VII.

Dubium tertium.

An supradicta privilegia sint modò in vigore, & viridi observantia?

In his consistunt omnia quæ apponi possunt.

RAtiones dubitandi sunt. Prima. Quia videntur apud multas hactenus non fuisse in usu, in confirmatione autem facta per Gregorium XIII. sup. dicuntur confirmari *quatenus sunt in usu.* Secunda. Quia apud plures per contrarium usum videntur abrogata; apud multas enim parochi hactenus consueverunt extremam unctionem administrare, & sepulturam; imò moniales ad missam parochialem in multis locis accedunt, & in Ecclesia parochiali suum sedile habent designatum. Tertia. Quia fortè revocata. Quarta. Quia in fundationibus, sive erectionibus monasteriorum per contractus formatos nonnullis privilegiis derogarunt; & consequenter renunciarunt. Sic enim passim aliqui contractus à Patronis Ecclesiarum, in quarum territorio monasteria sunt constructa reproduci solent. Et in his rationibus dubitandi consistunt ferè omnia, quæ contrà privilegia illarum apponi possunt. Ut ergo omnibus clarè satisfiat, singulis ordine respondendum est.

Dico igitur primò. Privilegiis Tertiariarum, in congregatione sub tribus votis essentialibus religionis viventium sub jurisdictione Ordinis Fratrum Minorum, non est hactenus derogatum per non usum. Pro cujus conclusionis clariori intelligentia

Non est derogatum his privileg. per non usum.

Advertendum est, dupliciter attendi debere privilegia respectu eorum quibus conceduntur; aut enim conceduntur uni personæ, aut communitati: & in communitatibus, vel uni domui, vel uni integræ religioni. Quæ porrò conceduntur uni personæ, per non usum illius personæ, seu magis per contrarium usum, scienter, & liberè, perduntur: quæ verò communitati conceduntur, non deperduntur nisi legitimo tempore præscribantur. Tempus verò legitimum est juxta Innocentium III. *C. accidentibus de privilegiis* spatium 40. annorum, aut secundùm concessionem Eugenii IV. *anno* 1434. 7. *kalendas Martii, Pontificatus anno* 4. facta Ordini S. Benedicti Vallisoleti ex certa scientia & motu proprio, spatium sexaginta annorum. Rursus privilegia, quæ conceduntur uni domui, deperduntur per non usum, vel per contrarium usum illius domûs legitimo tempore introductum; quæ verò conceduntur integræ religioni, non deperduntur nisi integra religio non utatur, vel in contrario usu sit tempore legitimo, ut ostendit Innocent. dicto *C. accidentibus*, & *C. si de terra.* tandem non usus, vel contrarius usus debet esse, vel introduci à scientibus privilegium, & nolentibus uti illo, ut constat ex dicto *C. si de terra in* versiculo *detrahere voluistis.*

Duplex concessio privileg. attendenda.

Tempus legitimum præscriptionis.

Innoc. III.

Eugenius IV.

Qui perduntur privileg. per non usum.

His sic animadversis,

Probatur conclusio: certum est, & experientia constat; quòd quamvis aliquæ domus aliquo tempore usæ non sint supra dictis privilegiis, universitas tamen domorum usa est illis; quod manifestum est in Belgio, ubi passim utuntur, & in provincia sola Flandriæ ex 70. conventibus monialium

Universitas usa est illis privileg.

nialium Tertij Ordinis, non sunt quinque in quibus possit aliquis non usus aliquorum privilegiornm ex supradictis irrepsisse. Unde sic argumentor, per non usum aliquarum domorum non tollitur privilegium integro Ordini concessum, ut habet Panormita. C. *Cum accessissent*; sed paucissimæ sunt domus respectu totius Ordinis in quibus non fuit usus supradictorum privilegiorum: ergo non est derogatum illis. Addo non usum maximè introductum per ignorantiam in illis mulieribus, vel per errorem Confessariorum; ut infra probabo.

Panormit.

Etiam per contrariũ usum non est derogatum.

Dico itaque secundo. Nec per contrarium usum est derogatum Tertiarijs Monialibus S. Francisci quominus prædicta privilegia in viridi observantia, & vigore sint. Probatur ut supra: quia etsi fateri debeamus in nonnullis domibus, quamvis paucissimis, fuisse aliquando contrarium usum; nonnullæ tamen domus respectu integri Ordinis nullatenus possunt derogare privilegio, aut viridi ejus observantiæ quovis modo præjudicare: cum in toto Ordine sit eorum praxis, & communis scientia.

Vnde contrarius usus intro ductus.

Petes, unde ergo illæ aliquæ domus contrarium usum habuerint? Respondeo, Ex ignorantia Monialium, & simplicitate, quæ gravamina ista alienæ usurpationis ignorantes, Superiores non informarunt, nec hactenus consuluerunt. Secundo. Ex errore qui sensim ob indistinctionẽ Iurisdictionis intercessit: quod manifestum erit considerantinam in illis dominibus in quibus difficultates hæ occurrunt, cum sint in locis ubi Fratres Ordinis nulli erant, ex indulto Superiorum, Pastores ut plurimum facti sunt earum Confessarij, & consequenter eis Sacramenta & sepulturam administrarunt; non tamquam Pastores, sed tamquam Ordinis delegati. Unde error irrepsit ex indistinctione Jurisdictionis ordinariæ & delegatæ, ut quod delegatæ Jurisdictioni Ordinis debebatur, ordinariæ & Parochiali adscriberetur nullo titulo & fundamento: sed tantùm quia utraque potestas in eadem persona conveniebat; quomodo & irrepsit, ut admissas Parochiales Moniales procederent, causa solius devotionis, & ut concionem audirent, quæ à Parochis fieri solebat. Tertio Contrarius usus irrepsisse potuit in nonnullis domibus ex invalidis contractibus, de quibus infra.

Quo titulo Pasto es eis ministrarunt Sacramenta.

Ad missas Parochiales qui processerint.

Non sunt revocata.

Dico tertio. Privilegia sæpedicta Monialibus tertij Ordinis Sancti Francisci concessa nullatenus revocata fuerunt, nec sub aliqua revocatione contenta. Patet ex assert. 2. dubij. 2. principalis.

Contractus ante facti non derogant.

Dico quarto. Contractus facti in erectionibus Monasteriorum, aut alibi ante exemptionem, & concessionem immunitatum, & privilegiorum, non derogant posteriori exemptioni, & privilegijs. Ratio est, quia eis formaliter, & ex natura exemptionis per Supremam supremi pastoris auctoritatem, & per Sacrum Concilium Lateranense & decreta in Jure communi contenta derogatum est, ut ex nuper dictis constat.

Posteriores facti sunt invalidi nisi &c.

Dico quinto. Contractus posterius facti invalidi sunt nisi à personis potentibus & Superioribus Ordinis sint facti, & confirmati. Ratio clara est, quia subditi, vel subditæ non possunt in ijs quæ ad Religionem spectant validè contrahere, Juri Religionis renuntiare, nisi aucturitate Superiorum, ad quos res pertinent: (ut ex ipsis terminis constat:) Superiores autem illi sunt Generalis Minister cum Diffinitoribus Generalibus pro toto Ordine, Minister provincialis cum quatuor Diffinituribus pro Monasterijs Provinciæ suæ subjectis.

Contractus aliqui qui examinandi.

Ad hanc trutinam examinandi sunt Contractus, quos Matres Monasteriorum: (quæ secundum DD. aliam potestatem non habent in subditas nisi quam Matres familias in suas domesticas) cum suis Sororibus Conventualibus fecerunt, non consultis legitimis Superioribus, qui hoc ipso non subsistunt, quod cum velut Minoribus, & qui sui juris nullatenus sunt facti esse cognoscuntur. Hic Authores non allego, quia principia sunt communia DD. Videri autem potes Panormit. C. *cum accessissent de const.* Silvester verbo privilegium n 2. & 3. Emanuel Rodrig. *tom 1. qq. Regul. q.* 8. ferè per omnes articulos: Cordub. *in annotat ad Compend, privilegiorũ tit. abs. quoad seculares. primo.*

Panormit.

Roderig.

Cordubâ

CASUS XXXII.

De qualitate, Subjectione, & obligationibus quarundam Fœminarum, quæ in Congregationibus & sodalitatibus sub nomine & Habitu Monialium, Hospitalibus & Xenodochijs in Belgio ministrant.

Proponitur Casus.

SUnt multa passim in Belgio Hospitalia pro pauperibus, & peregrinis suscipiendis: item Xenodochia & Nosocomina pro infirmis curandis, benè dotata & fundata; quorum bona temporalia sub cura Magistratuum, vel Administratorum ab eis commissorum consistunt; sub Ministerio verò piarum fœminarũ diriguntur, quæ in Congregatione viventes Castitatem, & Obedientiam observant, ac in communi absq; proprio vivunt; juxta Constitutiones eis

ab Episcopis datas & approbatas; sive illæ sob præcepto, sive sub speciali voto imponantur: unde & habitum religiosum gestant, & moniales, sive sanctimoniales vulgò vocantur, & pro talibus reputantur. De variis istis locis piis sæpiùs requisitus, juxta diversas circumstantias, & locorum ac personarum conditiones varias resolutiones dedi: quæ quia eandem ferè materiam concernunt, visum est communibus resolutionibus totam istam materiam, distinctè tamen, concludere.

Quæritur.

1. *An illæ fœminæ sub habitu, votis, & constitutionibus religiosè in congregatione viventes, sint veræ religiosæ?*

2. *Quid de earum votis?*

3. *An Episcopo ordinario loci subjiciantur, & quâ subjectione?*

4. *An loca & bona in potestatem Ecclesiasticam transeant?*

5. *Quam potestatem Magistratus laici in illa loca, vel personas habeant, vel habere possint?*

Prænotanda ante Resolutiones.

Tria requisita ad verum statum Religiosum

PRænotandum primò, Tria requiri ad verum statum religiosum ex Ecclesiæ dispositione, & Decretis. Primò. Ut status ille tamquam religiosus, sive ut vera & propriè dicta religio sit ab Ecclesia & S. Sede Apostolica approbatus. Secundò. Quòd habeat regulam similiter ab Ecclesia & S. Sede approbatam sub qua militet. Tertiò. Ut tria vota obedientiæ, castitatis, & paupertatis, auctoritate similiter Ecclesiæ solemnizata, emittat: quæ etiam nomine Ecclesiæ legitimè acceptentur: & hæc quidem sic ab Ecclesia constituta sunt, ut si aliquid eorum desit, quantacumque pietas, & observantia in aliqua congregatione resideat, status religiosus dici non possit; nec personæ in ea viventes veræ religiosæ.

Olim regulæ ab Episcopis approbabantur.

Hæc constant ex Conciliis Generalibus Lateranensi sub Innocentio III. C. 13. & Lugdunensi sub Gregorio X. etsi enim antiquitùs regulæ. & instituta religiosa ab Episcopis approbarentur, quia tamen varietas & multitudo confusionem pariebat,

Cur postea id prohibitum.

Primò. Concilium Lateranense ad annũ 1216 prohibuit, ne nova deinceps religio, præter approbatas, institueretur; & in casu quo novum monasterium ædificandum esset, sub una ex regulis approbatis militaret. Sic refertur in Decreto Gregorii *lib.* 3. *Tit.* 36. *De Religiosis domibus: capite finali,* His verbis, *Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesiâ Dei confusionem inducat; firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam Religionem inveniat; sed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit Religiosam Domum, de novo fundare Regulam & institutionem accipiat de approbatis.* Hæc ibi. Quæ cum debitè observata non fuissent, Gregorius X. in Concilio Lugdunensi, Decretum Concilij Lateranensis ratificavit, & omnes Ordines post illud absque Sedis Apostolicæ approbatione institutos annullavit, & ijs qui illis nomen dedissent permisit ad approbatos Ordines transire, Verba concilij referuntur in 6. Decretal. *l.* 3. *Tit.* 17. C. *unico districtius* (ait) *inhibentes ne aliquis de cætero novum Ordinem, aut Religionem adinveniat, vel Habitum novæ Religionis assumat: cunctas affatim Religiones, & Ordines Mendicantes post dictum Concilium adinventos, qui nullam Confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuæ Prohibitioni subjicimus, & quatenus processerant revocamus.* Et in fine capitis: *ad hæc Personis Ordinum (ad quos constitutio præsens extenditur) transeundi ad reliquos Ordines approbatos licentiam concedimus generalem.* Hæc ibi.

Concil. Lateranens.

Cõc. Lugdun.

Vota autem Castitatis, Obedientiæ, & Paupertatis, ut sint Regularia & Solemnia, debere esse Regulæ Religiosæ approbatæ connexa, sive debere emitti in Religione approbata declarat Bonifacius VIII. *Tit. de voto, & voti redempt. c. unico,* scribens ad Biteron. Episcopum. *Præsentis* (inquit) *declarandum duximus oraculo Sanctionis, illud solum votum debere dici solemne* &c. *quod solemnizatum fuerit per susceptionem Sacri Ordinis aut per Professionem expressam vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.* Hæc ibi.

Vota Castitatis &c. ut sint solemnia debent annexa regulæ approbatæ. Bonifac. VIII.

Congregationes piæ semper fuere in veneratione.

Prænotandum secundo. Præter Religiones & Ordines approbatos ab Ecclesiâ; omni tempore in veneratione habitas fuisse quasdam Congregationes & Sodalitates tam fœminarum, quam virorum, quæ sub certis Ordinationibus, & constitutionibus collegialiter & communiter vivebant, sub directione Episcoporum & aliquorum Superiorum, sive præfectarum, vacantes Orationi, & operibus bonis, ac exercitijs pietatis. Etsi enim aliquæ tales Congregationes (ut *Beguardorum, & Beguinarum, Fraticellorum* &c.) propter hæreses & crimina fuerint condemnatæ per Clementem V. In Cõcilio Viennensi, ut habetur in clementinis *cap. cum de quibusdam. Tit. de religiosis domibus:* & eodẽ Tit. in *Extr. Ioannis. XXII. c. unico, Sancta. Romana.* Tamẽ Põtifices semper excepe-runt

Cur aliquæ fuerint condemnatæ.

Cap. cum de quibusdam.

Cap. Sancta Romana

runt congregationes piarum mulierum, quæ ab hujusmodi hæresibus & criminibus immunes erant, quas ut pias retineri voluerunt, nec vexari, quamvis earum statum non approbent, utique ut religiosum, ut ex iisdem titulis patet. Et singularem habet declarationem Joannes 22. *Extravag. Tit. de religiosis domibus, cap. un. Ratis recta.*

Cap. Ratio recta.

3. Prænotandum tertiò. In congregationibus illis mulierum piis, & piè institutis, varios esse vivendi modos: in aliquibus enim vota tria *obedintia, castitatis*, & *paupertatis* absolutè & in perpetuum emittuntur. In aliis tantùm duo vota, nimirùm, *obedientia*, & *castitatis*, idque in perpetuum: In aliis vota illa temporalia sunt, nec obligant nisi pro tempore quo ibidem vivunt. Denique in nonnullis prædictorum observantia non confirmatur per vota, sed tantùm sub præcepto illis imponitur: quæ valde notanda sont.

Resolutio 1. ad 1. Quæst.

Personæ in istis viventes non sunt veræ religiosæ, nisi &c.

AD primam Quæstionem *resp.* Personas in dictis congregationibus, si earum regula & congregatio à S. Sede Apostólica approbata titulo religionis non fuit, etsi alias tria vota emittant, & sub habitu Religiosis simili vivant; non esse veras religiosas. Ratio sumenda est ex declarationibus Innocentii III. in Concillo Lateranensi: & Gregorii X. in Concilio Lugdunensi, qui omnes congregationes religiosas, quæ non vivunt sub statu & regula à S. Sede approbata, in qualitate religionis annullarunt; & personis quidem illarum, si veræ religiosæ esse vellent, generalem licentiam dederunt eligendi quamcumque religionem; sicut dictum est, approbatam; & emittendi professionem sub illa. Nec potest desuper deinceps quæstio moveri. Unde modò omnes Religiones militant vel sub regula S. Basilii, vel sub regola S. Augustini, vel sub regula S. Benedicti, vel sub regula S. Francisci, quæ quatuor quasi quatuor cardines sunt, in quibus Religiones volvuntur. Excipiuntur tamen aliquæ aliæ antiquæ religiones, quæ innovatam ex continuatione, & certâ scientiâ S. Sedis approbationem sortiuntur, ut S. Antonii, S. Hieronymi, &c. Vel quæ specialem approbationem S. Sedis meruerunt, ut Societatis JESU. Est enim reservata potestas S. Sedi etiam novas religiones approbare. Non sufficit tamen approbatio simpliciter congregationis, aut constitutionum: nisi exprimatur approbari in qualitate *status religiosi*, vel regulæ religionem constituentis. Quod benè judicarunt Pontifices, qui approbantes sivè potiùs permittentes Canonissarum collegia; sicut & quarumdam mulierum piè viventiom congregationes, notanter addiderunt: *Per hoc tamen non intendentes earum statum, Regulam, seu Ordinem approbare.* Unde Tertiariæ Ordinis S. Francisci multo tempore non sunt habitæ veræ religiosæ, etsi in congregatione, & sub Regula approbata à Nicolao III. viverent, & tria vota emitterent: quia nec status, nec regulâ ut religiosâ approbata fuerat, cùm esset communis personis in congregatione, & in propriis domibus viventibus; donec primò Sixtus IV. earum vota solemnia, & ipsas veras religiosas declarasset per Bullam quæ incipit: *Ad Christi Vicarij. data Romæ anno* 1481. *Calendis Decembris. Pontificatûs anno* 10. Et demùm Leo X. regulam à Nicolao III. datam pro viventibus sub tribus votis in congregatione restituisset, & contraxisset, ac *separando* (ut ait) *pretiosum à vili* religiosam effecisset, & per illam statum religiosum constitui declarasset: quæ solamodò pro monialibus in vigore est data sub Bulla *anno* 1521. 20. *Januarij Pontificatûs anno* 8.

Militant modò omnes Religiones sub una ex 4. regulis. Quæ excipiantur.

Qui debeat approbari congregatio à S. Sede, ut constituat statum religiosum.

Tertiariæ S. Francisci in congregat. viventes quando declaratæ religiosæ.

Sixtus IV.

Leo X.

Quando ergo personæ, quæ in hujusmodi congregationibus vivunt, Religiosæ, & moniales, sive sancti-moniales nuncupantur; nomen Religiosæ vel sancti monialis, sive religionis sumuntur analogicè sive similitudinariè; quia eodem modo, iisdem cæremoniis, sub exercitiis omninò similibus, quo religiosæ vivunt: & ut plurimùm earum ordinationes, ex Regulis, & statutis antiquarum Religionum desumptæ sunt: & (ut ait Concilium Rhemense sub Eugenio III. Can. 4.) *Sancti-moniales* dicuntur, *quæ superfluitatem, & inhonestatem vestium rescindunt, & in claustro assiduè permanentes, Choro, Refectoris, & dormitorio sunt contentæ, &c.* In quibus autem à veris monialibus distinguantur in sequentibus Resolutionibus dicetur.

Concil. Rhemense.

Resolutio 2. ad 2. Quæst,

AD secundam Quæstionem *resp.* vota dictarum personarum vivendi *in obedientia, sine proprio, & in castitate*, etsi sint absoluta & perpetua, ac publicè cum cæremoniis publicis, in manus Superioris emittantur, *simplicia vota* dumtaxat reputantur; adeoque *solemnia* non sunt, nec professio solemnis habetur. Ratio sumenda est ex dictis in prænotato 1. ex Bonifacio VIII. *Tit. de voto, & voti Redempt. C. unico*: quia

Bonifac. VIII.

enim (ait) *solemnitas voti ex sola institutione Ecclesiæ sit inventa*, &c. ejusdem ordinatione votum, etsi idem, non reputatur religiosum vel solemne, *nisi solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis*: Erunt ergo illa tantùm simplicia; cùm, ut supponitur, non fiant secundùm regulam, sive statum à S. Sede in qualitate veræ religionis approbatum. Quæres verò, quid intersit inter vota *solemnia*, & *simplicia*, in istis congregationibus, à S. Sede non approbatis emissa?

Differentia inter vota solemnia & simplicia istarum. Resp. Illa omnia convenire. Primò quòd respectu personæ æqualiter obligent, eo ipso enim quo quis validè vovit, eâdem obligatione obligatur ad illud servandum, sive votum sit simplex, sive sit solemne, modò sit absolutum & perpetuum: unde ejusdem speciei sunt peccata quæ ab illis fiunt, dum vota sua transgrediuntur; & ut exemplo constat, eodem peccato sacrilegii peccat quæ castitatem transgreditur obligata voto simplici, sicut obligata voto solemni; & idem est de transgressione obedientiæ & paupertatis.

Secundò. Cùm, ut supponitur ex voto personæ se obligent congregationi in perpetuum; si se subduxerint, æqualiter Apostasiæ crimen incurrunt, si non sub iisdem pœnis externis, eodem saltèm reatu coram Deo.

Tertiò. Votum castitatis simplex in Congregationibus non approbatis æquè impedit Matrimonium contrahendum, sicut & solemne, & quò magis publicè emissum, majus infert scandalum: unde juxta Bonifacium VIII. *Tit. de voto & voti redemptione in* 6. tantùm differre videntur *solemnia vota à simplicibus*; quòd *solemnia* matrimonia contrahenda impediant, & dirimant contracta: *simplicia* impediant quidem contrahenda, contracta autem non dirimant. Verba Bonifacii *c. unico* sunt:

Bonifac. VIII. *Reliqua verò vota* (inquit) *etsi quandoque matrimonium contrahendum impediant: & quantò manifestius sunt emissa, tantò propter plurium scandalum & exemplum, durior pœnitentia transgressoribus debeatur: non tamen rescindere possunt matrimonia post contracta.* Unde

Concil. Carthag. 4. Concilium Carthaginense 4. Mulieres hujusmodi, quæ se Domino devoverunt, & veste laicali abjectâ, sub testimonio Episcopi & Ecclesiæ, in religioso habitu apparuerunt, posteà verò ad nuptias sæculares transierunt, ejusmodi primam fidem irritam facientes, tanquam Dei adulteras excommunicat. Ex quo apparet, quàm scandalosa, & impia sit eorum sententia, qui

Scandalosa sententia asserentium eas posse nubere.

tales personas, in Congregationibus illis à S. Sede non approbatis, vota emittentes, asserunt posse nubere: illud enim posse, dici nequeunt, ratione cujus Deum offendunt, & sacrilegium dignum excommunicatione committunt. Et quamvis Matrimonium non dirimatur, perpetuo tamen impedimento tenentur: quia nec debitum à maritis exigere possunt; & si maritus moriatur, sub eadem semper culpa aliud Matrimonium inire nequeunt, sed ad pristinas obligationes revertuntur. Quantis verò pœnis subjectæ fuerint antiquitùs, quæ etsi absque professione religiosa, continentiam virginalem, vel vidualem inter manus Episcoporum vovebant, & habitu externo protestabantur; vide apud Gratianum 27. qu. 1. per totam, ubi *c. Nuptiarum.* Augustin. *c. 9. de bono viduitatis*: insignem dat rationem, cur tantùm Matrimonia contrahenda impediantur, non autem contracta dissolvantur per simplex continentiæ votum, explicans illud 1. *ad Timoth. 5.* de viduis quæ votum continentiæ voverunt. *Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt; habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Verba S. Augustini sunt: *Non cùm in deliciis egerint, nubunt in Christo: sed nubere volunt. Habentes* (inquit) *damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, etsi non nubendo, sed tamen volendo: non quia ipsæ nuptiæ, vel quia talium damnandæ judicentur; Sed damnatur propositi fraus, damnatur votifracti fides, damnatur non folùm susceptio à bono inferiori, sed ruina ex bono superiori. Postremò damnantur tales, non quia conjugalem fidem posteriùs inierunt, sed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt.* Quæ latè ibidem prosequitur. *Cap. Nuptiarum.* *1. Timot. 5. v. 11. 12.* *S. August.*

De quibus id sit intelligendum. Porrò hæc dicta sunt de iis quæ in cōgregationibus, de quibus est quæstio, tria vota absolutè, & in perpetuum Domino voverunt, & habitum mutaverunt; quibus proportionaliter æquiparantur, quæ duo vota *continentiæ* scilicet & *obedientiæ* absolutè voverunt: etsi enim in proprietate aliqua habere possint, transgressiones tamen *continentiæ*, & *obedientiæ*, ejusdem reatus, cum prioribus, sunt; & votum castitatis, sic emissum, omne Matrimonium impedit; & ex vinculo obedientiæ, numquam absque dispensatione Pontificia, à Congregatione cui per obedientiæ votum se devoverunt, se separare legitimè possunt.

Quid autem dicendum sit de illis, quæ non tam *continentiam, obedientiam, & paupertatem* vovent, quàm illa velut sub præceptorum obligatione suscipiunt: & illis se subjiciunt: aut de illis quæ tantùm ad tempus, quamdiu scilicet in Congregatione vivunt,

vivunt, illa observate promittunt: accipe paucis.

Qui obligentur ex solo statuto ad illa vota. Dico igitur illas, quæ sub solo constitutionum suarum præcepto ad *continentiam, paupertatem,* & *obedientiam* se obligarunt, non ampliùs ad illa obligari, quàm intenderunt Episcopi, qui illis constitutiones dederunt; & sub obligatione quam constitutiones exprimunt, & non plùs; ita ut interdùm non ad culpam (nisi aliundè jure divino obligentur) sed dumtaxat ad pœnas, ex vi constitutionum obligentur. Exemplum sumo ex constitutionibus Walteri Episcopi Tornacensis, datis sororibus hospitalis S. Joannis Gandavi in parochia S. Jacobi (de quarum statu particulariter interrogatus sum) in illis enim Walterus Episcopus sic loquitur: *Eas* (inquit) *in nostra protectione suscipientes, nihil eis amplius oneris imponendum duximus, nisi quod corporalem continentiam, propriorum abdicationem, & habitum religiosum, & obedientiam ad magistram domus teneantur generaliter observare.* *Constitut. VValteri Episcopi Tornacen. pro sororibus hospitalis S. Ioannis Gandavi.* Ubi per *continentiam corporalem*, innuit illas ad externam continentiam, solùm ex vi constitutionum, obligari; scilicet ut corpora sua non prostituant, aut matrimonia ineant, aut aliter incontinentiam aliquam exteriùs in corpore non committant: quæ verè non est *castitas* illa voti religiosi *obedientia* etiam ad *magistrum*, vel *magistram domus*; sicut & abdicatio propriorum, domesticam quamdam & œconomitam rationem insinuant; ut nimirùm, sicut filiæ familias de communi vivant, & sub regimine patris, vel matris familias servitia sua faciant, Unde Joannes Episcopus Tornacensis, Walteri successor, ad annum 1262. ampliatis & revisis constitutionibus: In professione quam emittunt, tantùm expressit *obedientiam* per constitutiones modificatam, sub hac forma: *Ego N. facio professionem, & promitto obedientiam Deo, & B. Virgini Mariæ, & N. vice Episcopi Tornacensis: Quod ero obediens usque ad mortem, secundùm constitutiones à venerabili Patre Episcopo Tornacensi constitutas.* *Constitut. Ioannis Episcopi Tornacen.* *Forma professionis* Ex qua forma colligitur ipsas voto simplici obedientiæ, quod faciunt Deo & B. Virgini, & Episcopo teneri obedire; quia verò ista obedientia modificatur (*secundùm constitutiones ab Episcopo factas, vel fiendas*) obligatio non erit alia, quàm Constitutionum: quæ cùm tantùm sub præcepto imponant continentiam corporalem, & abdicationem proprii, illa etiam erunt explicanda & modificanda juxta rationem præceptorum: quæ qualiter obligent, idem Episcopus *c. 21. Constitutionum* expressit: *Præterea* (ait) *volumus & declaramus, quòd Constitutiones nostræ, ut ad culpam non obligent, nisi contemptus accedat, sed ad pœnam, vel in hoc libello conscriptam, vel in Capitulo injungendam.* Hæc ibi. *Earum obedientia modificatur.* *Qui obligent earū Constitutiones.* Ex quibus omnibus universaliter colligitur, congregationes similes esse ex suis constitutionibus examinandas, & judicandas super obligationibus suis: etsi enim observantias religionibus similes contineant, ad vitam salutarem, & exemplum sanctum ac utilitatem monasterii sui, non obligantur tamen ad eas; nisi prout exprimuntur. *Obligationes illarū Congreg. examinandæ ex constitutionibus earum.* Nam ut benè Episcopus Tornacensis in allegatis constitutionibus causam illarum allegans, dicit se illas ordinasse: *ut sorores & fratres ibidem pauperibus servientes, & habitu, & gestu, in modestia victus, & vestitu se à saeculo, & saecularium conversatione sequestrarent.* *Finis Const. Episc. Tornacēs.* Ita de congregationibus similibus proportionatè, & conformiter ad sua instituta, & munia, sive ministeria judicandum est.

Dico tamen: quòd ubi sunt vera vota Deo emissa, quantumvis simplicie, juxta illorum tenorem explicari debere: unde si tantùm sint ad tempus quò tales in congregatione vivunt, ubi à congregatione separantur, votorum obligatio cessat, ut ex terminis manifestum esse potest.

Resolutio 3. ad 3. Quæst.

AD tertiam Quæstionem: nimirùm, an Episcopo subjiciantur, & quâ subjectione?

Resp. Congregationes omnes; quæ operibus & exercitiis piis sub aliqua regula, vel constitutionibus vivunt, Episcoporum jurisdictioni, visitationi, & correctioni subjici (salvâ tamen exemptione singulari) colligitur ex *cap. Ratio recta de religiosis domibus in extravag. communibus.* *Subjiciuntur Episcopi jurisdictioni, &c.* Ubi mulieres illæ, in congregatione pietati vacantes, dicuntur debere obedire Episcopis; earumq; cura singulariter illis demandatur, tam in visitationibus, & correctionibus, quàm in earum protectione. Et ratio est: quia etsi tales congregationes in rigore religiosæ non sint, tamen regulares & religiosas observantias assumunt, ex facultate, concessione, imò dictamine Episcoporum, & aliquibus votis se obligant; quorum ratione in potestatem magis singularem Episcoporum transeunt, & more clericali, in quantùm capaces sunt, in sortem Domini transferuntur; & velut personæ Ecclesiasticæ, forum Ecclesiæ sortiuntur, non eliter, quàm oblatæ & donatæ in religionibus. *Qui sortiantur forum Ecclesiæ.* Vide latè Barbosam *de jure Eccles. l. 1. c. 39. n. 43.* quam citat, & sequitur Tamburinus *de jure Abbatissarum, disp. 7 quæst. 7. n. 2.* *Barbosa.* *Tamburinus.* Unde earum subjectio ad Episcopos est velut

Clericorum, sequiturque modum, quo subjiciuntur Episcopis Canonistæ sæculares. in *cap. Attendentes de statu monachorum*: ubi, etsi *non renuntient proprio, nec professionem aliquam faciant*, eis tamen conceditur frui foro Ecclesiastico, non minùs quàm Canonicis, & mandatur per *locorum ordinarios, si non fuerint exempta sua; si verò fuerint exempta, Apostolicâ auctoritate, visitari.*

Cap. Attendentes.

Resolutio 4. ad 4. Quæst.

Etiam bona earum & loca transeunt in potestat. Ecclesiasticam. Concil. Trident.

ADquartam Quæstionem *Resp.* Non tantùm personas, sed etiam loca earum & bona in potestatem ecclesiasticam transire. Clarus est textus Concilii Tridentini *sess. 22. de Reform. C. 8. Episcopi* (inquit) *etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati*, &c. *habeant jus visitandi hospitalia, collegia quæcumque, ac confraternitates Laicorum*, &c. Infrà *pia loca omnia, quomodocumque nuncupentur, etiamsi locorum prædictorum cura ad Laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita, ac omnia quæ ad Dei cultum, animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo, juxta sacrorum Canonum statuta, cognoscant, & exequantur; non obstantibus quâcumque consuetudine etiam immemorabili, privilegio, ac statuto.* Hæc ibi. Modus autem quo se debeant gerere Episcopi, & qualiter possint & debeant, etiam quoslibet talium locorum administratores compellere, ad computus reddendos, conservanda, & legitimè distribuenda hujusmodi bona, latè ponitur. *c. quia contingit*, in Clementinis. *L. 3. tit. de religiosis domibus.*

Cap. quia contingit.

Resolutio 5. ad 5. Quæst.

Quamenam debeant gerere Magistratus pro sanctimonialibus locis.

ADquintam Quæstionem *Resp.* Magistratus in Xenodochia, hospitalia, leprosoria, &c. etsi à sanctis monialibus, sive personis piis, in illis locis ministrantibus dispensentur; ut plurimùm tamen constituunt superintendentes & administratores, sive curatores, incumbitque dictis Magistratibus curam gerere, ut bona benè conserventur, &c. legitimè applicentur, & distribuantur; prout in fundationibus locorum fuerit expressum. Hæc omnia patent ex *cap. quia contingit*, allegato; Ubi etiam administratoribus modus præscribitur, & eorum officium ad instar Tutorum & curatorum esse declaratur. In quibus omnibus attendenda est fundatio & fundatoris intentio, quia interdùm nonnullis plura, aliis pauciora committuntur. Interdùm etiam fœminæ quæ ad congregationem, seu ministeria admitti debent, Magistratibus præsentantur, ut cognitâ idoneitate consensum præbeant.

Cap. quia contingit.

Sequendæ itaque sunt ordinationes à fundatoribus expressæ, quas semper servari mandat Concilium Viennense in *C. quia contingit* suprà citato. Vigilantiam committens Episcopis. Omnes autem, ad quos dictorum locorum commissio pertinet, sub obtestatione divini judicii monens, ut fideliter se habeant, illorum conscientias onerando. Idem.

Corollarium.

EX quibus omnibus constat: quòd personæ illæ, absque solemnibus votis, in congregationes illas convenientes; etsi veræ religiosæ non sint: juxta tamen constitutiones suarum congregationum debere vivere, ac jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcoporum subjacere: ac de bonis earum; sive locorum, ac eorum administratione, Episcopos posse & debere cognoscere, etiamsi ad Laicorum administrationem pertinerent.

CASUS XXXIII.

De fundatrice cujusdam monasterij, & de privilegio ingrediendi illud concesso fundatricibus.

NObilis quædam Domina Philotea amore Dei, & ex mera charitate præsentavit fundare monasterium Religiosarum, quæ obligantur ad strictâ & papalem clausuram: fuitque legitimè admissa & acceptata ut fundatrix, cum communicatione ordinariorum privilegiorum. Propositio casus.

Conformiter ad suam præsentationem, expendit dicta Domina notabilem quantitatem pecuniarum pro fundo & ædificiis monasterii: insuper in se suscipiens obligationem ad satisfaciendum creditoribus, &c. sperans & desiderans fundationem suo tempore perficere; licèt id modò non possit ob ruinas, & calamitates bellorum, atq; ita debeat jam desistere à completione bonæ suæ voluntatis.

Intereà temporis Commissarius Visitator ejusdem Ordinis, peragens in illo monasterio suas visitationes, forte sub prætextu promovendi fundationem, prohibet ne deinceps Domina Philotea in qualitate fundatricis admittant intra monasterium, nisi

nisi priùs juxta promissum fecerit fundationem. In dicto autem Ordine est in usu privilegium illud, quo fundatrices valeant ingredi clausuram.

Quæritur.

1. *An P. Commissarius potuerit sic Dominam Philoteam privare privilegio intrando dictum monasterium in qualitate fundatricis?*

2. *An non obstante prohibitione P. Commissarij Domina Philotea possit intrare, & an possit admitti intra clausuram?*

Resolutio 1.

Privilegium illud est papale. Ad primam Quæstionem *Resp.* 1. Facultas intrandi clausuram concessa fundatricibus, est privilegium papale datum à S. Sede, cui nullus inferior potest derogare.

Gregor. XIII. Hoc constat ex Bulla Gregorii XIII. quæ incipit. *Quæ sancti-monialium quietem: Data Romæ apud sanctum Marcum sub annulo piscatoris die 8. Sept. an. 1584. Pont. an. 13.* in qua *revocatis & abolitis omnibus, & quibuscumque licentiis, facultatibus, & indultis ingrediendi monasteria, &c.* ponit hanc exceptionem: *Præterquam* (inquit) *ipsorum monasteriorum, domorum, & locorum fundatricibus, aut dotatricibus, seu altricibus, &c.* Quibus verbis manifestè datur privilegium illis, quæ in se susceperunt fundationem, vel notabiliter contribuerunt ad dotem monasterii, aut alimentum Religiosarum.

Plures personæ possunt concurrere ad fundationem, &c. monasterii. Circa quod notandum: plures personas posse concurrere ad fundationem, dotationem, & alimentationem monasterii; ita ut juxta prudens judicium, plures possint gaudere titulo *fundatricis, dotatricis*, vel *altricis*, secundùm quantitatem & qualitatem beneficiorum, & consequenter ad formam contractûs initi.

Non potest illa Domina privari jure suo fundatricis. *Respond. secundò*: Cùm Domina Philotea liberaliter præsentavit fundationem monasterii, de quo est quæstio, fueritque acceptata pro fundatrice, & juxta suum posse contribuerit ad fundationem, receperitque in se obligationem satisfaciendi creditoribus, &c. ut suprà dictum est, etsi in præsenti non possit perficere suam præsentationem & promissum, non potest dicta Domina privari jure fundatricis, & consequenter nec privilegio ingrediendi monasterium, concesso fundatricibus.

Ratio prima est: quia de facto est in possessione juris, & privilegii fundatricis: cùm ex nunc compleverit partem notabilem fundationis, habeatque voluntatem eam ulteriùs perficiendi.

Secunda: Quia defectus, seu quod non perficiat fundationem, non provenit ex culpa ejus, sed à casu, seu accidente merè extrinseco, cujusmodi accidentia non sunt in nostra potestate. *Nemo* autem *absque culpa potest privari jure suo*.

Tertia: Quia fundatio non consistit in pecuniaria una summa indivisibili; nec in totali solutione, seu promotione pecuniarum: Monasterio obligato, ex jure naturæ, ad recognoscendam jam factam promotionem, seu contributionem pecuniarum, nec non sufferentiam onerum ad satisfaciendum creditoribus, &c. quæ Domina Philotea in se suscepit: essetque ingratitudo, & inhumanitas maxima privare personam aliquam jure acquisito, ob accidens merè fortuitum.

Quarta: quia ob contributionem pecuniarum quam de facto fecit, ad minùs debet reputari fundatrix partialis; esto non haberet, nec ei Deus daret ulteriora media, ad fundationem perficiendam.

Respond. tertio: Sicut non possunt Superiores privare Dominam Philoteam *jure fundatricis*, sic nec possunt illam privare *privilegio ingrediendi monasterium*. Ratio est: quia privilegium hoc est papale, cui, ut suprà dictum est, inferiores non possunt derogare. *Nec privilegio.*

Resolutio 2.

Ad secundam Quæst. *Resp.* Si Domina Philotea petat ingredi monasterium, debet ei porta aperiri, & à Religiosis intra monasterium admitti non obstante dicta prohibitione. *Potest & debet admitti intra clausuram si petat.*

Ratio est: 1. Quia ipsa non est juridicè & per sententiam privata jure acquisito, cum talis privatio nequeat fieri per simplicem prohibitionem illius Superioris.

Secunda, Quia solus Superior non est capax, nec potest derogare dicto juri, & consequenter nec privilegio, absque injustitia & gravi injuria dictæ Dominæ:

CASUS

CASUS MISCELLANEI.

CASUS I.

De Canonico promoto ad alium Canonicatum, ante resignationem prioris Canonicatûs.

Proponitur casus. Titius habens Canonicatum Ecclesiæ, A. sufficientem ad sustentationem & statum; obtinet demùm Canonicatum alterum in Ecclesia B & curat se introduci in possessionem tituli; Quia autem ex causa, non potest adhuc gaudere fructibus dicti Canonicatûs B.

Quæritur.

1. *An hoc ipso quo adeptus est possessionem secundi Canonicatûs B. Canonicatus. A. à jure vacet?*

2. *An teneatur statim dimittere Canonicatum?*

3. *An jure possit privari Canonicatu A.*

Responsio ad 1. Quæst.

Prior Canonicatus non vacat ipso jure. Respondetur ad primam Quæstionem. Quidquid aliqui dicant, & aliter sentiant Canonicatum A. per adeptam possessionem Canonicatûs B. simpliciter jure ipso non vacare.

Ratio est: Quia nullo jure id constat. Nulla autem pœna jure incurritur, nisi in casibus à jure expressis. Quod ipsum clarè docet Stephanus Quaranta in *Bullario verb. Beneficiorum resignationes*, *in additione Concl. 4. & ult.* citans Navarrum in *Consil. 17. de prabend. in Nov.* Quod cùm allegatur Concil. Trid. *sess. 7. de Reform c. 4. & sess. 24. c. 17.* manifestum est cuilibet legenti c. 4. *sess. 7.* non agere, nisi de iis beneficiis, de quibus in constit. Innocentii III. quæ incipit: *De multa* in qua non agitur nisi de curatis, dignitatibus, & personatibus. Prout & in *Extrav. Execrabilis*

Unde & *sess. 24. c. 17. de Reform.* Quamvis prohibeat *Concilium Trid.* ut nullus omninò possideat duo beneficia incompatibilia: pœnam tamen vacationis ipso jure non infert, nisi in eos qui curatas Ecclesias cum cathedralibus obtinent. His verbis:

Concil. Trid. *Ille verò qui in præsenti plures parochiales Ecclesias, aut unam cathedralem & aliam parochialem obtinent, cogantur omninò, quibuscumq; dispensationibus, ac unionibus ad vitam non obstantibus, unâ tantùm parochiali, vel solâ cathedrali retentâ, alias parochiales infra spatium sex mensium dimittere: alioquin tam parochiales, quàm omnia beneficia quæ obtinent, ipso jure vacare censeantur.* Ex quibus manifestum est, per Concilium Tridentinum, cùm juxta commune juris axioma, *pœnæ non sint ampliandæ*, dictam vacationis beneficii pœnam, non nisi ad illa curata, & alia quæ in supradictis capitibus continentur, extendi. Et ita etiam tenuit Lessius *l. 2. c. 34. de beneficiis dub. 27. n. 144. & seqq.* citatque *n. 145.* Navarrum respondentem ad quandam responsionem Em, Cardinalium. Et vidi citatas aliàs decisiones eorundem Cardinalium à Garcia de Beneficiis *p. 11. c. 5. n. 260. & n. 373.* ubi 3. decisio habet: *An duo Canonicatus de jure in vim Concily Trident. Decretorum sint incompatibiles?* Congregatio respondit: *esse*: sed de hoc non agitur: non enim quæritur: An sint incompatibiles, sed an ipso jure alter eorum vacet? Quarta verò decisio, loquitur tantùm de retentione duorum Canonicatuum ultra triennium, quæ non facit ad casum præsentem. Lessius. Navarr. Garcias. *Declaratio Cardinalium.*

Responsio ad 2. Quæst.

Non tenetur prior rem Canonicatum dimittere, quamdiu non est in pacifica possessione fructuum posterioris. Ad secundam Quæstionem respondetur: solâ tituli Canonicatus B. Possessione acceptâ (ut supponit casus) non teneri Canonicatum A. dimittere, quamdiu possessionem pacificam fructuum non est adeptus, sive quamdiu non fruitur fructibus, nec per illum stat ne fruatur.

Ratio est: quia inutilis & sine fructu est possessio solius tituli Beneficii, si alias hic & nunc fructus percipi non possint. Cum Beneficii fructus sequi debeant ipsum Beneficium, & officium, quod propter Beneficium fit. Et ita tenet, & explicat Stephanus Quaranta *in Bullario suprà §. Nona causa concl. 1.* De eo qui habet Beneficium curatum, & aliud similiter curatum obtinet, ubi docet quidem primum vacare, limitat autem post obtentam pacificam possessionem secundi Beneficii: possessionem autem pacificam illum non æstimat habere; *Quoties* (inquit) *non possit fructus jeiunus Beneficii percipere, eò quòd alteri ex aliqua causa debeantur; tunc enim non censetur vacare primum.* Et allegat *C. si tibi concesso, &c. de præbendis, in 6.* Et hanc etiam sententiam clare notat Lessius suprà. n. 141. Stephanus Quaranta. *Cap. si tibi concesso. Lessius.*

Responsio ad 3. Quæst.

Nec potest jure privari. Ad tertiam Quæst. consequenter respondetur: Quamdiu non potest gaudere

dere fructibus secundi beneficii B. non posse jure privari Canonicatu A. *Ratio est:* Quia ut dictum est, nullo jure id decernitur, & aliàs ut dictum est: non habet (ut supponitur) integram possessionem pacificam secundi Beneficii, sed tantùm rituli, quæ possessio illi est inutilis ad sustentationem, unde censendus est relicto primo Beneficio, secundum ad sustentationem non sufficere, imò nullum sibi esse: in quo casu Ecclesia plura beneficia permittit. Et hoc sequitur ex communi Doctorum opinione ut suprà.

CASUS II.

De filio Balivi gestante virgam justitia in via, dum reus duceretur ad supplicium; & an contraxerit irregularitatem?

Proponitur casus.

PAter Balivus habens filium locum tenentem, administraturus justitiam in reum mortis, tenens virgam justitiæ monuit homines feudales, ut dicerent sententiam in reum: pronuntiatâ sententiâ, ipse in via ad locum justitiæ permisit filium locum tenentem gestare virgam, quam iterùm in loco justitiæ accepit; nolebat enim filium locum tenentem se ullo modo intermiscere illi justitiæ; ne teneretur pallium suum dare tortori, quia prima ejus fuisset justitia.

Quæritur.

1. *An locum tenens, in hoc casu, non excusetur ab irregularitate?*
2. *An, si aliquam incurrerit, Episcopus in illa non possit dispensare?*

Resolutio primæ Quæst.

Probabiliter non incurrit irregularitatem.

REsp. primò. Locum tenentem, ratione hujus præcisæ gestationis virgæ justitiæ in via, probabiliter non incurrisse irregularitatem. Ratio est: quia gestatio virgæ justitiæ in via, per se, vel etiam ex signo non concurrit ad mortem; sed est tantùm signum justitiæ generaliter procedentis; unde ministerium illud, per se est indifferens ad mortem, vel aliam quamcumque justitiæ actionem citra mortem, cùm possit etiam reus absolvi, vel aliàs liberari. Et ut supponitur in casu, locum tenens nec in prolatione sententiæ, nec in executione justitiæ (qui sunt actus ad mortem concurrentes) virgam tenuerit. Igitur in hoc casu favendum est locum tenenti, & in favorem ejus resolvendum est.

Actus justitiæ ad mortem concurrentes.

Resolutio secundæ Quæst.

Episcopus posset cum illo dispensare, si incurrisset. Angelus. In qua irregularitate possit dispensare Episcopus.

REsp. secundò. Dato etiam quòd irregularitatem incurrisset, posse Episcopum cum illa dispensare. Ratio sumitur ex regula generali, quam habet & sequitur Angelus V. Dispensatio n. 5. Quia Episcopus potest dispensare in omni irregularitate, quæ ex Concilio & Canone non est reservata; Hæc autem nullatenus reservata est: quia in Canonibus ne quidem expressè continetur, sed tantùm valde remotè, & quâdam deductione longâ & incertâ.

CASUS III.

De Capellis domesticis.

Proponitur casus.

NObilis Dominus de N. obtinuit à Sede Apostolica pro sua domo, ut in oratorio, ad hoc decenter muro exstructo & ornato, ab omnibus domesticis usibus libero, per Ordinarium loci priùs visitando & approbando, Missa celebrari possit: sub hac verborum forma? *Ut unam Missam pro unoquoque die, &c. per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum sæcularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quorumcumque jurium parochialium præjudicio (ac Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, &c. diebus exceptis, &c.) in tua ac familia tua præsentia; celebrari facere liberè ac licitè valeas, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus,*

Verba concessionis Pontificis.

Quæritur.

An possint unâ die plures Missæ à pluribus Sacerdotibus in dicto Oratorio celebrari?

Ratio dubitandi.

RAtio dubitandi est: quia privilegium debet explicari juxta tenorem verborum, sive prout sonat, ut habetur c. *Porrò tit. de privilegiis*: verba autem Pontificis: *ut una Missa pro unoquoque die celebrari possit*, videntur in rigore excludere plures Missas pro uno die: aliàs frustrà Pontifex determinaret privilegium suum ad unam Missam in die.

Cap. porrò de privil.

Resolutio.

Possunt in eo plures Missæ una die à pluribus Sacerdotibus dici: & qualiter.

REspondeo nihilominus: Posse plures Missas unaquâque die, à pluribus Sacerdotibus ab Ordinario approbatis sæcularibus, vel Regularibus licentiam habentibus à Superioribus suis celebrari, si absque quocumque jurium parochialium præ-

præjudicio fiat, & exceptis duobus in Privilegio memoratis. Ratio fundamentalis est: Quia *particula una*, non est exclusiva per se, nisi alia excludens superaddatur, vt sunt, *solum, tantùm, dumtaxat, vna, vnica*, & vel ex contextu Textus Exclusio manifestè appareat. In hoc autem Privilegio, nec exclusiva ulla addita est expressè; nec ex contextu aliqua exclusiva legitimè convinci potest. Unde favorabiliter Privilegium interpretandum est. Quod particula *vna* per se posita, exclusiva non sit infinitis exemplis probari potest: Explico verò vnico moralis Episcopus fundat & erigit dotatam Capellam, sive altare extra Ecclesiam Parochialem, sub his terminis: *Vt in Dominica qualibet celebretur, vel possit celebrari vna Missa pro commoditate parochianorum, &c.* His verbis nec prohibet (si aliud non exprimat) quin Sacerdos aliquis in Altari illo, sive Capella celebrare possit, nec vetat vt plures ibidem per occasionem Missæ celebrentur, etiam alijs diebus, ut praxis communis habet. Prohiberet si diceret *vnam tantùm* Missam, & in *Dominica tantùm* celebrandam. Simili igitur ratione Pontifex permittens *vnam Missam quotidiè, sive pro vnaquaque die in Oratorio ab Episcopo visitando, & approbando, & à communibus usibus libero & separato, à quolibet Sacerdote* &c, *celebrari*. Non prohibet plures Missas celebrari, nisi aliud exprimat: hic aurem, nec per particulam exclusivam aliud expressit, nec ex contextu Brevis, sive Privilegij prohibitio hujusmodi colligi potest.

Particula una qualiter sit exclusiva.

Exemplificatur.

Dices: cur ergo expressit *vnã* & non potius indefinite dixit vnaquaque die Missam per quemlibet Sacerdotem celebrari posse? Resp. Particulam *vnam*, explicativam magis esse, quàm restrictivam: Si enim Particula *vna* coujungatur cum Particulis *Pro vnaquaque die* hunc reddit sensum: Quod vna saltem Missa singulis diebus celebrari ibidem possit, exceptis ibidem expressis diebus *Pascha*, &c. nè fortè aliquis adversarius vellet restingere ad certum numerum Missarum in Hebdomada prout in aliquibus Capellis signatur & determinatur, ut scilicet in hebdomada tot Missæ, vel talibus tantum diebus celebrari valeant; si autem Particula *vna* conjungatur cum Particulis *per quemlibet Sacerdotem*; hunc reddit sensum: Ne quis præsumat impedire quinquilibet Sacerdos sæcularis approbatus ab Ordinario, vel Regularis habens licentiam sui Superioris quolibet die, si plàcuerit, possit in dicto Oratorio unam Missam celebrare: Contra Parochorum aliquorum præsumpram Potestatem, quâ vellent hujusmodi Sacerdotes, conceptis rationibus, nè ibi celebrarent, impedire. Addo *vnam Missam pro quainnque die per quemlibet Sacerdotem* &c. *celebrari*, excludere binationes; ne aliquis Parochus putaret in ista Parochia se posse binare, ut Privilegio Domini temporalis deservire posset. Contingit sanè, ob hujusmodi præsumptiones quæ accidere possunt, particulas diversas satis obscurè in Brevibus multiplicari ad evitandas difficultates.

Particula una explicativa magis est, quàm restrictiva.

Particula addita excludit binationes.

Cur in Brevibus par. particula multiplicentur.

Porrò hæc Resolutio tota stabiliri protest exemplo à simili, desumpto ex contextu Privilegij, ut *vnam* (inquit) *Missam* &c. *in tua ac familia tua præsentia celebrari facere licitè ac liberè valeas*. Inde enim similiter inferri duo possent: Prius, Prætensam Missam *vnam* non posse celebrari, nisi adsit Dominus & ejus familia. Posterius: Neminem, qui non sit de familia Domini, posse Missam illiam audire: Cum videantur termini sic determinati exclusivas illas continere: Hæc tamen falsa esse innuit summus Pontifex in ipso Privilegio, dum ait: *Volumus autem quod familiares servitiis tuis non necessarij, ibidem Missa interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de Præcepto, minimè liberi censeantur*: Ex quibus verbis colligo; familiares servitijs non necessarios, omnesque alios quoscumque posse ibidem Missam audire ex devotione; non satisfacere tamen obligationi, si quam habent audiendi Missam in Ecclesia Parochiali in aliquo die ex Præcepto.

Exemplum à simili.

Verba brevis Apost.

Colligo Secundò. Quemlibet, qui non habet obligationem audiendi Missam in Ecclesiâ Parochiali illius Loci, satisfacere Præcepto audiendi Missam in Dominica vel festo, in dicto Oratorio; ut sunt Hospites externi, Iter agentes &c. Cùm enim extra suam Parochiam existentes possint quovis cumque loco audire Missam ad satisfaciendum obligationi istis diebus, poterunt & in isto Oratorio.

Hospites & c. satisfaciunt obligationi audiendi ibi missam.

Colligo Tertio. Quemlibet Sacerdotem ab Episcopo approbatum Sæcularem; sive Regularem de Licentia suorum Superiorum iter agentem celebrare posse in isto Oratorio. Ratio est: Quia potest quis celebrare in quocumque loco ab Episcopo approbato & designato: atqui hic locus est approbatus & designatus ab Episcopo: ergo quilibet Sacerdos ut prædicitur, poterit ibi celebrare. Non enim differt hujusmodi Oratorium ab Episcopo, Apostelica authoritate approbatum, à Capella extra Ecclesiam ab Episcopo erecta, nisi penes perpetuitatem, & firmitatem altaris, & alias conditiones accidentales.

Quilibet Sacerdos & c. iter agens, potest ibi celebrare.

Quid differat à Capella extra Ecclesiam ab Episcopo erecta.

Colligo quarto. Si quæ sint in Privilegio, de quo agitur, restrictiones vel exclusivæ, his

Exclusiva contenta

in dicto Brevi.

his contineri. Prima neminem nisi ab Ordinario approbatum, vel Regularem absque licentià Superiorum posso celebrare. Qualiter autem Sæculares Sacerdotes ceuseantur approbati ad celebrandum in Diœcesi, servanda est cujuslibet Territorij consuetudo.

Secunda. Neminem prætextu hujus Privilegij Nobili Domino facti, posse binare.

Tertia. neminem virtute hujus Privilegij posse in diebus Paschæ, Pentecostes, &c. in dicto Oratorio celebrare; Dico virtute hujus Privilegij: Qui enim habent Privilegium celebrandi, ubique iu decenti loco, in altari portatili celebrare possunt, etiam in istis diebus, in isto Oratorio.

Quarta. Neminem in dicto Oratorio celebrare posse cum præjudicio aliquo jurium Parochialium.

Quibus diebus Dominus non possit audito missam obligat.

Quinta. Incolas qui habent obligationem audiendi Missam in Parochia N. si non sint de familia Domini, non satisfacere Præcepto audiendo Missam in diebus obligationis in isto Oratorio. Nec Dominum, aot qui sunt de familia, dictæ obligationi satisfacere in diebus, in Privilegio exceptis, & per Episcopum in Approbatione superadditis.

Resp. ad ration. dubitandi.

Ex dictis patet quid respondendum sit ad rationem dubitandi in principio positam: Negarur eoim Particulam (*Vna Missa*) excludere plures, nisi addatur exclusiva tantùm vel alia ei æquipollens; vel nisi ex Textu manifesta exclusio appatear, quæ verè non apparet, cùm quidquid rationabiliter excludi potest, sit per alias Particulas expresè exclusum, ut superius est annotatum. Qualiter etiam frustra Particula *vna Missa*, non sit addita, explicatum etiam fuit.

CASUS IV.

De Iure Patronatus Laicali.

Proponitur Casus.

QUidam Personatus habet Jus Patronatus præsentandi ad tres Parochias, idque ex primæva sua fundatione, & institutione facta ex proprijs bonis ejus, qui Personatum fundavit.

Quæritur.

An illud jus Patronatus sit reputandum Laicale: An verò Ecclesiasticum? Et consequenter: An tres illa Parochia possint exponi Concursus: An potius teneatur Episcopus admittere præsentatum, modò sit idoneus repertus, Iuxta jus Patronatus Laicale?

Resolutiones

Ratio dubitandi. Cap. un. de jure Patronatus.

Ratio dubitandi est: Quia si Patronatus Laicus annectatur Personæ Ecclesiasticæ, ratione Beneficij vel Dignitatis, ut Decanatus, Præposirusæ, &c. transit in jus Ecclesiasticum, ut colligitur *ex c. unico §. vltimis de jure Patronatus in 6.*

Responsio.

Remanere ibi Ius Laicum est probabile.

REsp. Nihilominùs posse probabiliter sustineri esse & manere Jus Patronatus Laicum, in Personatu sic constituto. Ratio est, Quia supponuntur Parochiæ, sicut & Personatus fundati ex bonis Sæcularibus Partoni Laici: fundatio autem, & dotatio Ecclesiæ, ex bonis Sæcularibus, inducit Patronatum Laicalem: In hoc enim differt Ius Patronatus Laicale ab Ecclesiastico, ut tradunt omnes Doctores communiter: Ita ut, si Clericus fundaret Ecclesiam ex proprio Patrimonio, non obstante quod Clericus sit, obtineret Jus Patronatus Laicum, ut omnes fatentur.

Differentia juris Patronatus Laicalis ab Ecclesiastico.

Ad rationem dubitandi resp.

Nec obstat quod in ratione dubitandi sumitur nempè quod Jus Laicale, si in Ecclesiam, vel Personam Ecclesiasticam transferatur, sive alicui Beneficio annectatur, transeat in jus Patronatus Ecclesiasticum.

In hoc enim Casu, non censetur illud Jus competens Personæ, vel Personatui annexum esse translatum, sed potius remanere cum ipso Personatu sub Laicali fundatione, In Limine ipsius fundationis constitutum, sive à Patrono Laico, Personatus à se de proprijs bonis fundato, reservatum & permanenter inhærens.

Aloysius Riccius.

Constans est autem Sententia Canonistarum, ut habet Aloysius Riccius *in praxi juris Patronatus Resol.* 146. *n.* 2. Patronum quî ex proprijs bonis Beneficium vel Dignitatem, aut Præstimonium fundat *cum assensu Episcopi posse quamcumque legem sua fundationi apponere*: unde & potuit fundator Personatus Legem illam apponere & servare, ut pleno Jure Laicali Personæ competeret Præsentatio Juris Patronatus Laici trium dictarum Ecclesiarum.

Fundans cum assensu Episcopi potest quæcumque legem sua fundationi apponere.

Antiqua instrumenta donationum Præsentationes ab immemoriali tempore.

Id verò ita factum esse probabiliter indicat verbum *Donationis*, quod in antiquis Instrumentis continetur, in quibus dicitur: *Quod persona competet Donatio dictarum Parochiarum.* Donatio enim plenum Jus, saltem Præsentationis liberæ & Laicalis indicat.

Secundo. Id sic à Partono reservatum fuisse probari potest, ex præsentationibus ab immemoriali tempore factis, quæ nunquam Concursum admiserunt.

Concil. Trid.

Tertio. Favet Concilium Trident. *Sess.* 25 *de Reform. c.* 9 ubi cum dixisset: *Legitima Patronatuum Iura tollere, piasque fidelium voluntates*

tates in eorum institutione violare, aequum non esse; &c. subdit: *ut igitur debita in omnibus ratio observetur, decernit S. Synodus; ut titulus juris patronatus sit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & aliis jure requisitis ostendatur, sive etiam ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliàsve secundùm juris dispositionem.*

Constat autem de hoc titulo juris patronatus laici: tum *ex instrumentis authenticis*, tum ex continuis & multiplicatis *praesentationibus*: quæ more præsentationis laicæ absque concursu per spatium ducentorum ferè annorum sunt factæ.

Declaratio Cardinalium. Quinimò Congregatio sacra Cardinalium *die 25. Octobris anni 1594. probari jus patronatus ex fundatione vel dotatione, si praesentationes continuatae fuerint non minori saltem, quàm quinquaginta annorum spatio, quae omnes effectum sortita sint*, ut habetur in declarationibus ad dictum cap. Concilii annexis.

Iterùm distinguitur jus patronatus. Ad rationem itaque dubitandi in principio positam: prudenter distinguendum est; inter jus patronatûs in aliquam personam ecclesiasticam translatum, vel alicui beneficio annexum; & inter jus patronatûs in ipso fundationis limine, personatui reservatum: illud enim advenit personatui, vel beneficio jam constituto, & idcircò sequitur naturam juris patronatûs Ecclesiastici: Hoc verò jus patronatûs, quod in ipso limine fundationis constituitur, sequitur voluntatem & beneplacitum patroni & fundatoris, & conditionem annexam habet, quam patronus determinavit; videtur autem reservasse personatui à se fundato jus patronatûs laici, quod sibi competebat. Idque probant ea quæ suprà retulimus, & quæ Concilium Trid. requirit, ad probationem juris patronatûs quæ ex fundatione vel dotatione laicali procedit.

CASUS V.

De fundatione sacellaniæ castralis.

Proponitur casus. QUidam nobilis in Ducatu N. sine prævio consensu Regis, seu consilii, in testamento suo fundavit sacellaniam in sua arce, disponens ut ex villa arci adjacente, sacellanus annuè acciperet pro stipendio 20. modia siliginis: Item pensiones ex duobus millibus florenorum Brabanticorum, quæ capitalis summa ad hunc finem ab hæredibus exponenda ad pensiones.

Quæritur I.

Vtrum Haeredes teneantur testatoris dispositionem taliter factam exequi? an non potiùs excusentur per Decretum Regium statuens, ne bona immobilia veniant ad manus mortuas: Item ne per testamenta alienentur bona immobilia sine consensu ipsius Regis seu Concilij.

Resp. Hæredes teneri. Ratio est: quia prædictum legatum, non est legatum merum & gratuitum, sed fundatio onerosa cedens in bonum familiæ, & commoditatem castri: est enim provisio quædam sacelli castralis, quam potuit de bonis suis fundare testator, & onerare hæredes ut fundarent: Nec hîc est quidpiam quod Decreto Regio contraveniat. Non enim propriè aliqua immobilia ad manus mortuas deveniunt, sed tantùm in hypothecam onerantur, ut stipendium annuum sacellano infallibiliter præstetur: præterquàm quod summa duorum millium florenorum inter mobilia reputetur? & per accidens est quòd in pensionibus ponatur. *Haeredes tenentur satisfacere legato. Nil hic contrarium decreto Regis.*

Quæritur II.

An haeredes de facto obligentur in conscientia ad petendum talem consensum Regis sive Concilij, quo ratificetur dispositio testamentalis si sa ita?

Resp. Teneri ad consensum petendum, si quis requiratur: quia onus illud impositum comprehendit quæ necessaria sunt, ut sacellania fundetur: quemadmodum & Episcopi consensus requirendus est. *Teneri haeredes petere consensum Regis, si quis requiratur.*

Quæritur III.

An casu quo dispositio testatoris isto modo non possit servari, teneantur nihilominus haeredes ad aequivalens: videlicet ad vendendum aliqua bona immobilia, & pretium applicandum ad pensiones pro sufficienti sustentatione sacellani?

Resp. Affirmativè, ex rationibus in prima responsione positis. Quia hæc est voluntas absoluta testatoris. *Tenentur ad aequivalens si hoc fundatio non possit fieri.*

Quæritur IV.

An posito quod ista dispositio non valeat quoad annuum censum siliginis, perpetuò solvendum ex villa praedicta, valeat saltem quoad praedicta duo millia florenorum, ita ut exponere ea debeant ad pensiones pro sacellano, vel si hae pensiones pro sacellano non sufficiant, an teneantur applicare alibi pro Missis legendis, ut hoc modo servetur testatoris voluntas ex parte, dum non servatur in toto.

Resp. Teneri hæredes ad sacellaniam sufficientem fundandam, si bona testatoris sufficiant, nec alia lex substantialis, & clara obstet. *Qui teneantur ad annuum censum. &c.*

CASUS

CASUS VI.

De permissione ministrorum hæreticorum in materia Sylvaducensi.

Proponitur casus.

ORdines Deo & Regi rebelles, in provinciis Belgicis occupata Sylvaducis, in aliquos pagos vicinos Majoriæ intruserunt ministros hæreticos, & exercitia hæretica; Rex autem Catholicus locorum verus Dominus, zelo fidei impedire conatus est, prohibendo dicta exercitia hæretica; adeoque negatâ omni salvaguardiâ, ministros hæreticos proscribendo.

Verùm ordines rebelles, captatâ hâc occasione, omnes Ecclesiasticos habitantes in districtibus Antuerpiensi, Mechliniensi, Limburgensi, Ultramosano, Cuykensi, Berghozomensi; nec non in parte Flandriæ quæ contriburionibus subjacet: ac in ipsâ Majoria Sylvaducensi, similiter eis negatâ Salvaguardiâ, proscripserunt, & consequenter omnia Ecclesiastica & Catholica exercitia prohibuerunt; unde iterùm Rex, idem quoad ministros, & exercitia hæretica conatus est facere in partibus Hollandiæ, Geldriæ, Neomagensibus, Heusdensibus, Cuykensibus, &c. subjectis contributionibus regiis. Interim ditiones Catholicorum quæ multò majores, & maximo numero Ecclesiasticorum administrabantur, omni exercitio religionis carent; cum gravissimo animarum detrimento & infirmorum perturbatione, &c.

Quæritur.

An Rex hoc perturbato rerum statu licitè & sine peccato mortali possit ad tempus, & donec efficaciter his malis providere poterit, tolerare aliquos ministros in supra dicta Majoria Sylvaducensi, ut in eadem & aliis partibus Catholici frui possint exercitio Catholicæ Religionis, & suos Pastores recipere, à quibus nunc per violentiam prohibentur.

Resolutio I.

Tolerandi mali, interdùm etiam hæretici ad Ecclesiæ bonum.
S. August. l.1. de civ. Dei cap. 9

EX mente S. Augustini licet aliquando ad tempus tolerare aliquos malos, etiam hæreticos & hæresim docentes, ad avertenda Ecclesiæ mala, & illius conservationem. Ista docet l.1. de civitate Dei c.9. T.5. *Nam si* (inquit) *propterea quisque objurgandis, & corripiendis malè agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediant in-*

Resolutiones.

firmos alios, & premant, atque avertant à fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis. Hæc ibi. In quibus verbis ponit *tres casus*, in quibus absque peccato, & *ex consilio* (ut ait) *charitatis*, licet malè agentes tolerare.

Tempus opportunũ expectandum ad extirpandum malos.
Matth. 13. 30.
Luc. 13. 8.

Casus primus. *Ut opportunius tempus quæratur.* Cedendum enim aliquando tempori, ut opportunius, & cum effectu & fructu, mali extirpentur. Exemplo patris-familias, qui eradicare volentibus zizania, *mandavit expectandum tempus messis*; & qui *infructuosæ ficulneæ annum indulsit*: & sine dubio *omnia tempus habent*, & sicuti *tempus plantandi est*, sic & *tempus evellendi quod plantatum est*; unde & idem August. l.3. *contra epistolam Parmeniani. c.2. Misericorditer igitur corripiat homo cùm quod potest: quod autem non potest, patienter ferat, & dilectione gemat, atque lugeat, donec aut ille desuper emendet & corrigat, aut usque ad messem differat eradicare zizania, & paleam ventilare.* Et infrà ibidem: *adhibendus modus temporaque servanda, ne pax Ecclesia violetur, in qua maximè tritico parcendum est, ne simul cum zizaniis eradicetur.*

Eccl. 3. 2.
S. August. lib. 3 contra epistolam Parmeniani, c. 2. circa finem.

Qui fiant deteriores.

Casus secundus. *Ne deteriores efficiantur*: effici autem deteriores dicuntur non tantùm in seipsis, sed quia in Ecclesiam crudeliores suos defensores adversus illam excitant; sive ut ait August. suprà, tales habent defensores *per quos possit schisma contingere, nam* (inquit idem) *consilia separationis, & inania sunt, & perniciosa, atque sacrilega, quia & impia & superba sunt, & plùs perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animosos malos.* Hæc S. August.

Tertius casus tolerandi malos, & hæreticos.
Agit ibi etiam August. etiam de hæreticis.

Casus tertius. Ne per extirpationem malorum: *ad bonam vitam & piam erudiendos impediant infirmos alios, & premant atque avertant à fide.*

Et ne quis dicat Augustinum loqui tantùm de malis Catholicis, non autem de hæreticis, sive etiam de hæresim docentibus, legat citatum *l.3. contra epistolam Parmeniani* qui totus scriptus est contra Majorinum, Donatum, Parmenianum, & eorum sectarios qui Ecclesiam exagitabant. Quos Ecclesia tamdiu pertulit intra gremium sacræ Communionis, & si hæretici & sectarii essent, & eorum doctrina mala; donec vel ipsi se separarent, vel potestate Ecclesiasticâ absque majori detrimento fidelium ejici possent. Unde ibidem docet Donatum & alios hæreticos tamdiu toleratos, quamdiu cujusdam Optati potentia protegebantur, cujus Optati iniquitatem tamdiu pertulerunt, quamdiu (inquit) timuerunt. Unde & rationem reddens: cur S Cyprianus, ex eis in Ecclesia pertulerit non tantùm Laicos & Clericos, sed etiam Episcopos,

utique qui prava dogmata seminabant, dicit: *Quia* (inquit) *non poterant ab eis corporaliter separari, ne similiter eradicarent & triticum, sufficiebat eis à talibus corde sejungi vitâ moribusque distingui, propter compensationem custodiendæ pacis & unitatis: propter salutem infirmorum & tamquam lactentium frumentorum: ne membra Corporis Christi per sacrilega schismata laniarent.* In quibus S. August. verbis, tres iterum assignantur rationes cur ad tempus (cum aliter non possumus) mali & Hæretici tolerari possint.

S. Aug. supra Cap. 2. circa medium.

Rationes, ob quas tolerari possint ex S. August.

Prima. *Propter compensationem custodiendæ pacis & unitatis*; videtur enim satis congruo bono, hæc tolerantiâ côpensari per ovium & Ecclesiæ pacem qua durante possunt melius regi, fructuosius doceri, religiosius educari, & efficacius contra venena Hæreticæ pravitatis protegi & defendi.

Secunda. *Propter salutem infirmorum, & tamquam lactentium frumentorum.* Ejectis enim Medicis salus infirmorum periclitatur, & proscriptis Cultoribus, lactentia Domini frumenta, vel suffocari, vel arescere necessum est: Signato verò vocabulo, infirmos & parvulos in Ecclesia vocat *lactentia frumenta*, quæ scilicet à rore Cæli & irrigatione suorum Agricolarum, Pastorum utique Ecclesiæ dependeant velut parvuli à lacte, cùm necdum, juxte Apostolum, *apti sunt solido cibo.*

Lactentia frumenta in Ecclesia juxta S. August. Qui. Hebr. 5. 12.

Tertia. *Ne membra Corporis Christi per sacrilega schismata laniarent.* Quod necessarium est eveniat ubi nullus Doctor, Prædicator, & pastor nullus est, sed quilibet suo capiti & cerebro relinquitur, his enim modis linguis pravorum dilaniata & non rarò Christi Ecclesiâ dum quilibet sensum suum vult aperire, & idiota docere. Quæ omnia etsi videantur tantùm exemplificari, & concludere de malis Catholicis: revera tamen contra Personam Parmeniani, & Hæreticorum ex indirecto & sensu Augustini proferuntur. Unde apertè: *dicant* (ait) *unde natus est Majorinus aut Donatus, ut per eos nasceretur Parmenianus, atque Primianus?* quasi dicat, & istos toleravit Ecclesia quamdiu potuit, donec seipsos separarent; qui postea Cap. 3. irridet illos tamquam seipsos *ventilantes.* Rationes itaque S. August. ni, etsi videantur loqui tantum de malis Catholicis, concluduot tamen, pari & majori ratione de aliquibus Hæreticis tolerandis: quia cum finis exstirpationis Hæreticorū maximè hæresim docentium sit conservatio fidelium, infirmorum salus, & Ecclesiæ pax & concordia; si occasione talis exstirpationis fideles & infirmi magis turbentur, & defectu necessariorum Sacramentorum, ac doctrinæ, & adjutorij sufficientis pereant ac Ecclesia à

S. August. ubi supra cap. 2.

Finis exstirpationis Hæreticorum.

suis Rectoribus deseratur, certum est non tantum inutiliter, sed etiam cum summo detrimento exstirpationem illam attentari. Unde notanter August. supra exponens illud mandatum Domini: *Sinite utraque crescere usque ad messem. Præmisit* (ait) *causam dicens: ne forte cum vultis colligere Zizania, eradicetis simul & triticum: ubi satis ostendit cum metus iste non subest, sed omninò de frumentorum certa stabilitate, certa securitas manet: id est quando ita cujusque crimen notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinæ, in qua tantò est efficacior emendatio pravitatis, quantò diligentior confirmatis charitatis: tunc autem hoc sine labe pacis & unitatis & sine læsione frumentorum fieri potest, cum Congregationis Ecclesiæ multitudo ab eo crimine, quod anathematizatur aliena est.* Hæc August. Expende verba: *cum metus iste non subest, sed omnino de frumentorum certa stabilitate certa securitas manet.* Item: *cum nullos prorsus, vel non tales habet defensores* &c.

Matth. 13. 30. S. August. supra.

Unde & infra exponens quando Præceptum Apostoli, ad 1. Cor. 5. *Auferte malū ex vobis ipsis* &c. observandum sit: *quamobrem* (inquit) *& illud præceptum Apostoli nullo modo negligendum est: cum sine periculo violandæ pacis fieri potest, quia nec ipse aliter fieri voluit, ut à Congregatione bonorum separetur malus.* Hæc iterum S. August.

1 Cor. 5. Vers. 13. S. August. ibidem in fine.

Resolutio II.

Rex Catholicus absq; peccato, potest ad aliquod tempus tolerare aliquos Ministros in Majoria Sylvaducensi ob majus bonum suorum subditorum, sive ad evitandum majus malum juxta sententiam S. Augustini. Et primò quidem ad opportunius tempus inquirendum: cùm enim tot per totam Europam, bellis distrahatur, etiam in favorem fidei & Religionis susceptis, ita ut suffocandæ in istis locis hæresi efficaciter & plenè vacare nequeat: dandum aliquid tempori, & occasioni futuræ quod reliquum est, reservandum est.

Potest Rex ad tempus illos tolerare.

Secundò. Ne insolentiores eorum defensores, & in Ecclesiam deteriores fiant. Genium enim Calvinistarum crudele, improbum, & temerarium est, extrema tentans ut (experimur) quod non facilè malis cedit, nisi summa potentiâ, cui resistere non possit, opprimatur & suffocetur. Facilè enim paucorum ministrorum salutem contemnent, ut in universam pastorum & Ecclesiasticorum multitudinem, ac Ecclesiæ bona sævire, & debacchari possint.

Genium Calvinistarum.

Tertiò,

Tertiò. *Propter salutem infirmorum & lactentium frumentorum, ac compensationem custodiendæ pacis.* Ejectis enim pastoribus necessaria auxilia Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ unctionis tolluntur: *Parvuli petunt panem, & non est qui frangat eis*: demùm *percussis pastoribus dispergi gregem* necesse est.

Thren. 4. 4. Matth. 26 v. 31. 2. Tim. 2. 17. 1. Cor 5. 7.

Dices primò. *Sermo eorum ut cancer serpit: ut modicum fermentum totam* cui injicitur *massam corrumpit.*

Respondeo primò. Cùm ministri sint pauci & omnibus Catholicis noti, tantùm abest, ut Catholici eos audiant; quin potiùs à personis & verbis eorum abhorreant, ideoq; periculum infectionis cesset. Hæc ad oculum vidimus, ubi provincias aliquas Catholicas pervaserunt. Unde suprà S. August. tunc securitatem de certa stabilitate frumentorum asserit esse: *quando cujusq; mali crimen notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet.* Quod maximè verificatur in ministro hæretico inter Catholicos bonos, cujus hæresis nota est, & execrabilis.

S. August. supra.

Respondeo secundò. Nec prudens Medicus cancrum cum infirmi periculo mox exscindit, sed si exscindere absque vitæ periculo non possit, medicamenta adhibet omni solertiâ, ut cancrum aliàs serpentem præoccupet, & sistat.

Similiter præveniendus est fermentator ne fermentum inficiat, & si abigi non potest, protegenda est farina, ne misceatur; ita si ministros hæreticos sine majori damno fidelium exscindere nequis: adhibendi imò multiplicandi Sacerdotes velut Medici, qui omni arte & diligentiâ præpediant, & animos præoccupent, ne eorum sermo serpat, movendo, docendo, refutando, auxiliis Sacramentorum fideles muniendo; quibus etiam modis adeps frumenti servari potest ne hæreseos fermentum recipiat aut illi misceatur. Præterquàm quòd non per solos publicos ministros, sed per quemlibet, è fæce vulgi, sermonem hæretici fermentum injiciant, à quo solùm per pastores diligentes, qui domos circumeant liberari possunt.

Quid agendum ubi ministri hæretici ex terris illis non possunt exscindi.

Dices secundò. Juramentum est Regum Hispaniæ (prout habetur in Concilio Toletano VI.) quod nullo modo permittent in regno suo aliquem degere qui non sit Catholicus; adeo ut si quis ejus *legis ac promissionis temerator existat* (inquiunt Patres) *sit anathema, maranatha, & pabulum ignis æterni.*

Juramentum Regum Hispaniæ de non permittendis hæreticis, &c. Explicatur. Concil. Tolet. 6. Can. 3.

Respondeo primò. Non censeri permittere cùm inquirit tempus opportunum quo eos possit totaliter extirpare: non censeri permittere quod ad majus malum evitandum cogitur ad tempus tolerare. Certe principaliter tenetur fidelium curam gerere, vitam populi bonam procurare, corpus Ecclesiæ conservare Sanguinis Domini redemptione fundatum (ut SS. Pontifices loquuntur) ad hoc autem secundariò refertur extirpatio hæreticorum, quos si non possit extirpare omninò salvâ conservatione populi: multiplicare debet ministros Catholicos qui eorum rabiem retundant.

Ad quid Rex principaliter teneatur.

CASUS VII.

De venditione cujusdam jurisdictionis, & juramento in retractatione ejusdem jure propinquitatis.

Petrus vendidit quandam jurisdictionem Titio: Jacobus intelligens illam esse venditam nimis bono pretio, & probè sciens quòd Titius statim turbaret litibus nepotes suos; excitavit Philippum fratrem Petri, ut jure retractus illam sibi vendicaret, & retineret sibi; aut si illam sibi retinere nollet, & Jacobo venderet, quòd daret illi rhedam cum quatuor equis pro jure suo: ad quod condescendit Philippus, & mandavit institui litem contra Titium. Is dubitans an Philippus eam seriò intentaret pro se, desideravit ut id coram judice affirmaret juramento: quod Philippus fecit: Jacobus id intelligens metuit Philippum fecisse perjurium; quare consulens animæ ipsius, jussit ei significari, & addici quòd si vellet jurisdictionem sibi retinere, id per se licere, nullâ petitâ restitutione expensarum per se factarum, aut expectato præmio pro labore hactenus impenso in prosecutione litis. Respondit Philippus sibi gratam fore dictam prosecutionem, & se omninò velle Jacobo gratificari.

Proponitur Casus.

Quæritur.

Stantibus supradictis, an Jacobus dubitans aliquo modo de sincera intentione Philippi jurantis, qui constanter asseverat dicto Jacobo, se illi velle gratificari; an acceptando ejus favorem, non reddat se participem peccati illius, & an salvâ conscientiâ possit expectare eventum litis, & favoris addicti.

Resolutiones.

Respondeo primò Jacobum; stante timore rationabili, vel scientiâ morali; *quòd Titius adeptâ jurisdictione per emptionem turbaret suos nepotes*, potuisse non tantùm indicare Philippo venditionem jurisdictionis minori pretio factam; sed etiam

Stante illo timore, potuit Jacobus, etiam positivè inducere Philippum

 positivè

ad retractandam venditionem.

positivè illum inducere ad retractationem venditionis sic factæ.

Ratio est: Quia ordine charitatis Jacobus poterat potiùs procurare pacem, vel amovere causam litium, & turbationum à nepotibus, quàm velle aut permittere bonum Titii: imò cæteris paribus, ex charitate (cùm absque injustitia id posset) aliquatenùs tenebatur: Nulla autem injustitia committitur in retractatione bonorum venditorum jure proximitatis, maximè cùm nimis bono pretio sunt vendita. Et hæc ratio stabilitur doctrinâ communi.

Doctrina communis.

Non censetur Iacobus dedisse causam perjurio.

Respondeo secundò. Si Jacobus sincerè reliquit in potestate Philippi, ut jurisdictionem sic per retractationem redemptam sibi retineret; non censetur ullam causam dedisse perjurio, si quod subsecutum est. Ratio est: quia supponitur Philippus jurans suæ libertati relictus, & quod jurabat nimirùm, *pro se retrahere venditam jurisdictionem*; In ipsius erat dispositione & potestate; nec ad aliquam falsitatem juramento involvendam ulla ex parte cogebatur.

Promissio rheda cum 4. equis non obstat.

Nec valet: quod Jacobus ei addixerit: Quòd in casu quo sibi jurisdictionem retinere nollet, illam emeret, & pretio rhedam cum quatuor equis adderet: in hac enim conditionali; *casu quo sibi retinere nollet*: &c. supponitur semper: *in quantùm justè, & jure, redemptam jurisdictionem posset denuò alienare, & vendere.* Nemo enim supponitur velle emere, quod alius vendere non potest; vel quod emptor justè & pacificè possidere nequit. Supponitur etiam quòd vendens nolit se per injustam venditionem alteri obligare.

Dices: Sciebat Jacobus jura non permittere Philippo retractationem bonorum, cum intentione illa iterum divendendi; ergo non poterat ei proponere jurisdictionis venditæ, & retractæ emptionem, & suâ propositione exponebat Philippum periculo perjurii.

An Iacobus non exposuerit Philippum periculo perjurii.

Respondeo negando consequentiam. Supponitur enim in casu proposito: Jacobum reliquisse Philippum in suo integro, ut jurisdictionem retractatam sibi retineret. Hoc enim sufficiebat ad intentionem, quam dicitur habuisse, ad liberandos nepotes ab occasionibus, & vexationibus litium. Quòd autem etiam addidit redemptionis promptitudinem. (Hæc ut dixi suprà) intelligenda est in casu liciti: qui & possibilis est; neque enim qui rem pro se verè & sincerè retraxit jure propinquitatis: tenetur illam perpetuò sibi retinere: sufficit enim quòd tempore quo juravit, verè, & sincerè illam sibi retinere intenderit.

Stante perjurio non potest eam Philippus Iacobo vendere, nisi &c.

Respondeo itaque Tertio. Supposito quod Philippus perjurium commiserit in Iuramento legitimo & Iuridico, non potest retractatam Iurisdictionem Iacobo vendere nisi legitimè ab obligatione Juramenti liberatus sit, vel in casibus à Iure & justitia permissis. Quantum tamen spectat ad Personam Jacobi, satisfecit Conscientiæ suæ: Quandò Philippo suum Perjurium, aut Perjurii periculum indicavit, & ut suam Iurisdictionem retractatam sibi retineret, monuit. Ratio est: Quia non tenetur, nec potest plus agere ex parte sua. Et aliàs (ut dictum est) causam veram Perjurio non censetur dedisse: nec aliud modò in ejus potestate est post factum. Quod si in lite Philippus permaneat, eamque prosequatur, id sua libertate facere, non cooperatione Jacobi censetur.

Iacobus Conscientiæ suæ satisfecit.

Quando possit Iacobus eam emere.

Respondeo tandem Quarto. Jacobum non posse dictam Jurisdictionem à Philippo emere, nisi Philippus vel à Perjurio absolutus, vel Iure Purgatus sit, vel Casus licitus supervenerit. Responsio ex supradictis clara est.

CASUS VIII.

Super Validitate cujusdam Testamenti.

Proponitur Casus.

Joanna Francisca Cælebs, & absq; prole defuncta, habens tamen Fratrem superstitem, & ex Sororibus Nepotes: Testamentum condidit, de cujus valore, non parvæ difficultates sunt ortæ.

Non fuit instituta Hæres.

Primò. Quia nullum Hæredem instituit: etsi enim in Testamento supponat omnes esse Hæredes, qui aliàs ab intestato succedissent; nulli tamen tanquàm Hæredi, aliquid ex vi testamenti advenit, sed omnia per modum legati cuilibet donata sunt.

Injustitia in Testamento.

Secundò. Quia cùm testamentum supponatur esse *ultima voluntas justa* duæ injustitiæ apertæ continentur in testamento, de quo est quæstio: nimirùm primò. Quòd prohibeat suo fratri ex suis bonis solvi reditum quinquaginta florenorum, quæ ipsa illi publico instrumento se debere agnovit, annuis Canonibus ad triginta duos annos non persolutis. Secundò. Quòd reditum quingentorum florenorum, qui aliàs ex substitutione fratri soli debebatur in collaterales distribuat.

Fuit Cancellatum in pluribus locis.

Tertiò. Quòd in pluribus locis testamentum sit graviter cancellatum & deletum absque aliquo signo, vel testimonio alicujus, ut sciatur quis deleverit.

Quæri-

Quæritur.

1. *An in conscientia illud testamentum debeat reputari validum?*

2. *An qui illud habet, teneatur exhibere?*

3. *Quid in casu securè in conscientia hæredes debeant agere?*

Responsio ad 1. Quæst.

Testamentum nullũ est etiam in foro conscientiæ.

AD primam Quæstionem respondeo. Testamentum censeri invalidum, & nullum, etiam in foro conscientiæ. Ratio est: quia desunt illi solemnitates ad essentiam testamenti requisitæ, tamquam formæ ejus substantiales; & quidem ex supposito tres continet defectus invalidantes. Primò. Est defectus institutionis hæredis (*quæ caput testamenti* dicitur) ita ut sine ipsa testamentum dici non possit. Vide Julium Clarum. *L. 3. sententiarum §. Testamentum. quæst. 35.* Et alios passim Et quamvis Thomas Sanchez. *Tom. 2: consil. lib. 4. c. 1. dub. 2. n. 10.* asserat *jure novari Regio testamentum valere absque institutione hæredis*: Probandum illi fuisset illud jus Regium contra jus commune & partitariorum fuisse ubique receptum, alias juri communi standum est.

Julius Clarus. Thomas Sanchez.

Nullitas ob injustitiã. Testamentum quid?

Secundò. Defectus, est manifesta injustitia, quæ allegatur in secunda difficultate præsupposita: Definit enim testamentum Jurisconsultus *in leg. 1. ff. de Testamento. Voluntatis nostræ justam sententiam.* Ubi ergo constat testatorem injustitiam committere in testamento, testamentum ipsum jure nullum existimandum est. Et in casu proposito, non potuit legatarium privare jure proprio quod habebat ad reditus sibi debitos, quia illi in potestate testatoris non erant.

Nullitas ob cancellationem.

Tertiò Defectus manifestus est in cancellatione facta per totam Scripturam: cùm enim nullum appareat signum, neque per Notarios, neque per testes, cur testamentum illud fuerit cancellatum: manifestum errorem aut fraudem convincit. Maximè cùm testamentum factum fuerit in scriptis, & à Notariis subscriptum absque illius lectura tamquam clausum. Estque hæc communis opinio Doctorum in textu *in l. nostram C. de Testamen.* Vide Julium Clarum supra *quæst. 93. n. 1.* Dixi (*etiam in foro conscientia*) cùm enim leges testamentorum sint fundamentales, pertineantque ad rationem justæ, vel injustæ possessionis rerum, quæ vel in hæreditatem, vel per modum legati relinquuntur: sicut in conscientia obligant ut serventur, sic transgressio illarum, etiam in foro conscientiæ; rem nullam facit. Vide Thomam Sanchez suprà *dub. 14. n. 4.* Qui dicit esse sententiam communem omnium Doctorum Salmanticensium, præter sexdecim Auctores quos citat.

In foro conscientiã unde invalidum?

Thomas Sanchez.

Responsio ad secundam.

Non tenetur in foro conscientia exhibere testamentum.

AD secundam respondeo. In conscientia eum non teneri exhibere testamentum qui illud habet. Primò, quia manifestè nullum est. Secundò. Quia ejus exhibitio inutilis esset, nec posset generare nisi lites, & quæstiones.

Responsio ad tertiam.

Quid se gerere debeant hæredes.

AD tertiam respondeo. Hæredes se debere gerere, velut si mortua esset ab intestata, & inter se secundùm leges patriæ, vel regionis ab intestato succedere. Ratio est: quia cùm testamentum nullum fuerit, habetur pro non facto, &c.

Respondeo secundò. Obligari tamen proportionaliter ad pia legata, & ad id quod justum, & æquum est.

ADMO-

ADMONITIO GENERALIS LECTORIBUS *PRO INFORMATIONE*, AUCTORI PRO MURO, ET ANTEMURALI.



N Tribunali nostro, amice Lector, semper protestatus sum, me solius veritatis amore, in omnibus meis elucubrationibus ad primitivæ doctrinæ fundamenta respexisse, quæ sunt leges divinæ tam naturales, quàm positivæ in Scripturis sacris expressæ, decreta pontificia, & Conciliorum, Patrum sanctorum dicta, demùm quæ humanæ Ecclesiæ legibus, nec non politiæ Catholicæ sancita, prout ab auctoribus digeruntur: ita tamen, ut ab opinantium varietate abstinetem, unicuique suam relinquendo qualitatem, mihi reservando meam intra terminos sanæ doctrinæ libertatem. Hanc iterùm protestationem hic ad calcem mearum paucarum resolutionum repetendam duxi, eâ potissimùm ratione; quòd cùm hoc genus evulgandi resolutiones practicas, solum conscientiæ forum per se respiciat, ad illas dirigendas, conformandas, vel quietandas, absque strepitu judiciali; sufficiat ex natura rei ut legibus divinis, humanisque, quatenùs conscientiam respiciunt, sint conformes, & si fortè in externo foro difficultatem patiantur. Illis ergo sic utere; non ad aliquam carnis libertatem, non ad lites & disceptationes externas, non ad animorum contentiones, sed ubi animus in varia dissipatus est, ad illius quietem, ubi aliud remedium magis opportunum tibi non occurrit. Nolo ulli per hæc mea sensa derogatum, auctoritatem scribentis non suspicias, sed fundamenta & rationes, eorumque quæ allegantur fidelitatem attende. Et quamvis plurima sint, quæ ad forum contentiosum fortè sunt deducta, vel in futurum deducentur, judicibus sua stet æquitatis trutina, & si placuerit tantum ex his resolutionibus accipiant, quantum ad conscientiæ quietem, & directionem videbitur expedire: si ampliùs à me requirant, monitu
1.Petr. 3. Apostolico S. Petri 1. epist. c. 3. *Paratus sum semper ad satisfactionem omni poscenti rationem reddere.* Unde & pauculas adnotationes accipiat Lector, quas incipio reddere,
Isaiæ. 30. vers. 21. ad *verba quæ aures meæ audierunt post tergam moneatu*.

Adnotatio 1.

Ad casum 3. de Sacramento Pœnitentia pag 19. col. 1. usque ad pag. 21.

NOnnulli timoratæ conscientiæ putaverunt silentio magis premendum hunc casum, & ejus resolutionem, ob pericula infirmorum, qui vel doctrinam pro suo genio interpretabuntur, vel illâ forsitan abutentur ad libertatem carnis.

Responsio.

R*Espondeo primò.* Me inductum, ut illam resolutionem publici juris facerem. Primò. In gratiam Confessariorum inexpertorum, quos experientia longa me docuit, defectu informationis debitæ in hac materia, plurimas animas in barathrum desperationis, aut in inextricabiles angustias præcipitasse. *Secundò.* In gratiam afflictorum, sive ad firmandas, & formandas eorum conscientias, sive ut ab extremis declinarent, maximè ob sententias Joannis Sanches, Villalobos, & aliorum qui videbantur nimis habenas laxasse.

Resp. secundò. Me in hac doctrina providè adhæsisse doctissimo, piissimo, expertissimoque Domino *Cancellario Parisiensi Ioanni Gersoni in tract. express. de pollutione diurna*, quem habet secunda part. suorum Operum, idque quia illa maximæ consultationis fuit, ipso his verbis sic affirmante & proloquente: *Nunc autem* (inquit) *de pollutionibus quæ videntur accidere vigilando, quæsita sunt à me aliqua, quæ solent timoratas conscientias plurimùm turbare, sicut frequenter ex diversis personis utriusque sexus tam in confessione, quàm extra potui perpendere. Propterea consului nedum Doctores in Scriptis eorum super hac re: sed etiam colloquium habui cum exercitatis, & discretis in materia confessionis: imò & à Medicis hujusmodi multiplicis, & variæ pollutionis caussam inquæsivi.* Hæc Gerson. Putavi ergo quòd cum iisdem motivis ad publicandam meam resolutionem ducerer, me non posse nisi prodesse, si doctrinam illam tanti Doctoris sequerer, quam tantâ maturitate, tanto consilio, & tot consultationibus scripsisset, & quam sanctis Doctoribus Thomæ & Bonaventuræ conformem vidi.

Resp.

Respondeo Tertiò; Nec moveri debui, ne aliqui infirmiores abuti possent, quia nullam eis in mea Resolutione causam dedi: quippe quæ de dolorificis humoribus, qui stranguriam, mordacitates, & sensibiles dolores generant, agit principaliter; ex accidenti autem de fluxu seminis, qui à patiente incautè excitari poterat, quem de periculo informare volui, & debui. Quapropter oportuit licita ab illicitis secernere, periculosa insinuare, à terminis etiam suspectis abstinere: quod & quantum potui, feci; ut omnibus constet, in duabus sequentibus Propositionibus mea doctrina continetur.

Prima Propositio.

NUllus fluxus humoris dolorifici, sive caussantis dolores, prænalitates, strangurias, mordacitates, etsi cum nonnullis titillationibus & pruritibus fluat, censetur verè seminalis, aut libidinosus, sive venereus ex se, adeoque fricationes vel alij modi ad illos sedandos non censentur illiciti, nisi alius motus sensualis delectationis, illas consequatur, comitetur, vel consequi & comitari soleat. Rationem prioris partis sufficienter dedi *Resolutione Secunda*, & *Prænotatione Tertia*. Quia hi humores propriè non videntur verè seminales, sed vel menstrui, vel medij vel corrupti, qui non pertinent ad pullutionem. Nec ulla hic apparet ratio libidinis, vel concupiscentiæ carnalis, quæ ad illicitas delectationes moveat vel movere possit, ratione cujus emissio seminis veri, (cui talis concupiscentia vel delectatio insidet) ad peccatum inducat, & alias doloribus & pœnalitatibus suis, si aliud nonobstet, natura modis licitis succurrere potest. Abstraho autem à Scholastica illa disputatione, An emissio seminis humani, per se & ex se ante omnem prohibitionem quæ sit absque omni sensu delectationis, sit peccaminosa, cujus negativam partem sequitur schola Doctoris subtilis. Dixi *nisi alius motus delectationis sensualis illas fricationes sequatur, vel comitetur &c.* Ille enim motus vitandus est qui sensualitatem ad peccatum quovis modo movet, vel movere potest.

Secunda Propositio.

NUllatenus absque peccato licet concurrere ad emissionem seminis veri per aliquem motum, fricationem, vel alium modum, directè vel indirectè, positive vel permissivè, (si impediri potest) propinquè vel remotè. Hanc propositionem latè explicavi *Resolutione Quinta per totam*. Et quidem loquens de fricatione licita, quam *Resolutiones*, permisi patienti pruritum expressis terminis addidi (*Adhibito moderamine inculpatæ tutelæ*) utique propter motus pravos sensualitatis vel concomitantes, vel consequentes, quos vitandos omnibus modis duxi.

Ex his cuilibet quantumvis pudico & timorato satisfactum credo; nec aliud in tota mea Resolutione continetur. Sicut autem sinceram & seriam consultationem Cancellarii parisiensis sum secutus, sic illius verbis concludo, quibus Lectorem monet: *Praparet se (ait) Lector, audire castè, quod pro Castitatis cognitione, necessitas cogit aperire.*

Adnotatio 2.

Ad Casum Secundum de Sacramento Matrimonij pag. 29. col. 1. & seqq.

QUia in hoc Casu resolvi, Contractum puberis cum impubere per verba de præsenti ex factis ac sufficientibus signis post pubertatis annos inter eos manifestatis transire in Matrimonium, eo maxime quod dictus Contractus Matrimonialis à principio factus esset juxta leges Tridentini coram Parocho & Testibus: Monuit me quidam Legum Concilij Tridentini zelosus, Parochum & testes non præfuisse Contractui in ratione Matrimonij validi, sed tantum Contractui vim Sponsaliorum habenti; adeoque Contractum sive consensum videri debere post annos pubertatis renovari coram Parocho & testibus. Verum advertere debuisset, eundem semper supponi remanere Contractum etiam post pubertatis annos qui factus est coram Parocho & testibus: quid tantum effectum sortitur & complementum, post annos pubertatis, Impubere continuationem suæ voluntatis & consensus prius dati, signis sufficientibus declarante, cum Puber per se à suo resilire non possit. Quia vero per transennam id ipsum posui, cum ad Casum non pertineret: ad plenitudinem doctrinæ Casum alterum in forma pono & resolvo.

CASUS.

Titia Pubes cum Caio impubere contraxit consensu matrimoniali per verba de præsenti coram parocho & testibus.

Quæritur,

An superveniente pubertate Caii, & continuato vel renovato sufficientibus signis vel factis utrinque consensu, absque nova parochi & testium præsentia dictus contractus matrimonialis post Concilium Tridentinum in verum matrimonium convalescat?

 Negat

Negat *Thomas Sanches l. 3. de Matrimonio Disp. 41. n. 9.* Nec aliud, præter auctoritatem aliquorum auctorum, fundamentum citat, nisi quod Contractus primus habuerit tantum rationem *Sponsaliorum*: Et quia Parochus & testes prius adhibiti non possunt testificari de Contractu ut præsenti, sed tantum præterito: Affirmant autem alij inter quos *Guitierrez* & *Covarruvias* quos *Thomas Sanches citat ibidem n. 8*: Quorum fundamenta sunt. Primum. Quia Consensus verus in Matrimonium per verba de præsenti semel præstitus est coram Parocho &c. Secundum. Quia Concilium Tridentinum nihil disposuit circa hunc Casum, sed reliquit Iuri antiquo, & solos Contractus Matrimoniales annullavit, qui absque præsentia Parochi & Testium facti essent.

Prænotanda.

ANte resolutionem hujus Casus prænotandum est. Primò. Matrimonia ab Impuberibus post usum rationis, sive post septennium contracta per verba de præsenti, antiquo Iure ante Clementem Tertium habuisse veram rationem Matrimonij, ut latè demonstrat *Basilius Pontius l. 2. de consensu absoluto. c. 13. n. 2.* Constat autem ex verbis *Alexandri 3. cap. Accessit, de desponsatione Impuberum*: Ubi annullat Matrimonium puellæ ante septennium: *Quia* (inquit) *desponsationes & Matrimonia ante septem annos fieri non possunt, si consensus postea non accedit*: Ergo, post septem annos Desponsationes & Matrimonia facta, vel consensu post septē annos accedenter reputabantur tūc *desponsationes & Matrimonia.* & in *cap. A nobis*, ibidem, dicitur. Aliquos intra annos nubiles, *Matrimonij nomine conjungi*, & post ætatē legitimam *Matrimonium confirmari consuevisse.* Et *cap. Continebatur*, etiam ponitur Casus, de puella ante nubiles annos *in uxorem* tradita. Et eodem Titulo habetur. *cap. de illis qui desponsantur in minori ætate.* Et *cap. litteras tuas.* Agitur, de quodam pèrfectæ ætatis qui desponsaverat puellam in cunabulis, quæ omnia indicant Contractus illos nomine Matrimonij & desponsationis per verba de præsenti tum fuisse factos, etsi non subsisterent nisi consensu renovato in ætate puberi. Item Nubiles annos in istis Capitibus reputatos fuisse, qui à septennio usque ad ætatem perfectam pubertatis effluunt.

Prænotandum. Secundò. Postea à Clemente Tertiò & deinceps, Decreto Ecclesiæ ob causas, illa quæ prius Matrimonia & desponsationes habebantur ante pubertatis annos, redacta fuisse ad rationem *sponsaliorum*, etiamsi per verba de præsenti contracta essent: Et habetur textus expressus Bonifacij VIII in sexto *cap. unico, de desponsatione impuberum*, ubi declarat: *Quod si pubes & impubes, vel duo impuberes non proximi pubertati &c per verba contraxerint de præsenti, licet verba consensum exprimentia de præsenti haberent, & Matrimonium contrahere intenderent contrahentes*; Tantum, *interpretatione Iuris* haberi pro *sponsalibus*.

Prænotandum Tertiò etsi *per fictionem Iuris*, sive ut loquitur Pontifex, *Iuris interpretatione* illa *Matrimonia* Impuberum, sive Puberis cum impubere reputarentur tantum *sponsalia*: Multum tamen eadem *Iuris interpretatione* diversæ conditionis sunt à *sponsalibus de futuro* contractis. Et quidem Primò, quod Contractus ille etsi *Iuris interpretatione* non esset Matrimonium ratum: Contractus tamen per verba de præsenti, tam sono verborum, quam intentione contrahentium esset verè Contractus Matrimonialis, sive obligationem quandam ad Matrimonium induceret, nisi statim ad annos pubertatis impubes perveniens consensum revocaret. Unde etsi ex parte impuberis ex dispositione juris esset tantùm obligatio quasi conditionata, ex parte tamen *puberis* in Matrimonio puberis cum impubere erat obligatio absoluta, quia pubes resilire non poterat, si impubes pubes factus suum consensum non retractabat: Et est expressus textus *Alexandri 3. cap. de illis.* Secundò. Contractus ille inter impuberes per verba de præsenti, differt à communibus *sponsalibus de futuro*: quòd contractus ille *advenientibus pubertatis annis, si per copulam carnalem vel aliquem modum alium contrahentes eosdem cum ejusdem perseverantia voluntatis ad pubertatis tempora pervenisse constitisset evidenter, eo ipso transire in matrimonium de præsenti, sive in matrimonium convalescere.* Est expressus textus Bonifacii VIII. *cap. unico* de desponsatione impuberum in sexto. Qui sint autem illi alii modi præter copulam subsecutam, ex quibus contractus de præsenti impuberum post pubertatem in Matrimonium transit, etsi hic textus non exprimat: Alii tamen satis indicant per modos evidentes & externos, quibus vel consensum continuare, vel renuvare contrahentes consueverunt: ut sunt, nixus in copulam, cohabitatio velut maritalis, amplexus maritalis, &c.

Ex quibus constat Pontifices, sive jus antiquum, nihil immutasse circa contractum impuberum per verba de præsenti, in quantum contractus matrimonialis est, id est, in quantum ad matrimonium suo tempore complendum ordinatur: sed tantùm in ratione matrimonii actualis, in qua antiquitùs habebatur, ut in *prænotato primo* dictum est: voluitque illi contractu *sponsalio-*

salium nomen indere, non derogando in aliquo contractui: sed quia more sponsaliorum à futuro eventu dependebat, finimirùm impuberes contrahentes, dum ad annos pubertatis pervenirent, consensum continuarent, vel signis manifestis renovarent: in quo dumtaxat cum *sponsalibus* convenit.

Prænotandum quartò. Concilium Tridentinum nihil in materia contractus impuberum juris antiqui immutasse, sed contractus illos eandem legem cum aliis contractibus matrimonialibus subiisse, ut nimirùm, deberent fieri coram parocho, & testibus, sicut & alii post Concilium, sub pœna nullitatis, ad evitationem Clandestinorum: Hæc constant ex ipso Concilio, quod simplices contractus omnes aliter factos irritavit, & annullavit, nec de contractibus impuberum mentionem fecit.

Resolutio.

Superveniente pubertate Caii, cum quo impubere Titia pubes contractum matrimonialem per verba de præsenti coram parocho & testibus juxta legem Concilii Tridentini iniit: Contractus matrimonialis ille, continuato vel renovato sufficientibus signis post pubertatem consensu, absque nova parochi & testium præsentia, in matrimonium ipso jure etiam post Tridentinum convalescit. Ita concluditur ex prænotatis, quibus consequenter assentitur Basilius Pontius suprà.

Ratio fundamentalis est. Quia Conciliū Trident. nihil innovavit circa jus antiquum, & contractus matrimoniales inter impuberes, vel puberis cum impubere, per verba de præsenti legitimè initos; nisi quod jure reliquorum, quæ post Tridentinum inirentur, ad vitandam clandestinitatem, debeant fieri coram parocho & testibus: atqui hæc lex Tridentini supponit tempore contractûs matrimonialis formalis omninò servata, ergo servatis quæ jure antiquo circa ratificationem consensus post pubertatem requirebantur, matrimonium, (ut antiquo jure dispositum erat) eo ipso convalescet & confirmabitur.

Nec refert, quòd contractus ille, de quo quæstio, fuerit *interpretatione juris* ad rationem *sponsaliorum* reductus: nam ut ad finem prænotati tertii supradictum est: per hanc *juris interpretationem*, nihil derogatum est contractui per verba de præsenti inter impuberes intro in ratione contractûs, sed tantùm effectus contractus suspensus est in annos pubertatis: & in favorem impuberum permissum est, ut à contractu aliàs valido resilire possent: si tamen pubes alteruter ad contractum illum concurrisset, judicatus est ita contractui adhærere, ut ex sua parte non liceret ei resilire, nisi impubes primus ex privilegio sibi concesso resiliret: Quod signum manifestum est contractum validum fuisse, cùm puberem obligaret, & ampliùs convincitur *interpretationem juris* nihil in præcisa ratione contractus per reductionem ad *sponsalia* immutasse. Quia & jus ipsum voluit dictum contractum suppositâ evidenti consensus per verba de præsenti in illo præstiti continuatione, vel renovatione per copulam, vel aliquem alium modum in matrimonium cōfirmari, & convalescere: quod est contra rationem *sponsaliorum* quæ sunt merè de futuro, quæ nullatenùs nisi per verum contractum formalē & absolutum de præsenti, etiam antiquo jure in matrimonium transeunt, cui adjuncta est præsentia parochi, *&c.* per Concilium Tridentinum.

Fictitium etiam est quod allegat Thom. Sanches suprà: Parochum & testes adhibitos ad contractum puberis cum impubere, non esse testes de præsenti (quod videtur requiri ad legem Concilii Trid.) sunt enim verissimi testes de contractu & consensu vero præsenti, quod tantùm requirit in terminis Concilium Trident *cap. 1. de reformatione.* & sufficit ut vitetur ratio clandestini: testes enim sunt quòd Titia pubes cum Cajo impubere jam reverà contrahant & cōsentiant in Matrimonium tempore à legibus constituto complendum, & confirmandum: unde & testimonium illorum juridicè impedit ne Titia pubes resilire possit, & cum alio, quamdiu Cajus non revocat, matrimonium inire.

Sed & convinco Thomam Sanches & alios contrà sentientes ex ipsorum doctrina quæ est communis: Titius & Berta contraxerunt matrimonium coram parocho & testibus per verba de præsenti, contractu ex se irrito & nullo, ob defectum veri consensûs alterutrius, qui supponitur fictè & non verè consensisse: nihilominus si posteà uterque renovet consensum absque alia præsentia parochi & testium, validatur contractum ab eis matrimonium, quod antea à parte rei nullum fuit. Ex quo sic argumentor: Parochus & testes matrimonii per alterutrius fictum consensum initi, non sunt testes contractûs de præsenti, quia cōtractus ex se nullus est, & non subsistit, ac consequenter matrimonium nullum, ergo non sunt testes contractûs de præsenti, alias testes rei falsæ essent: & nihilominus reparato vero consensu matrimonium multis fortè post annis convalescit absque parochi & testium præsentia nova, idque ratione externæ ceremoniæ adhibitæ: ergo multò magis in casu matrimonii impuberum: in quo testes, sunt testes contractûs veri, in præsenti existentis, & tempore à legibus constituto convalescentis in matrimo-

trimonium, quod omninò sufficit, ut matrimonium jure suis circumstantiis vestitum, non sit clandestinum, absque alia testium repetitione: In casu vero allegato, nec parochus & testes fuerunt verè testes alicujus rei existentis, sed potius falsi saltem materialiter. a. Inutile etiam est & impertinens, quòd recurrunt ad rationem *impedimenti occulti*: Hoc ipso enim quo fictus consensus impedimentum fuit contractum annullans, contractus non subsistit, sed parochus & testes fuerunt testes non contractûs aut matrimonii, sed nudæ ceremoniæ vanæ & aereæ, quæ nec tollit rationem clandestini, sed sacrilegè ex parte alterutrius consensum fingentis adhibetur. Multò igitur vaniùs, & absque ullu fuco, vel tergivarsatione, parochus & testes adhibiti ad contractus matrimoniales de præsenti pubetis eum impubere sortiuntur finem & effectum legis Tridentini: quia sunt veri testes contractûs matrimonialis ab Ecclesia in ordine ad matrimonium suo tempore complendum approbati, & de præsenti in ratione contractûs juxta circumstantias à jure positas puberem satis obligantis, in cujus virtute postea evidenter perseverante aut renovato consensu impuberis cùm ad pubertatem pervenerit, matrimonium confirmatur, & convalescit: Et in quibus omnibus parochi & testium in formali contractu adhibita ex vi Tridentini præsentia ad evitationem clandestini, virtute remanet. Et hanc sententiam sub his principiis æstimo non tantùm probabilem, sed in praxi certa, & cui suffragatur doctrina communis, quæ docet, multa matrimonia coram parochis & testibus contracta, pro tempore quo contrahuntur, ob aliquod impedimentum aut temporalem inhabilitatem nulla, postea parochi & testium non repetita præsentia, sub certis lignis & actibus convalescere, de quibus Auctoras passim.

Adnotatio 3.

Ad casum decimum de Regularibus pag. 60. col. 2. & seqq.

Visum est & hic nonnullis, ne minùs tribuisse Reverendissimis Episcopis, nimis autem Regularibus: In casibus processiunum, iterati ex animis Confessariorum, suspensionis supervenientis Regularis à confessionibus audiendis, vel prædicationibus ob causas: Et quidèm quod asserverim. Primò Episcopum non posse revocare processiones de facultate suorum prædecessorum à Regularibus instituras, sine *justa, judicata*, & *juridica* causa. Secundò. Quod passim & communiter pro beneplacito Episcopus non possit revocare Regulares legitimè priùs admissos ad examen. Tertiò. Quòd si ob causas deberet Regularis exemptus à confessionibus suspendi, id Episcopos debere facera monitis Superioribus, & per illos. Quartò. Quod in casu 11. pag. 67. col. 2 asseruerim ordinarias stationes Regularium non esse precarias. Quia verò hæc contingunt omnes similes materias quæ in dies controvertuntur, & lites generant, pro veritatis clara cognitione in omnibus similibus pono. Primò *principia generalia* infallibilia. Secundò *Responsiones* ad singula proposita.

Principium I.

Certum est & infallibile, regulares, quà regulares, ex vi sui status nullam habere jurisdictionem ordinariam in populum, quoad administrationes Sacramentorum, & spirituale regimen animarum: sed si quid eis competat, id habere *desuper*, hoc est, à supremo Ecclesiæ Principe, vel Hierarchis, per legitimas delegationes. Ratio clara est ex terminis: Regulares enim ex vi status ad hierarchicum regimen Ecclesiæ per se non pertinent, nisi assumantur.

Principium II.

Regulares, singulariter Ordinum mendicantium, cum assumpti sint à supremo Hierarcha Ecclesiæ, & ab ipsa Ecclesia, in auxiliares copias pro salute populi universi, contra principem tenebrarum & adversarias potestates: Supremi Hierarchæ illis communicarunt delegatas facultates, necessarias ad opus quod assumpti sunt, easque universales, quas alii *privilegia* vocant; sunt autem à parte rei *provisiones* & media necessaria ac *jura spiritualia* non sibi, nec ad utilitatem suam, sed ad utilitatem & necessitatem populorum ad quos missi sunt, & sine quibus vix opus ad quod assumpti sunt perficere possint. Ratio horum fuit; quia sic judicarunt Summi Pontifices, judicavit & Ecclesia, id pro communi animarum bono expedire, & consequenter illis contradicere, est *ponere in cælum os suum*.

Principium III.

Ecclesia ut castrorum acies ordinatissima, ne confusiones orirentur, sed congruis subordinationibus agmina supremo Regi deservirent: *Episcopis* quidem tamquam ex ordine Ecclesiæ *primis Hierarchis*, commisit in copias auxiliares vigilantiam ne midonei, aut incapaces, sive inhabiles, in Sacramentorum administrationem, prædicationem, & alia militiæ spiritualis ministeria subintrarent, ut constat, de eorum præsentatione, & examine ad prædicatio-

nes

nes & confessiones, de judicio idoneitatis, &c. quibus etiam coercitivæ potestatis pars adjuncta est, in Regulares extra claustra peccantes: talibus tamen circumstantiis hanc vigilantiam & potestatem in Regulares exemptos ita vestivit, ut non Episcoporum beneplacito relinqueretur, sed intra certos terminos justitiæ, ordinatæ charitatis, Christianæ condecentiæ, ac concordiæ contineretur ne excederent. Unde *S. Sedes* noluit ut *Regulares exempti* assumerentur sive ad examen, sive ad probationem, nisi à Superioribus præsentati essent tamquam vita, moribus, & sufficienti doctrinâ instructi: noluit etiam peccantibus, ab Episcopis tamquam Sedis Apostolicæ delegatis, aliquam pœnam infligi, nisi per Superiores, quos voluit pœnarum executores, exceptis casibus exemptis. (Ita constat ex Tridentino sess. 25. de Reg. c. 14.) & ratio est, quia Christus (ad Ephes. 5.) *Exhibuit sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam, neque rugam, neque hujusmodi. Gloriosam* quidem in varietate, & multitudine agminum suorum omnibus facta *terribilis*, sicut *castrorum acies ordinata*; *Non habentem maculam* injustitiæ vel iniquitatis, nec *rugam* humanæ passionis, nec *hujusmodi*, quæ contra charitatem, vel decentiam militant: sed in se & suo regimine *immaculatam & sanctam*.

Ephes. 5.

Principium IV.

OMnibus itaque sub militia Ecclesiæ militantibus indicta est *obedientia fidelis*, *& sancta* ad supremam *Sedem Apostolicam & Ecclesiam Romanam*; *Hierarchis & Episcopis* quidem primis totius militiæ Christianæ Ducibus; ut in sua potestate impositos limites observent ad omnes: Regularibus autem exemptis, ut sibi commissa *jura spiritualia* sive *provisiones* pro salute & utilitate populi tamquam *sacra deposita* fideliter inconcussa fervent & eis intra limites & terminos præscriptos utantur: & juxta Apost. 1. ad Cor. 15. *Omnia honeste & secundùm ordinem fiant.*

1. Cor. 15.

Ex his respondendum est clarè ad proposita in adnotatione.

Responsiones.

AD primum itaque respondeo: *Processiones* mendicantibus ab Episcopo prædecessore concessas, supposito quòd per plures annos in consuetudinem, & instantam velut solemnitatem, in populo abierint: non posse successorem absque *justa, judicata*, & *juridica*, ut dixi, *causa* revocare. Terminos istos tres posui; Non quia cum strepitu judiciali debeant processiones revocari: sed quia cùm non tantùm Regulares (apud quos institutæ de licentia Episcopi supponuntur) contingant, sed etiam populum, respectu cujus vitandus est tumultus, & scandala pusillorum: Docere volui, debere esse causam *justam* propter conscientiam Episcopi, *judicatam* deliberatione prudentis consilii, ad sedandum populum, & vitandum scandalum infirmorum: *juridicam* etiam, ut si ad forum contentiosum deveniatur, auctoritas Episcopalis detrimentum non patiatur. Et de facto, in casu proposito debuit per administratorem Nuntiaturæ Apostolicæ quæstio juridicè definiri.

Ad secundum. *De revocatione ad examen*: terminos responsionis *P.y V.* in *Resolutione mea* citatos sum fideliter secutus: qui non permittit Regulares ab Episcopo per examen judicatos idoneos, iterùm ad examen revocari; sed per successorem, *pro majori* (ait) *conscientia sua quiete examinari de novo posse*. Non potest autem prætendi turbata conscientia Episcopi, ut quietari debeat, respectu unius totalis congregationis; sed benè respectu individuorum aliquorum, idque non qualibet ex causa, sed superveniente dubio fundato, & quod suspicionem gravem inidoneitatis ingerat.

Unde etiam ad tertium respondeo. Quòd in casu quo debeat Confessarius ob verum dubium aut gravem suspicionem à confessionibus audiendis suspendi: cùm suspensio illa sit pœna ad potestatem coercitivam pertinens, nec sit excepta, debeat mandante Episcopo per superiorem imponi juxta *Decretum Concilij Tridentini* suprà citatum: præterquàm quòd cùm examen & approbatio idoneitatis non potuerit ab Episcopo fieri, nisi Superiore Regularem subditum suum præsentante, tamquam sufficientem; consequenter justum est, ut Superioris cognitio concurrat ad suspensionem: Iisdem enim causis res dissolvenda est, quibus antea subsistebat. Et cùm de suspensione à prædicationibus per Episcopos inferenda ob prædicata scandala moneantur Episcopi in Tridentino sess. 5. de reform. c. 2. *Ut curent ne quis prædicator vel ex falsis informationibus vel aliis calumniosè vexetur*; Et ut hoc ipsum legitimè caveatur vix fieri possit, nisi consulto Superiori Concionatoris, cujus est subditum suum nosse. Ita multò magis ubi de Confessarii inidoneitate dubitatur, rationabiliter, & justè ad suspensionem procedi nequit, nisi consulto Superiore, cujus ex jure & conscientia fuit, ut sufficientem præsentaret. Nihil ergo per hoc quòd suspensio per Superiorem executioni demandetur,

de Episcopi auctoritate diminuitur, sed quod juris & justitiæ est fieri postulatur, maximè cùm de executione superior teneatur reddere rationem Episcopo requirenti.

Ad quartam. *De stationibus nonnullis ordinariis prædicationum*, quas non esse *precarias* asserui, utpotè, quod ex contractu talem virtualiobligationibus utrimque reciprocis positis, & acceptatis proveniant, ad textum meum.pag 67.col. 2. & ad rationes ibi politas me refero.

Addo autem ad difficultatem omnem tollendam. Apud Jurisperitos illud *precarium* dici, *quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui concessit patitur*. Vide *Angelum V. precarium*. Ubi asserit precarium esse contractum gratuitum, similem aliis gratuitis. Ex quo inferunt Doctores, tria ad precarium requiri, primum. Ut res quæ precariò conceditur, sit in mera dispositione concedentis, utique quæ ad ejus placitum sicut concedi, sic revocari possit. Secundum. Quod ad preces petentis gratuitò & ex mera liberalitate concedatur. Tertium. Ut res cedat in meram gratiam, & favorem ejus qui obtinet.

Agedum! Quomodo stationes prædicatoriæ quæ mutuis obligationibus utrimq; reciprocè sunt susceptæ, & quæ ut plurimùm requirunt multorum interesse habentium, ut Magistratuum, æditorum, & aliorum qui ad sustentationem prædicatorum contribuunt consensum: quæque non ad petitionem Concionatorum vel Conventuum, sed ad invitationem & postulationem parochianorum conceduntur: quæ tandem, non tam in favorem Concionatorum & Conventuum, sed potiùs in onus, ex eo quòd Concionatorem gratum, ad tempus determinatum in anno, & hoc semper suppeditare tenentur: Quomodo (inquam) illæ stationes precariæ sunt? Quis rogàvit? An qui evocaverunt, sive componere petierunt, an qui onus subierunt? Quis beneficio fruitur? An qui prædicat summo suo labore? An qui fructu laborum & concionum utitur, sive parochus cujus labores Concionator subit, sive populus qui verbo Dei gaudet? Si quid enim Concionatori aut ejus Conventui provenit, ex justitia provenit, decernente Evangelio, quia *dignus est operarius mercede sua*, & alia Scriptura prohibet: *Non alligabis os bovi trituranti*. Expendat æquus arbiter quid hic *precarij* reperiatur? Remitto ad Statuta Synodorum: quæ mandant ordinarias stationes à parochis non mutari; & ad specialem Synodum Gandensem sub Reverendissimo D. Episcopo moderno D. Antonio Triestio ad annum 1629. celebraram Tit. de præd. c.7. in qua mandatur: ut Pastores *veteres stationes observari curent, & nullas novas introduci sinant*. Et ad perpetuam earum certitudinem & perpetuitatem mandat, ut *cum notabilibus & aditus super certis stationibus instrumenta faciant, ut sic ordo in consuetis stationibus servetur*. Qui etiam Reverendissimus Episcopus justitiæ & communis concordiæ affectu (Fratribus Minoribus Recollectis Hulsto ab hæreticis ob fidei causam expulsis) cùm de terminis & stationibus prædicationum antiquis in patria Wasiana restantibus, nonnulla altercatio suborta esset: *Concordatum* cum R.P. Ministro Provinciali me præsente conscribi fecit: quo certis conditionibus ad concordiam perpetuam cum DD. Pastoribus, decrevit, ut Fratres Minores Recollecti antiquas stationes Conventui Hulstensi derelicto addictas, deinceps servarent. Factum est autem *concordatum* anno 1648. mensis Julii. 16. in palatio Episcopali Gandavi, sub sigillo ejusdem Perillust. ac Reverendissimi Domini Episcopi, signante de ejus mandato *Simons* Secretario, cui etiam subscripsi, cum R. P.F. *Mariano de Smyttere Provincia S. Ioseph in Comitatu Flandriæ Patre*. Visuntur etiam passim sententiæ tam in ecclesiastico qoàm civili foro datæ similes stationes, ut jure debitas ab antiquo, certis Cooventibus & Ordinibus adjudicantes.

Hæc sunt, (*candide Lector*) quæ volui in satisfactionem postulantium elucidare, quamvis eximiorum DD. Doctorum approbationes resolutionibus datis communi jure sufficerent. Suscipe igitur hæc eo animo, quo scripta sunt: Quòd si alia elucidanda occurrant, non pigeat me monere, charitati tuæ charitatem lubens rependam, ut Deus in omnibus glorificetur, & veritas appareat.

FINIS.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

EN (candide Lector) variorum casuum & dubiorum ex plurimis quæ perierunt, vel ignototorum manibus peregrinantur, Resolutiones nonnullæ; quæ quia à multis importunè desideratæ sunt, publici juris fiunt. Fateor: abhortebat animus, suadente Sapiente: *Non duplicare sermonem auditus de revelatione sermonis* Eccl. 42.
absconditi &c. Monebat tamen ab eodem alibi pio suffragio: *Pro anima* (inquit) vers. 1.
tua ne confundaris dicere verum, &c. *Esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui &* Cap. 4. vers. 24.
scientia, & prosequatur te verbum pacis & iustitiæ. Esto mansuetus ad audiendum verbum, Cap. 5.
& intelligas, & cum sapientia proferas responsum verum: Si est tibi intellectus *responde* v. 12. 13. 14
proximo. Hanc viam conatus sum sequi: *Firmitatem* utique *viæ Domini*, & mandatorum ejus, ut requirentibus responderem, *verbum* quidem *pacis* ad quietandas & pacificandas conscientias: *Verbum* etiam *Iustitiæ* ad illas firmandas intra terminos juris & æquitatis. Vnde & omnibus interrogantibus conatus sum mansuetudinem ostendere, *ad audiendum verbum*, ut intelligerem, & (Deo sapientiam subministrante) *responderem verum*: ac prout dabat intellectus, *responderem proximo*. Responsa itaque mea hac trutinâ, qui legis, expende; & si quid humani intellectûs fragilitatis minus attendit, excusa & supple; & si vivo me mone: Vtrumque evenier, ut: *unguento, &* Prov. 27. vers. 9.
variis odoribus delectetur cor, & bonis amici consiliis anima dulcoretur. Ave, fave, & fove.

APPROBATIO R. PATRIS COMMISS. GENERALIS
PROVINCIARVM BELGII ET GERMANIÆ.

INfrascriptus Ordinis Fratrum Minorum super provincias Germaniæ, Belgii & annexas Commissarius Generalis. Cùm *Tribunal sacramentale & visibile animarum in hac vita mortali*, tribus Tomis explicatum Auctore R.P.F. Petro Marchant totius dicti Ordinis Patre perpetuo S. Theol. Lectore emerito, ac in commissione prædecessore nostro, non solùm ab iis quorum interest approbatum, verùm etiam maxima eorum qui hactenus legerunt & usi sunt utilitate probatum pro secunda editione ad plurium emolumentum & fructum in lucem prodeat, consentio *ut Resolutiones eiusdem casuum & Quæstionum practicarum*. &c. simul edantur. Datum Antuerpiæ in Conventu nostro Fratrum Minorum 29. Januarii Anno Domini 1655.

F. JACOBVS de RIDDERE.

APPROBATIO R. P. MINISTRI PROVINCIALIS
PROVINCIÆ S. JOSEPH IN COMITATV FLANDRIÆ.

A Deo plerosque rapuit solida S. Scripturâ & SS. Patribus fundata doctrina quam in suo *Tribunali sacramentali & visibili animarum in hac vita mortali* proponit R^mus P.F. PETRUS MARCHANT Ordinis S. Francisci Fratrum Minorum quondam Provinciarum Germaniæ, Belgii, &c. Commissario Generali, &c. ut necesse fuerit, rursus denuò opus prælo committere jam auctiori ornatu condecoratum. Utpotè cui accessere *Resolutiones variorum casuum & Quæstionum practicarum* dignè planè Auctore suo; in iis enim nil desiderare queas quod ad exactissimam earumdem Quæstionum notitiam ex jure & Theologia hauriri possit; Unde etiam plerumque apud quoscumque judices sententia Auctoris prævaluit. Lector tantùm sepone præjudicia opinionum tuarum, pravique affectus; examina rationum pondera quæ adducuntur, & ausim dicere judicio quoq; tuo illuc esset veritas, sed noli imitare eos de quibus D. Aug. l. 10. Confess. cap. 23. Amant eam lucentem, oderunt eam redarguentem. Quia enim falli nolunt & fallere volunt, amant eam cùm seipsam indicat, & oderunt eam cùm eos ipsos indicat, &c. Ita sentio.

Fr. MARIANUS de SMYTERE
Minister Provincialis Provinciæ Com. Flandriæ
S. Joseph *FF. Minorum Recollectorum*.

APPROBATIO THEOLOGI PROVINCIÆ

Comitatus Flandriæ S. Ioseph. Ex commißione Superiorum.

QUà potui diligentiâ & attentione legi Resolutiones Casuum diversorum diversis temporibus datas à *Reverendissimo Patre* PETRO MARCHANT *totius Ordinis S. Francisci quondam Definitore, & super Provincias Germaniæ, Belgij & Britannicas Commissario Generali, S. Theologiæ Lectore emerito.* De quibus conformiter ad præcedentia ejus opera antehac in lucem emissa, præterquam quòd in illis nihil fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarium offenderim, convenientiùs testimonium proferre nequeo, quàm illud *S. Hieronymi ad Letam* de operibus & libris Hilarii (nomine mutato) his verbis testantis : *Hilarij libros inoffenso decurrat pede.* Ita enim profundè investigat, solidè proponit, & fundatè resolvit difficultates intricatas, ut vix & ne vix quidem aliquid superaddendum videatur. Insuper Resolutiones has operibus ejus præcedentibus quantumvis claris, in plerisque tamen clariùs lumen suppeditaturum non dubito. Ita sentiebam in Conventu nostro Antverpiensi die S. Josepho sacro. M. DC. LV.

Fr ROGERIUS VANDEN CRUYCE
Provinciæ Comitatus Flandriæ S. Joseph *FF. Minorum Recollectorum S. Theologiæ quondam Lector.*

APPROBATIONES DOCTORVM.

HÆ Resolutiones Casuum, Auctore R. P. PETRO MARCHANT, Ordinis S. Francisci quondam Diffinitore Generali, &c. omninò dignæ sunt, ut publici boni causâ in lucem edantur, utpotè summo studio, & maturo judicio elaboratæ, nec doctrina minùs solida refertæ. Ita censui Duaci 9. Aprilis M. DC. LV.

MARTINUS DENYS *S. Theologiæ Doctor, ejusdemq; in dicta Universitate Regius & ordinarius Professor.*

HOc Opus breve variorum Casuum, Auctore R. P. PETRO MARCHANT, Ordinis S. Francisci quondam Diffinitore Generali, eruditum est & prælo dignissimum, utpotè summo studio & maturo judicio elaboratum. Ita censui die 10. Aprilis M. DC. LV.

FRANCISCUS VAXIUS *S. Theologiæ Doctor, & in Universitate Duacena Regius & ordinarius Professor.*

HAs Resolutiones variorum Casuum & Quæstionum practicarum Auctore R. P. PETRO MARCHANT Couviniensi, totius Ordinis S. Francisci olim Diffinitore, & super Provincias Germaniæ, Belgii, ac Britannicas Commissario Generali, S. Theologiæ Lectore emerito, diligenter, & accuratè legi, & perpendi, luceque publicâ, ad notabiles in utroque foro, interno & externo, & magni momenti instructiones, ad communemque prorsus Ecclesiæ Christi utilitatem dignas censui. Tornaci die 7. Aprilis M. DC. LV.

MATTHIAS NAVÆUS *S. Theologiæ Doctor, Canonicus Theologalis Tornacensis.*

INDEX

INDEX

RERUM ET MATERIARUM IN RESOLUTIONIBUS CASUUM CONTENTARUM.

In quo prior numerus indicat paginam, posterior verò columnam: Littera a initium, b medium, c finem columnæ.

Resolutiones. B afui

Doctor.

Refor.

Ter-

F I N I S.



APPROBATIO THEOLOGI PROVINCIÆ
Comitatus Flandriæ S. Ioseph. Ex commissione Superiorum.

QUâ potui diligentiâ & attentione legi Resolutiones Casuum diversorum diversis temporibus daras à *Reverendissimo Patre* PETRO MARCHANT *totius Ordinis S. Francisci quondam Definitore, & super Provincias Germaniæ, Belgij & Britannicas Commissario Generali, S. Theologiæ Lectore emerito.* De quibus conformiter ad præcedentia ejus opera antehac in lucem emissa, prætereà quam quòd in illis nihil fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarium offenderim, convenientiùs testimonium proferre nequeo, quàm illud *S. Hieronymi ad Lætam* de operibus & libris Hilarii (nomine murato) his verbis testantis : *Hilarij libros inoffenso decurrat pede.* Ita enim profundè investigat, solidè proponit, & fundatè resolvit difficultates intricatas, ut vix & ne vix quidem aliquid supetaddendum videatur. Insuper Resolutiones has operibus ejus præcedentibus quantumvis claris, in plerisque tamen clariùs lumen suppeditaturum non dubiro. Ita sentiebam in Conventu nostro Antverpiensi die S. Josepho sacro. M. DC. LV.

Fr ROGERIUS VANDEN CRUYCE
Provinciæ Comitatus Flandriæ S. Joseph FF. Minorum Recollectorum S. Theologiæ quondam Lector.

APPROBATIONES DOCTORVM.

HÆ Resolutiones Casuum, Auctore R. P. PETRO MARCHANT, Ordinis S. Francisci quondam Diffinitore Generali, &c. omninò dignæ sunt, ut publici boni causâ in lucem edantur, utpotè summo studio, & maturo judicio elaboratæ, nec doctrina minus solida refertæ. Ita censui Duaci 9. Aprilis M. DC. LV.

MARTINUS DENYS *S. Theologiæ Doctor, ejusdemq; in dicta Vniversitate Regius & ordinarius Professor.*

HOc Opus breve variorum Casuum, Auctore R. P. PETRO MARCHANT, Ordinis S. Francisci quondam Diffinitore Generali, eruditum est & prælo dignissimum, utpotè summo studio & maturo judicio elaboratum. Ita censui die 10. Aprilis M. DC. LV.

FRANCISCUS VAXIUS *S. Theologiæ Doctor, & in Vniversitate Duacena Regius & ordinarius Professor.*

HAs Resolutiones variorum Casuum & Quæstionum practicarum Auctore R. P. PETRO MARCHANT Couviniensi, totius Ordinis S. Francisci olim Diffinitore, & super Provincias Germaniæ, Belgii ac Britannicas Commissario Generali, S. Theologiæ Lectore emerito, diligenter, & accuratè legi, & perpendi, luceque publicâ, ad notabiles in utroque foro, interno & externo, & magni momenti instructiones, ad communemque prorsus Ecclesiæ Christi utilitatem dignas censui. Tornaci die 7. Aprilis M. DC. LV.

MATTHIAS NAVÆUS *S. Theologiæ Doctor, Canonicus Theologalis Tornacensis.*

INDEX

INDEX

RERUM ET MATERIARUM IN RESOLUtionibus casuum contentarum.

In quo prior numerus indicat paginam, posterior verò columnam: Littera a *initium*, b *medium*, c *finem columnæ.*

asfur

Dolor.

Refor.

Ter-

F I N I S.





